

Christianismi restitutio : Totius ecclesiae apostolicae est ad sua limina vocatio, in integrum restituta cognitione Dei, fidei Christi, iustificationis nostrae, regenerationis baptismi, et caenae domini manducationis. Restituto denique nobis regno cælesti, Babylonis impiæ captiuitate soluta, et Antichristo cum suis penitus destructo. ... M.D.LIII.

Contributors

Servetus, Michael, 1511?-1553.
Inglis, C.
Smith, Nathaniel
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

[Nuremberg] : Christoph Gottlieb von Murr, 1790.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pgbxumdj>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



C. Inglis, M.D.



Indice ultimo de los Libros prohibidos mandados expurgans,
12s. *1st Class Index. Trident 4to. Mad. 1790*

* * "It will be of great use for a divine to be acquainted
with the arts, knavery, and fraud of the Roman inquisitor,
in purging, correcting, or rather corrupting authors in all
arts and faculties. For this purpose we may consult the
Index Expurgatorus. By considering this Index, we
come to know the best editions of many good books."
Bp. Barlow's Directions to a young divine.

Servetus de Trinitatis erroribus cor. tur. 1531, 12mo. 3 14 0
1786 de Trinitate divina, Lond. 1723, 4to. *Tetot.* 1 12 0

CALVIN AND SERVETUS. — Servetus lately wrote to me, and coupled with his letter a long volume of his delirious fancies, with the Thracianic boar, that I should see something astonishing and unheard of. He takes it upon him to come hither, if it be agreeable to me; but I am unwilling to pledge my word for his safety, for, if he shall come, I shall never permit him to depart alive, provided my authority be of any avail. More than fifteen days have now elapsed since Cartelier was imprisoned for having, at supper in his own house, raged against me with such insolence as to make it clear that he was not then in his right senses. I concealed what I felt, but I testified to the judge that it would be agreeable to me were he proceeded against with the utmost rigour of the law. I wished to go to see him. Access was prohibited by decree of the Senate, and yet some good men accuse me of cruelty, forsooth, because I so pertinaciously revenge my injuries. I have been requested by his friends to undertake the part of intercessor, I refused to do so, except on these two conditions, viz., that no suspicion should attach to me, and that the honour of Christ should remain intact. I have now done. I abide the judgment of the Council. — *Letter of Calvin to Farel in 1546.*



(o) 2/3



*Divisit Trini qui formam numinis ecce !
Dividitur membris, Visceribusq; suis .*



*Bought of Wat. Smith, 2 Oct. 1722
of - SURGEON LONDON. 2/56*

Infelix Eruditio est scire
quod multi nesciunt, etiam
periculosa scire quod omnes
ignorant. — Gaulmin;

83. d.

This book contains the first
statement as to the blood
passing from the right to
the left side of the heart
through the lungs

See p. 170.

Digitized by the Internet Archive
in 2016



(6) D2/53-e-16

23





*Omnia quum portenta voces hominemque Deumque
Infandi SERVES nominis opprobium !*

THE CONTENTS.

SERVETUS his converse with Mahometans and
Jewes. He disguiseth his monstrous opinions with
the Name of Christian Reformation. The place of his
birth. At the 24 year of his age, he boasted himself
the only Teacher and Seer of the world. He inveighed
Ecc 2 against

MICHAEL SERVETUS.

against the Deity of Christ. Oecolampadius confutes his blasphemies, and causeth him to be thrust out of the Church of Basil. Servetus held but one person in the Godhead to be worshipped, &c. He held the Holy Ghost to be Nature. His horrid blasphemy. He would reconcile the Turkish Alcaron to Christian Religion. He declares himself Prince of the Anabaptists. At Geneva, Calvin faithfully reproves Servetus, but he continues obstinate. Anno 1553. by the decrees of several Senates he was burned.

Servetus his
converse with
Mahometans
and Jews,

He disguiseth
his monstrous
opinions with
the name of
Christian Re-
formation.

The place of his
birth.

His arrogant
Beast.

He inveighs
against the
Deity of Christ.

Oecolampadius
confutes his
blasphemies, and
causeth him to
be thrust out of
the Church of
Basil.

MICHAEL SERVETUS, like another Simon Magus, having conversed long among the Mahometans and the Jewes, and being excellently well furnished with their imaginous opinions, begat, both out of Divinity, and the general treasury of Christian Religion, a monstrous issue of opinions, with the coition of what he had received from the extravagant Mahometans, and Thalmudists, upon which brat this instrument of Satan must needs bestow the disguised name of Christian Reformation. From this Cocks egge were bred these Cockatrices, Gonesius, Gribaldus, Blandratta, Gentilis, Alciatus, Simanus, Casanovius, Menno, and diverse other Anabaptistical Vipers, who extremely encreased the restless waves of Sects and opinions. We, recommending the rest to their proper place, Hell; will take a more particular survey of one Religion, and by the horridnesse of that guesse at the others. This Servetus was a Spaniard, born in the Kingdom of Arragon, most unworthy both of his Name and Nation. Being wrap't into a most incredible Enthusiasme, he boldly layes his unwashed hands upon holy divinity; and at the four and twentieth year of his age, boasted himself to be the onely Teacher and Seer of the world, making it his main design, and that by his impious and worthless writings, to inveigh against the Deity of the Son of God; with which writings being sufficiently furnished, and withall enflamed with hopes of raising no ordinary tumults, he bestirs himself wind & tide for Basil; but Oecolampadius, an Ecclesiastical Doctor, learnedly before a full Senate confuted the blasphemies of this man, and
by

by the publick Authority he had, caused him as a poisonous blasphemer to be thrust out of the Church of *Basil*. From thence he went to *Venice*, where, in regard the *Venetians* had been timely forewarned of him by the wise and learned *Melancthon*, he made no harvest of his incredible blasphemies, nor indeed was he permitted seed-time for them. Religion is no where safe! But having consulted with the Arch-hereticks his Predecessors; and being bird-lim'd, he held that there was but one person in the God-head to be worshipped and acknowledged; which was revealed to mankind, sometimes under one notion, sometimes under another, and that it was thus; that those notions of *Father*, *Son*, and *Holy Ghost*, were to be understood in the Scriptures. Nay, with the same line of his blasphemous mouth, he affirmed, that our Saviour *Jesus Christ*, according to his humane nature, was not the Son of God, nor co-eternall with the Father. The *Holy Ghost* he granted to be nothing, but that influence by which all things are moved, which is called *Nature*. He most impiously Ironical affirmed, that to understand the word *Person*; we must refer our selves to *Comedies*. But the most horrid blasphemy of all was, when by the suggestion of Satan, he imagined, that the most glorious, and ever to be worshipped and adored Trinity (who doth not tremble at it?) was most fitly compared to *Cerberus* the Porter of Hell gate. But he stay'd not here; no, he thought it should be accounted nothing but a diabolical phantasmie, the laughing-stock of Satan, and the monstrous *Geryon*, whom the Poets by some strange mystery of Philosophy feigned to have three bodies. O incredible, and unheard of subtilty of blasphemy! The most glorious name of the most blessed Trinity, is grown so odious to this man, that he would personate (being the greatest that ever was) all the Atheists that have quarrell'd with that name. Moreover he maintained, that taking but away the onely Article of the *Trinity*, the *Turkish Alcoran* might be easily reconciled to the *Christian Religion*; and that by the joyning together of these two, a great impediment would be removed; yea, that the pertinacious asserting of that Article had enraged to madnesse whole Countries and Provinces.

Ecc 3

This

Servetus held but one person in the Godhead to be worshipped, &c.

He held the holy Ghost to be Nature.

His horrid blasphemy.

He would reconcile the Alcoran to Christian Religion.

He declares
himself prince
of the Anabap-
tists.

At Geneva,
Calvin re-
proves Serve-
tus.

Servetus his
obstinacy.

Anno 1553
By the Decree of
several Senates
he was burned.

This abomination, of God and men, held that the Prophet *Moses*, that great servant of God, and faithful steward of the Lords house, that *Prince* and *Captain General* of the people of *Israel*, one, so much in favour with God, that he was admitted to speak to him face to face, was to be accounted no other than an *Impostor*. He accounted the Patriarch *Abraham* and his seed, too much given to Revenge, and that he was most unjust, and most malicious to his enemy. The most glorious Church of *Israel*, ('tis the swine that loves the mire) he esteemed no better than a Hog-sty; and declared himself a sworn Prince of the *Anabaptisticall* generation. But, keep off, and approach not, O all ye other Heresies and Hydra's of opinions of this one man, furies not capable of expiation! Being arrived at *Geneva*, and being forbidden to spew out and spatter his pestiferous blasphemies, he continued in hostility against all sharp, but wholesome admonitions; which *Calvin*, that famous Minister of the Church, perceiving, being desirous to discharge the duty of a soul-saving Pastor, went friendly to *Servetus*, in hopes to deliver him out of his most impious Errours and horrible Heresie, and so to redeem him out of the jaws of Hell, and faithfully reprov'd him. But he being dazzled with the brightness of Truth, and overcome, returned nothing to *Calvin* (so well deserving of him) but an intolerable obstinacy, and unconvincible recapitulation of his blasphemies; whence it came to passe, that by the just and prudent Decree of the Senates of *Berne*, *Zurich*, *Basil*, and *Scaffuse*, and by the righteous condemnation of the eternal God, in the moneth of *December*, in the year one thousand five hundred fifty and three, (or as *Steiden* hath it, in *October*) he was (how great is the obstinacy of blasphemy!) being at that time ecstasically hardened and intoxicated, consecrated to the avenging flames.

Thut nichts; der Jude wird verbrannt.

ARRIUS

83. d.

CHRISTIANI- SMI RESTITV- TIO.

*Totius ecclesiæ apostolicæ est ad sua limina
vocatio, in integrum restituta cognitione Dei, fidei Chris-
sti, iustificationis nostræ, regenerationis baptismi, et cæ-
næ domini manducationis. Restituto denique nobis re-
gno cælesti, Babylonis impiæ captiuitate soluta, et Ans-
tichristo cum suis penitus destructo.*

בערת ה'יא יעמוד מיכאל השר

καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν τῷ οὐρανῷ.

M. D. LIII.

ROYAL COLLEGE OF PHYSI LIBRARY	
CLASS	23
ACCN.	11817
SOURCE	
DATE	



ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS

23

ACCN.

11817

SOURCE

DATE

DE TRINITATE

3

DIVINA, QVOD IN EA NON

fit inuisibilium trium rerum illusio, sed
vera substantiæ Dei manifestatio
in verbo, et communica-
tio in spiritu.

LIBRI SEPTEM.

PROOEMIUM.

Qui nobis hic ponitur scopus, ut est maiestate subli-
mis, ita perspicuitate facilis, et demonstratione certus:
omnium maxima, lector, Deum cognoscere substantialiter
manifestatum ac diuinam ipsam naturam vere communica-
tam. Manifestationem Dei ipsius per verbum, et commu-
nicationem per spiritum, vtranque in solo Christo substan-
tialem, in solo ipso plane discernemus, ut tota verbi et spi-
ritus deitas in homine dignoscatur. Manifestationem di-
uinam a seculis explicabimus, magnum citra controuer-
siam pietatis mysterium, quod sit Deus olim in verbo,
nunc in carne manifestatus, spiritu communicatus, angelis et ho-
minibus visus, visione olim velata, nunc reuelata. Mo-
dos veros aperte referemus, quibus se nobis exhibuit
Deus, externe visibilem verbo, et interne perceptibilem spi-
ritu, mysterium vtrunque magnum, ut Deum ipsum homo
videat, et possideat. Deum antea non visum, nos nunc
reuelata facie videbimus, et lucentem in nobis ipsis intue-
bimur, si ostium aperiamus et viam ingrediamur. Aperire
viam oportet ostium hoc, et viam hanc lucis, sine qua ni-
hil potest videri, sine qua nemo potest sacras scripturas le-

gere, nec Deum intelligere, nec Christianus fieri. Hæc veritatis est via, certa, facilis, et sincera, diuinam Christi in verbo cognitionem, spiritus sancti veram perfectionem, et eandem vtriusque in Deo substantiam, integre sola patefaciens, Deumque ipsum nobis ob oculos ponens. Digessimus autem in quinque libros viam hanc totam, adiectis postea dialogis, ut quasi per gradus quosdam ad integram Christi cognitionem ascendamus. Primus liber continet tria de Christo axiomata, tres pharisæorum, totidem sophistarum rationes, et improbationes, cum absurdissimis inuisibilibus illationibus. Secundus viginti Scripturæ locos exponet. Tertius erit de personæ Christi in verbo præfiguratione, de visione Dei, et verbi hypostasi. Quartus de nominibus et essentia Dei, et de rerum omnium principiis. Quintus de spiritu sancto. Dialogus deinde primus, post transactas legis umbras Christi in omnibus complementum declarabit, angelorum, animarum, et inferni substantiam explicans. Secundus modum generationis Christi docebit, et ipsum non esse creaturam, nec finitæ potentiæ, esseque vere adorandum, verumque Deum.

O Christe Iesu fili Dei, qui de cælo nobis datus, deitatem patefactam in te ipso visibilem manifestas, teipsum aperi seruo tuo, ut manifestatio tanta vere patefiat. Spiritum tuum bonum, et verbum efficax, petenti nunc tribue, mentem meam et calamum dirige, ut diuinitatis tuæ gloriam possim enarrare, ac veram de te fidem exprimere. Causa hæc tua est, et tuam a patre, et spiritus tui gloriam explicans, quæ diuino quodam impulsu tractanda sese mihi obtulit, cum essem de tua veritate sollicitus. Tractare aliquando cœpi, et nunc iterum tractare cogor, quia completum est vere tempus, ut ex rei ipsius certitudine, et ex signis temporum manifestis, sum nunc piis omnibus ostensurus. Lucernam non esse abscondendam, tu nos docuisti, ut vix mihi sit, nisi euangelizem. Causa communis Christianis omnibus agitur, cui omnes tenemur. Superest, lector, ut te pro Christo beneuolum vique ad finem exhibeas, et rem totam audies sermone veritatis absque aliquo furo.

D E H O M I N E

IESV CHRISTO, ET SIMV-

lachris falsis,

LIBER PRIMVS.

Librum primum narrationis filii Dei, instar primæ apostolorum prædicationis, a notioribus inchoabo, ab iis, quæ cordato cuique sint manifesta, et omnibus publice prædicata, vt hæc nostra via facile principium habeat. Ipse homo Iesus est ostium, et via, a quo et merito exordium sumam, tum quia de ipso nunc agetur, tum vt sophistas reprimam, qui ad verbi cognitionem sine hoc fundamento ascendentes, in alium filium traducuntur, et verum filium Dei obliuioni tradunt. Quibus ego ad memoriam, quis sit ille verus filius, reducere curabo. Pronomine ad sensum demonstrante ipsum hominem, verberibus cæsum et flagellatum, concedam hæc tria simpliciter vera esse. Primo, hic est Iesus Christus. Secundo, hic est filius Dei. Tertio, hic est Deus.

Quod hic primo dicatur Iesus, postulatum est primum, ^{Prima} ex se ipso manifestum, quo certius nihil ostendere possis. ^{propos-} Illud est puero in circumcisionis die nomen impositum, sicut ^{itio.} tibi Ioannes, et illi Petrus, Lucæ 1. et 2. Nomen Iesus, vt veteres docent, est nomen proprium viri, et cognomen Christus. Iudæi eum esse Iesum, omnes concedebant, sed Christum esse negabant, interrogantes de Iesu, qui dicitur Christus, et alienos a synagoga illos faciebant, qui faterentur, eum esse Christum. Super qua re frequens erat apostolorum contra ipsos disputatio, an Iesus ille esset Messias? Sed de Iesu nulla fuit vnquam dubitatio, nec quæstio, nec aliquis vnquam hoc negauit. Specta, quo tendat ille ser-

a. 3. mo, quo

mo, quo animo Paulus testificabatur Iudæis, Iesum illum esse Messiam, acto. 9. 27. et 18. Quo spiritus feruore Apollos ille Alexandrinus Iudæos reuincebat, probans hunc Iesum esse Christum. De homine ipso hæc dicebantur, sine sophismate aliquo. Non sophistas, sed Iudæos ibi cogita, piscatores cogita, et mulieres simplicitate pura concedentes, Iesum esse Christum: Iesum hunc Nazarenum, Iesum filium David.

Concedentes vero, hunc esse Iesum, concedere cogimur, hunc esse Christum a Deo vere vnctum. Nam iste est puer sanctus tuus, quem vnxisti acto. 4. Iste est sanctus sanctorum, quem vngendum prædixit Daniel 9. Actorum insuper 10. tanquam rem cunctis perspicuam, ait Petrus, Ipsi nostis. Nam de Iesu sermo est publice notus, vt scilicet Iesum illum virum Nazarenum vnxit Deus spiritu sancto et virtute, quoniam Deus erat cum illo, et ipse est, qui constitutus est a Deo iudex viuorum et mortuorum. Et acto. 2. certissime, inquit, sciat omnis domus Israël, quod hunc Iesum, quem vos crucifixistis, fecit Deus et dominum, et Christum, id est, vnctum. Clemens, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, et reliqui seniores, vocem hanc Christus naturæ humanæ vocabulum esse, affirmant. Vocabuli item ratio id ipsum notat. Nam esse vnctum, non potest, nisi ad naturam humanam referri. Quis igitur negabit, hominem esse vnctum? Antichristus est, qui hunc Iesum negat esse Christum: et qui concedit, ipsum esse vnctum, ex Deo natus est. 1. Ioa. 2. & 5. In recognitionibus Clementis, libro primo, ratione vocabuli exponit Petrus, quia reges solebant vocari Christi, ideo iste ab excellentia vnctionis, præ cæteris est rex Christus vocatus. Nam sicut Deus angelis angelum, bestiis bestiam, et syderibus sydus, ita hominibus hominem principem fecit Christum. Veteris quoque scripturæ autoritate aperte docemur, hominem dici Christum, cum et terrenus rex diceretur Christus. 1. Samu. 12. et 24. et Esa. 45. Item Matth. 1. ex qua genitus est Iesus ille, qui dicitur Christus. Nota ibi articulum et cognomen. Homo est

mo est, qui de spiritu sancto genitus est. Hominem Christum aperte describit Lucas cap. 3. dicens, Et ipse Iesus incipiebat esse triginta annorum, et putabatur filius Ioseph. Ille ipse qui putabatur filius Ioseph, erat Iesus Christus, filius Dei. Actorum quoque 13. Iudæis ait Paulus: Deus iuxta promissionem ex David femine eduxit Christum, hunc a vobis interemptum. Ibidemque et Ioan. 2. dixit Ioannes Baptista, Non arbitremini, me esse Christum. Quam ridicula esset Ioannis excusatio, si Christi vocabulum ad hominem non referatur? Friuola esset Christi interrogatio, et Petri responsio Matth. 16. cum dixit Christus, Quem me dicunt homines esse? Et Petrus respondit, Tu es ille Christus, Tu es ille filius Dei viuentis. Illum ipsum, quem alii Eliam, alii Ieremiam esse putabant, ait Petrus esse Christum filium Dei. Non dixit, Incorporeus ille filius in te est, sed tu es filius. Et quoniam ibi iussit Christus, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus, quid per illud pronomen demonstrasse putas? Si ipse Christus non est, quo modo nos Christos facit? Rei tam apertæ non esset diutius insistendum, nisi corrupti essent eorum animi, qui mysterium incarnationis non intelligentes, rem incorpoream Christum esse, et realem filium putant, cum tamen omnibus seculis verus homo sit semper dictus Christus. Audi testimonium ipsiusmet Christi se hominem vocantis Io. 8. Quæritis me interficere, hominem veritatem vobis locutum. Et 1. Timot. 2. mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Quod si te offendat illa vox homo, quam sophistæ connotatiue sumento adulterant, accipe vocem illam vir. Et Petrum audi dicentem acto. 2. Iesum Nazarenum fuisse virum a Deo designatum. Et Lucæ ultimo, De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens. Et Ioan 2. post me veniet vir. Et Esa. 53. nouissimum virorum virum dolorum. Et Zacha. 6. ecce vir, germen nomen eius. Et acto. 17. iudicaturus est Deus orbem per eum virum, scilicet Christum. Si sensus communes habeas, lector, et credas

naturæ pronominis demonstratiui, cognosces manifeste, hanc esse veram, et originalem illius vocis significationem. Nam eo ad oculum demonstrato passim conceditur, hic est Christus, tu es Iesus: et quia loquitur, quærit, respondet, esurit: et quia videbant eum ambulantes super aquas. Quem quæritis? Iesum Nazarenum. Ego sum. Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Ego ipse sum, palpite et videte. Et act. 2. ad Iudæos loquens Petrus ait, Hunc Iesum, quem vos interemistis, suscitauit Deus, cuius omnes testes sumus. Quid per talia pronomina, tu cum Iudæo disputans demonstrares? Apud eos nec de trinitate, nec de inuisibili filio, erat aliquid vnquam auditum. An de-terioris sumus nos conditionis, quam Samaritana mulier, quæ Ioan 4. dixit, Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid hic est ille Christus? Et mulieris mentem, nihil de rebus incorporeis scientem, ipse tunc comprobauit. Nam cum ipsa quæreret Messiam venturum, qui dicitur Christus, respondit ipse, Ego sum qui loquor tibi. Ego quem vides loquentem. Non res aliqua incorporea, sed ego qui loquor, sum verus et naturalis filius Dei. Similem de ipso Iesu fidem conceperat cæcus ille illuminatus, Ioan, 9. dicens, Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit. Hanc de Christo fidem habens, fuit tunc illuminatus, nec falsum de Christo credidit. De homine intelligendum est illud apostoli, Sicut vnus delicto, ita per gratiam vnus hominis Iesu Christi, Sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum. Aut vtrobique homo dicitur absolute, aut vtrobique connotatiue: alioqui comparatio esset nulla. Primus Adam, et secundus Adam, ibi dicitur: vt nihil hic sophistis profit, hominem connotatiue sumere. Demum Io. 20. signa fecit, vt credamus, quod Iesus est Christus filius Dei. Expeditum est de Iesu, sed vt credamus, quod Iesus ille sit a Deo genitus, et vnctus pro salute nostra. Nathanaël ex eo, quod dixit, vidi te sub ficu, infert, ipsum esse filium Dei. Similem illationem faciunt Matth. 14. ex eo, quod fugauit ventum.

Illatio-

Illationes istæ iam apertissime demonstrant, quod secun- ^{Secun-}
do dixi, Hunc ipsum, quem Christum appello, esse filium ^{da pro-}
Dei. Nam ex signis, quæ faciebat, inferunt, ipsum homi- ^{positio.}
nem esse filium Dei. Si constat, ipsum hominem esse Iesum
Christum, constat ipsum hominem esse filium Dei, cum scri-
ptura semper doceat, Iesum Christum esse filium Dei. Con-
stat vere, Deum patrem Iesu Christi esse Deum patrem ho-
minis. Aperte ubique homo ipse monstratur esse filius Dei,
et eius respectu Deus vere pater. Vere pater, quia ab eo est
substantialiter genitus, sicut tu a patre tuo. Non est ab ipso
Ioseph genitus Christus, sed de spiritu sancto genitus est, de
substantia Dei genitus est. Hic Iesus est vere et naturaliter
genitus ex Deo, sine aliquo sophismate. Quem generationis
modum in sequentibus perspicue docebimus, Id nunc obi-
ter dicimus, quod verbum Dei instar nubis obumbravit vir-
gini. Egit in ea, ut ros genituræ, instar imbris terram ger-
minare facientis, psal. 71. Esa. 45. et 55. Hac ratione di-
ci filium, docent Matthæus et Lucas, cap. 1. In Luca ait
angelus ipsi Mariæ, Spiritus sanctus superueniet in te, et
virtus altissimi obumbrabit tibi. Vnde sequitur, Quapro-
pter et quod nascetur sanctum, erit vere filius Dei. Ean-
dem rationem tradit Matthæus, dicens eam factam graui-
dam a spiritu sancto, et quod in ea genitum est, de spiri-
tu sancto esse. Quod in ea genitum est, filius est. Aper-
te loquitur, non sophistice. Ex Maria genitus est Ie-
sus, ex substantia Mariæ filius. Si Maria est naturalis
mater, alicuius naturalis filii est ipsa mater. Annota
quod dicit Lucas, Is filius in te genitus, quem tu con-
cipies et paries, filius altissimi vocabitur: is erit magnus, et
dabit illi Deus sedem David patris sui. Quare non dixit,
filius primæ personæ vocabitur, et dabit illi prima persona
sedem? Sed filius altissimi Dei, et dabit illi Deus sedem?
An secunda illa res incorporea est a spiritu sancto genita?
An non quod a spiritu sancto vere genitum est, vere filius
est? Nihil ad rem facit, quod plerique verba angeli peruer-
tentes, vocem sanctum ad alium filium detorquent, qua-

si primogenitus Christus, non sit ea dignus: præsertim cum ipsemet Lucas ca. sequenti declaret, quare sanctum dixerat: quia ipse est masculus aperiens vuluam. Omne autem masculum aperiens vuluam sanctum domino vocabitur exo. 13. 34. et nume. 8. Virtutem insuper, seu fortitudinem altissimi, quæ descendente spiritu obumbravit Mariæ, metaphysicum inuisibilem filium esse volunt, quia copulativè ibi dicitur, spiritus et virtus, spiritus et fortitudo. Ad hoc nos dicimus, quod Lucas eo virtutis seu fortitudinis nomine idipsum significat, quod ca. 24. et act. 1. vbi idem Lucas refert, accipietis virtutem seu fortitudinem, veniente in vos spiritu sancto. Eadem ratione dixit idem Lucas. Ioannem venturum, cum spiritu et virtute Eliæ, et in hoc quoque esse eum plusquam prophetam. Alii prophetæ non habuerunt cum spiritu prophetiæ virtutem faciendi miracula, ut habuit Elias. Ob quam rem dicitur in eo spiritus, et virtus, seu spiritus et fortitudo. Virtutem quoque habuit Ioannes ab utero, virtutem attingendi eum, quem prædixerat, virtutem conuertendi impios ad Deum suum, adhibito miraculo, ut Elias. Sicut ad vocem Eliæ in testimonium veritatis descendit ignis de cælo, effusis aquis super altare. 3. reg. 18. ita ad Ioannis aquæ baptismum in testimonium veritatis Christi, miraculose descendit a cælo spiritus sanctus, Matth. et Lucæ 3. Virtus ergo spiritui adiuncta, potentiam aliquam significat, non res alias metaphysicas. Hæc est inter spiritum et virtutem differentia, quia non est in quovis spiritu par virtus, seu par fortitudo. Hic ipse est ille duplex spiritus Eliæ, quem petiit Eliseus, videlicet spiritus prophetiæ, et virtus miraculorum. Hæc eadem ratione acceperunt apostoli spiritum sanctum, et virtutem, spiritum sanctum et fortitudinem, ut sic afflati, potentia magna et virtute miraculorum redderent testimonium resurrectionis Christi, act. 1. et 4. Copula illa aliquid addit, sicut quando dicitur, spiritu sancto et igne. Ignis adiectio vim addit, et expurgationis vehementiam. In actis ca. 6. exiguntur viri pleni spiritu sancto et sapientia, qui ultra commune spiritus donum, habeant sapientiam negotio commodam. Ex quibus præclare intelligitur, quare

Lucas

Lucas in Christo et apostolis dixerit spiritum sanctum et virtutem, Quod magis declaratur ex eo, quod dixit idem Lucas Iesum Nazarenum vnxit Deus spiritu sancto et virtute, spiritu sancto et fortitudine, acto. 10. vbi illa copula, et non facit virtutem metaphysice sumi pro incorporeo filio, sed quia spiritus Christi habet omnem fortitudinem. Adde quod Lucas non dixit, virtutem illam vocari filium. Sed id, quod virtute Dei in Maria genitum est, filius Dei ideo vocabitur, quia Maria virum non cognouit: et virtute Dei in obumbratione illa, vicem seminis viri supplente, efficietur ipsa grauida. Aceo ipso dicitur ipsa facta grauida a spiritu sancto, et Christus ipse a spiritu sancto genitus, missus et vnctus, Esa. 48. 61. et Matth. 1. Non quod secunda illa res sit genita a tertia, sed hic ipse, qui a spiritu sancto ex Maria genitus est, filius est. Ita locum hunc intelligit Irenæus initio Libri quinti, ex Maria dicens generatum esse filium altissimi Dei. Ita coactus exponit Augustinus in Ioannem tractatu nonagesimo nono, virtutem Dei dicens esse ipsummet spiritum sanctum agentem in cognatione Christi.

Quod insuper homo sit proprie filius, ipsa vocabuli ratio nos docet. Nam sicut proprium hominis est vngi, ita proprium eius est nasci, proprium hominis est generari. Virtute quidem spiritus id fit, corpus tamen ipsum vere nascitur, vere generatur: et corpus ipsum habet vere participationem substantiæ Dei. Quis est ille, qui putabatur filius Ioseph? Quis est ille fructus ventris? An non fructus ille est substantialis filius? Quis est ille masculus aperiens vuluam? An non masculus ille est proprie filius? Quis est ille puerulus, de quo fit mentio Matth. 2. quem sumebat, ducebat, et reducebat Ioseph? An non ille est ibi filius ex Aegypto vocatus? Illius puelli, illius corporalis filii nullum alium patrem reperiēs, nisi Deum, nullum alium genitorem, nisi Deum, aut dices esse phantasma, non carnem. Nem si caro est, ab aliquo genita est, ergo alicuius genitoris filius est. Eo magis, quia Deus dicitur pater huius carnis, pater huius cibi, Ioan. 6.

Deus

Deus agricola pater huius vitis. Ioan. 15. Si ergo corporalis vere hic est filius Dei, et incorporalis est aliquis alius realis inuisibilis filius, sunt iam duo reales filii, quoquo modo eos in unum cumulum vnias: quia duo sunt geniti, et duo nati. Duas duarum rerum generationes reales concedimus: ergo duos reales genitos, et duos natos negare pure non possumus. Quis non fasciatus, inter natos, genitos, et filios differentias tales faceret? Scripturæ sacræ de Iesu vnico Dei filio loquuntur, nec quicquam aliud ab homine filium dixerunt, realiter genitum. Ad hunc modum oportet Christianos omnes, hunc Iesum Nazarenum esse Christum filium Dei, agnoscere. Christus ipse, et mulieribus, et rudibus plebeis, se esse Messiam, et filium Dei, aperte prædicabat. Age quæso te, qualem Messiam ex simplici eius prædicatione tunc concipere debuit muliercula? Eo magis, quia nesciebantur in lege trinitariorum nostrorum metaphysica figmenta. Metaphysicus alius et inuisibilis filius, postea excogitatus est, ex male intellecto Ioannis verbo, vt nunc euidenter ostendam. Alia tunc erat de filio fides, quam nunc: id quod familiari exemplo ita collige. Deus dixit Ioanni: super quem videris spiritum descendantem, et manentem super eum, hic ipse est filius meus. Et ego, ait, vidi, et testimonium perhibui, quod hic est filius Dei, Ioan. 1. Hoc aduerte primo, quod Ioannes aliquando nesciebat, quis esset filius Dei. Deinde aduerte manifestationem, et reliqua ibi acta. Sophistarum sententia deceptus fuisset Ioannes, et alios decepisset, dicens illum, de quo vidit, esse filium Dei. Ego inquit, nesciebam eum: sed externo signo dato, hunc esse filium Dei, est mihi aperte monstratum: vt ita ipsum esse filium Dei, omnibus Iudæis ostenderem, dicens, ecce agnus, ecce filius. Quem tu mihi agnum hic facies? Hic, quem vides, est agnus Dei, filius Dei. Hic oculis subiectus, manibus palpatus, et sensibus aliis omnibus perceptus. Fallax alioqui fuisset cælestis vox, dicens, super quem videris, hic est ille. Fallax fuisset, cum super re, populis præfente, descendens, dixit, Hic est filius meus, vel tu es filius meus. Si rem aliam latentem

tem per illud pronomen demonstrabat, non erat patens testimonium, seducebat populum. Item Io. 9. interrogatus a quodam Iesus, Quis esset ille filius Dei? Respondit, Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. Hic ipse, quem vides, est filius Dei. Eo ad oculum demonstrato dixit centurio, Vere hic homo filius erat Dei. Cogita tu per pronomina illa rem sensu perceptam demonstrari. Cogita deinceps centurionem non fuisse sophistam, nec fuisse per communicationem idiomatum loquutum, nec connotatiue hominis voce usum. Verum hominem ostendens dixit, Hic homo filius erat Dei. Audi Paulum, qui illico atque visum recepit, ingressus synagogam prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei, acto. 9. De sophistarum idiomatibus ne verbum quidem. Summus sacerdos nihil de secunda illa incorporea re cogitabat, dicens, Es tu filius Dei benedicti? Et ad mentem eius respondit Iesus, Ego sum. Mar. 14. Vos dicitis quia ego filius Dei sum. Luc. 22. Ita simpliciter illi credebant, dicentes, Ego credidi, quod tu es filius Dei. At dices tu, Non videri rem magnam, si ipse homo Iesus dicatur filius Dei, cum et nos filii dei nominemur. Respondeo, Res maxima est, esse filium Dei, et plura inde sequuntur, quam vnquam intellexerit mundus, ut ostendam. Ipse est verus et naturalis filius, nos adoptiui. Ex eo ipso, quod nos filii Dei nominamur, probatur ipse esse verus filius. Quomodo homines filios faceret, si ipse homo non esset verus filius? Nos filii dicimur dono et gratia ipsius. Ideo ipse huius nostræ adoptionis author, excellentiore alio modo dicitur filius. Est ipse naturalis filius, ex vera Dei substantia genitus. Alii non sunt filii originis. Fiunt filii Dei, non nascuntur filii Dei. Per fidem Iesu Christi nos efficimur filii Dei Gal. 3. et Ioan. 1. Ideo per adoptionem dicimur filii Rom. 8. et Eph. 1. Non solum filius, sed verus filius ipse dicitur: non communis filius, Sapi. 2. et Ro. 8. Aequè proprie Deus dicitur pater Iesu Christi, sicut terreni patres dicuntur patres suorum filiorum. Alioqui Deus non posset dici causa, peculiariter efficiens, et productiua alicuius certi effectus. Si prolem aliquam sibi singulariter eligat, et solus tantum operetur ad generationem illius (et substantiam suam

suam illi tribuendo) quantum potest, et plus quam potest terrenus pater, quare non æque proprie merebitur dici pater? Nunquid ego, qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit dominus? Esa. 66. Imo potius dicitur ipse pater, quia ab ipso omnis paternitas in cælo et in terra nominatur Ephe. 3. Eo magis quia non solum eum genuit, sed et deitatis substantia, luce et plenitudine, eum decoravit, ut in hoc assimiletur patri filius. Item alia ratione, proprius quam homines, dicitur ipse pater, quia ipse in aliorum cognationibus operatur: alii vero in sui filii generatione nihil agunt. Ergo si proprius dicitur ipse pater, propriissime ultra alios Christus dicetur esse filius. Sed sublimiora alia de hac filiatione postea dicemus, si filiationem dici fas est. Argumentum iam retorqueri ita potest. Nam filius Dei suam filiationem nobis communicat: at filiatio illius secundæ rei nihil habet nobiscum commune, sed hominis filiatio. Ipse nos fratres vocat, quia homo. Homo est primogenitus fratrum, sicut primogenitus mortuorum: ergo homo primogenitus, est homo genitus filius.

Sophistæ sibi ipsis videntur ita magnifici, ut non dignentur oculos ad hunc filium inclinare. Rem abiectam et ridiculam putant, hominem dici filium Dei. Ad filium oportere aiunt, quod sit eiusdem speciei specialissimæ cum patre. Sed unde hoc colligunt? Imo est penitus impossibile, quoniam parentes sunt diuersarum specierum. Hoc etiam improbat scriptura tota; improbat ipsemet Christus, qui aliorum hominum comparatione se filium Dei ostendit Io. 10. Si alios, inquit, homines scriptura vocat Deos, et filios Dei, vos dicitis me blasphemare, quia dixi, filius Dei sum, cum pater ultra alios confortes et participes meos, me sanctificauerit. Ecce illum, qui sanctificatus est, esse filium Dei. Hic est ille, qui sanctus vocabitur filius Dei. Hic est ille, de quo dicunt Apostoli, sanctum filium tuum Iesum. Quis est ille sanctus, nisi ille masculus aperiens vuluam, verus et corporalis filius Dei.

Tertia
propo-
sitio. Tertio istam dixi esse veram, Christus est Deus. Dicitur vere Deus, substantialiter Deus, cum in eo sit deitas corporaliter. Sed quia hæc sunt in sequentibus perfectissime aperienda, sat nunc erit, si dicatur

ccatur Deus, quia forma Dei, species Dei, habens potentiam
et virtutem dei. Dicitur Deus per virtutem, sicut homo per
carnem. Data illi a patre ipsa deitatis potentia, dicitur ipse
Deus fortis, Esa. 9. Puer natus est nobis, vocabitur Deus for-
tis. Ecce Dei nomen et fortitudinem nato puero tributa, cui
data est omnis potestas in cœlo et in terra. Et Esa. 45. ego
dominus vocans nomen tuum, Deus Israelis. Thomas Ioan.
20. eum appellat, Dominus meus, Deus meus. Paulo ad
Rom. 9. Christus dicitur in omnibus, et super omnia Deus
laudandus, Deus benedictus, et benedicendus. Multis aliis
hoc eius diuinitas ostenditur, quia exaltatus est, vt acci-
peret diuinitatem, et nomen super omne nomen.

Adversarii vero illum ita despiciunt, vt non solum esse
Deum, sed et vnctum esse, negent. Imo ea, quæ sunt natu-
ræ, ab eo vsurpant, negantes esse filium Mariæ, negantes esse
hominem, sed humanitatem. Negant, hominem esse homi-
nem, et concedunt, Deum esse asinum. An non isti sunt ve-
ri Antichristi, et Christi calumniatores? Potest esse maior
calumnia, quam si me loquente dicas, me non esse? aut si
mihi conuenire neges ea, quæ mihi palam tribuuntur?
Omnia hæc prædicata volunt calumniatores esse illius se-
cundæ rei nomina. Ad quod figmentum communis schola
sophisma quoddam communicationis idiomatum adinuenit.
Quandam nouam impositionem in illo termino homo fin-
gunt, vt connotatiue sumatur, et æque polleat huic orationi,
sustentans naturam humanam. Ac tunc per communicatio-
nem idiomatum concedunt hanc propositionem, Filius Dei
est homo, id est, secunda persona sustentat naturam huma-
nam, et ita est illa connotatiuus homo. Ad eundem mo-
dum concedunt fieri posse, vt Deus sit asinus, et spiritus san-
ctus sit mulus, sustentans mulum. Cogita, lector, si Christus,
aut eius discipulus Paulus, aut alii discipuli nobis denuo
prædicarent, an tolerare possent talia hominum figmenta,
placitasque vocum imposturas? An non Christum sophista-
rum faciunt ipsi magistrum, dicentes, eam dictionem Chri-
stus esse a prophetis et apostolis impositam ad significandum
secundam personam in diuinis, connotando quod sustentet
natu

naturam humanam. Quod si loco vocis Christus ponatur ubique vox vnctus? An rem illam proprie vnctam dicent, et eam accepisse spiritum sanctum et virtutem? An illa diceret omnia sibi esse tradita a patre suo? An sophistice de illa loquutus esset pater, dicens, Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, ponam spiritum meum super illum? Profecto ad hominem Iesum id relatum inuenies. Matth. 12. Quicquid vnquam in bibliis de filio scriptum est, ad ipsum refertur, ipsum omnia respiciunt, et per ipsum omnia complentur. Quæ vero et qualis est communicatio illa prædicatorum? Nam illud prædicatum, sustentans naturam humanam, prius non conueniebat homini. Qualiter igitur homo sua prædicata, si non sunt sua, Deo communicat? Quod in Christo fuerit, et sit duplex natura, diuina et humana, nos apertissime docebimus. In Christo vere coniunguntur Deus et homo, in vnâ substantiam, vnum corpus, et vnum nouum hominem, Ephe. 2. Sed quia hæc diuina Christi natura ex verbi arcanis pendet, simpliciore via nunc dicamus, Deum posse homini deitatis plenitudinem communicare, dare ei diuinitatem, maiestatem, potestatem, et gloriam suam. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem, potentiam, sapientiam, honorem, et gloriam, apo. 5. Si Moses factus est Deus Pharaonis, exo. 7. et Cyrus Deus Israël, Esa. 45. multo fortius, et excellentiore longe modo factus est Christus Thomæ et omnium nostrum dominus et Deus. Salomon quoque ad literam dicitur Deus, psa. 44. At illi erant dii, non natura, sed temporali dono: Christus vero est naturali natiuitate Deus, naturaliter genitus de substantia Dei. Tota patris deitas, adoratio Dei, et visio Dei, et in Christo vero Deo. Sicut pater est verus Deus, ita veram suam deitatem vnico filio suo vnice tribuens, efficit, vt ille sit

Argu- verus Deus. Post tria de Christo axiomata, tria quoque super-
mentum est pharisæorum argumenta diluere, quæ ipsemet Christus
primum pro nobis diluet. Argumentum primum: Si Christus est
phari- Deus, erunt iam plures dii. Ad obiectionem istam phari-
sæorum, qui Christum arguebant eo quod se Deum faciebat, respondet ipse, Quia ego dixi, dii estis, Ioan. 10.
Docet

Decet ibi Christus se Deum a Deo patre sanctificatum. Iudæos inducit, ut saltem mortem aliorum, qui dii dicuntur ipse Deus dici possit. Ita erant imbecilli homines ad Christi naturalem Deitatem agnoscendam sensim ducendi. Vnde subdit: Si eos vocat Scriptura deos, ad quos sermo Dei factus est, quanto magis filius, quem pater ultra alios sanctificat, nedum dicitur filius Dei, sed etiam Deus. Quanquam ergo sint dii, unica tamen est deitas, a patre per generationem filio communicata. Vnicus est Deus, omnis deitas origo. Non erant ex hoc Iudæi offendendi, cum Moses Salomon et Cyrus dicti sint dii. Illam Elohim deitatem, non solum debuissent Iudæi Christo tribuere, videntes in eo tanta Dei opera, et tanta miracula, sed etiam cognoscere quod per excellentiam ei conueniret. Hanc Christus suæ eximie deitatis rationem reddebat. Ioan. 5. et 10. Ob id adduntur eius deitati insignia epitheta, ut dicatur ipse Deus omnis terræ. Deus magnus, fortis, et super omnia benedictus. Longe maiora, et apertius postea dicemus, de substantiali Christi deitate. Hoc nunc constat, Deum nos non ita diffecare, nec in partes discerpere, ut diffecant, et discerpunt sophistæ. Constat vere, pluralitatem in deitate non talem hinc induci, qualis est in trinitariorum realitatibus, et incorporeis tribus rebus distinctis. Ibi esse pluralitatem deorum, realem et absolutam, mox ostendemus.

Alterum argumentum est, Quomodo Christus dicitur de cælo descendisse, et missus a patre in mundum venisse? Qui hæc nobis obiiciunt, cum pharisæis plane hallucinantur. Nam Ioan. 6. argutabatur pharisæi, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? quomodo ergo dicit, de cælo descendendi? Ad hanc rem docet ibi Christus, oportere nos spiritu vivificari, ut hunc descensum intelligamus, Nam carnalis sensus non prodest quicquam, Verbum dei de cælo descendens est nunc in terra caro Christi, ut

Secundum argumentum pharisæorum,

sti, vt et carnem ipsam Christi de cælo descendisse, sis mihi postea concessurus. Caro Christi de cælo est, panis cælestis, de substantia Dei, et a Deo exiuit. Sed quia hæc ex verbi arcano sunt melius cognoscenda, in sequentes postea libros differantur. Interim vero posses intelligere, de cælo, id est, de supernis, vt ipse docet Io. 8. Posses verba Christi spiritualiter intelligere. Quod Christus in spiritu Dei præcesserit omnia tempora, et eius spiritus initio fuerit in cælo. Eo solo, quod verba eius erant cælestia, concedendum erat, ipsum e cælo esse: nam baptizamus Ioannis e cælo erat, et secundus homo de cælo cælestis. De cælo est, et in cælo est, quidquid est supra carnem et sanguinem. Non solum Christus e cælo erat, sed et cælum ipsum ad nos adtulerat, vt videbis. Ad id quod obiicis, eum missum a patre, non est difficile respondere, cum et Ioannes dicatur missus a Deo, Ioan. 1. fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Prophetæ et apostoli omnes missi a Deo dicuntur. Declarat hoc ipse Christus Ioan. 17. Sicut tu pater me filium tuum misisti in mundum, ita ego mitto apostolos in mundum. Et Ioan. 20. sicut misisti me pater, ita ego mitto vos. In has comparationes, quas Christus ipse faciebat, incidere cogor, vt veritas planior fiat. Illud verum est, quod singularis est Christi missio, et a patre exitus, vt ex verbi arcano constabit. Similiter, quod Christum in mundum venisse dicimus, non debet mirum videri, cum et aliis hoc conueniat. Ioan. 1. omnem hominem venientem in hunc mundum. Iesum Christum in carne venisse, docet Ioannes contra duas hæreses tunc vigentes. Prima erat discipulorum Simonis magi, dicentium, Christum fuisse phantasma, sine vera carne. Contra quos carnem ille nominat. Altera mox sequuta erat hæresis Ebionis et Cerinthi, dicentium, Iesum purum hominem sine substantia deitatis, et ante Mariam nihil fuisse. Contra quos docet Iesum venisse, et fuisse antea verbum apud Deum. In sequenti

quentibus aperte videbis huius rei veritatem. Videbis aperte, trinitariorum nostrorum nugas, nemini fuisse tunc notas. Dictum Ioannis contra iam dictas hæreses citat Polycarpus in epistola ad Philippenfes. Idipsum in plerisque locis facit Ignatius, ac etiam Irenæus. Hi omnes trinitariorum nostrorum figmenta nec docuerunt, nec cogitarunt. Simpliciter prædicarunt, Iesum illum esse verum Messiam filium Dei: eundemque in propria persona et substantia fuisse verbum apud Deum, modo trinitariis omnibus sophistis incognito, et nunc vere cognoscendo.

Argumentari tertio quis potest, Quomodo Christus ad Philip. 7. non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo? Ad hoc respondet ipsemet Christus. Nam Ioan. 5. arguebant eum pharisæi, quod se faceret æqualem Deo. Quibus respondens Christus, hanc æqualitatem non negavit, sed dixit se habere omnem potentiam, et facere omnia quæ pater facit. Sicut pater, ita et filius suscitatur mortuos, cæcos illuminat, læproso mundat, surdos paraliticos dæmoniacos et alios curat. Pater omne iudicium et omnem potestatem dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Ecce quomodo Christus se ipsum testatur esse æqualem Deo. Ecce qualiter *μορφῇ*, id est, species deitatis in eo relucebat, cum tanta operabatur miracula. Speciem et formam diuinam habebat Christus, etiam ab æterno, ut dicemus postea. Nunc præsentem in eo contemplemur diuinam speciem, et cum diuina specie diuinam potentiam. Cum ea Christi tanta potentia coniungit Paulus animi humilitatem, quam tanquam specimen, nobis imitandam proponit. Humilitatem Christi maximam docet. Nam ea tanto maior est, quanto maiore præditus maiestate et potentia, magis se submittit et deiicit. Potentia solet alios tyrannos efficere. At in Christo non sic. Ille in forma Dei existens, tantam in se deitatis æqualitatem non arbitratus est rapinam facere. Noluit Chri-

Tertium
argu-
mentum
pharisæ-
orum.

stus tyrannice ad rapinam sua potentia vti. Non acceptauit rapinam illam, dum cognouit, quod rapturi erant ipsum, vt facerent regem, Ioan. 6. Sed humili habitu se gerebat, regnum suum non esse de hoc mundo volens. Potuit Christus diuinam illam speciem, seu diuinam formam, in monte visam, vbique seruare, vt cælestis rex inter homines conuersari. Sed pro nostra salute maluit seruilem habitum vsque ad crucem gestare. Non arbitratus est rapinam, noluit ea, quam habebat dei potentia, raptis duodecim legionibus angelorum, se contra Iudæos violenter defendere. Sed humiliter pati voluit. Aequalis ergo dicitur Christus Deo, ratione potestatis sibi ad Dei æqualitatem datæ, dicto cap. 5. Omnia quæ habet pater, sua sunt. Per eum fiunt omnia, quæ verbo dei fiunt, cum ipse sit verbum dei. Aequalitatem hanc virtutis notavit ipsemet Christus, dicens, Erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei, Lucæ 22. Aequalitatem hanc Christi, et ad dextræ virtutis Dei exaltationem, docuit Paulus Ephes. 1. ipsum dicens constitutum super omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, et supra omne quod nominatur, non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Denique omnia subiecta esse pedibus eius, et eum datum super omnia caput ipsi ecclesiæ, qui omnia in omnibus implet. Aequalitas virtutis dei in eo notatur Dani. 7. Ecce filius hominis veniebat, vsque ad antiquum dierum peruenit, et data est ei omnis regia potestas. Ieremias quoque cap. 30. hunc admiratur, qui ita accedit, et applicatus est Deo, vt vsque ad æqualitatem sibi appropinquet. Apud Zachariam cap. 13. vir ille Iesus dicitur Deo אֱמִתִּי amith, socius, et coequalis. Omitto hic referre fabulosa figmenta, de metaphysica illarum trium inuisibilium rerum naturali rapina, et æqualitatis arbitramento: quasi inter res illas caderent eiusmodi affectus. Eo magis, quia Paulus de illis nunquam cogitauit. Is, inquit, affectus sit

ctus sit in vobis, qui fuit in ipso Christo Iesu, qui substantialiter existens Deus, et in forma Dei, non in rapinam putavit, æqualiter esse Deo: non cogitavit, ut suam diuinam potentiam in rapinam verteret. Sed humiliter se gessit, postea per resurrectionem exaltatus. Quod naturæ diuinæ proprie non conueniat humiliatio, docet Cyrillus, lib. 8. Thesauri, cap. 1. Non secundum naturam verbi, inquit, est Christus humiliatus: nam homini conuenit humilitas, cui conuenit exaltatio. Natura ergo diuina in se nec humiliata est, nec exaltata, sed homo ipse Christus. Ita exponit Augustinus initio libri tertii, contra Maximinum, alias sibi passim contrarius. Ignorabat rationem personæ, quam dicemus postea. Ipse homo Christus in specie Dei constitutus, non in rapinam putavit, æqualiter esse Deo. Non cogitavit, ut ea æqualitatis dei virtute ad tyrannidem aliquam, vel rapinam vteretur. Vere fuisset rapina, si ab eo opere se violenter abdicasset, ad quod pater eum destinauerat, aut si regiam huius mundi tyrannidem sibi vsurpasset. Hæc est propria significatio vocis ἀρπαγμός. Christus nihil eiusmodi curauit, nunquam aliquid ab aliquo violenter rapuit. Hanc sententiam illustrat græcus articulus τὸ, et ἴσα aduerbium æqualiter, quod hominis dispositionem notat, non metaphysicas illas, et incorporeas æquales naturas. Ut dicat Paulus, Hoc ipsum, quod esset æqualiter Deo, non arbitratus est Christus, ut rapinam faceret. Hic est verissimus sensus. Paulus non facit vim in voce æqualiter, sed ex specie deitatis infert. Inquit enim, quod speciem Dei habens Christus, non arbitratus est τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, non arbitratus est illud esse æqualiter Deo, quod in forma Dei existens habebat, in rapinam fore. Quod vero ait apostolus, formam seu speciem serui Christum sumpsisse, ideo dicit, ut distinguat a forma seu specie Dei, de qua dixerat: utròque enim ponitur μορφή. Et in eo ipso maiorem exprimit humilitatem. Nam

utraque specie pollens, humiliore usus est. Non specie et fortitudine Dei, sed quasi vnus ex hominibus. Ipsemet homo Iesus, qui antea habebat speciem Dei, postea accepit speciem serui vt videbis. Et dicitur habitu repertus vt homo, sicut ait psalmista, Vt homines moriemini, licet dii sitis, psalm. 81. Et Samson, quia fortissimus, quasi non homo, sed plusquam homo, dixit, Ero tunc debilis, sicut homines.

Ecce vniuersos scripturæ locos, qui de æqualitate Dei loquantur, a nostri seculi pugnis penitus remotos. Et certamen illud inter illas inuisibiles personas, de æqualitate vel inæqualitate naturæ, quod a Syluestrino seculo totum orbem per Arrianos concussit, fuit inuentum satanæ vt mentes hominum a cognitione veri Christi alienaret, et tripartitum nobis Deum faceret. O Iesu fili Dei miserere nunc nostri, vt te cognoscamus filium Dei.

Visis contra Christum pharisæorum rationibus, antequam ad sophistarum rationes veniamus, duos scripturæ locos declarabimus, ex quibus trinitatis ratio colligitur. Vnus est. I. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater, sermo et spiritus, et hi tres vnum sunt. Alter locus est Matth. 28. Baptizate in nomine patris et filii et spiritus sancti. Ad quorum facilem explicationem est aduertendum, quod vna et eadem deitas, quæ est in patre, communicata est filio Iesu Christo immediate et corporaliter. Deinde eo mediatore, per ministerium angelici spiritus, communicata est spiritualiter apostolis in die pentecostes. Christo soli a natura est deitas insita corporaliter et spiritualiter. Deinde ab eo datur aliis sanctus et substantialis halitus. Vtrumque communicationis modum, corporalem et spirituales ferorsum postea exponemus, substantiam ipsam spiritus sancti ostendentes, quod sit eadem deitas cum patre et

tre et filio. Nunc ad primum Ioannis locum dicimus, scopum eius esse, vt probet, Iesum illum esse filium Dei. Ad quod probandum adducit sex testimonia, tria in cælo, et tria in terra, omnia concorditer testantia, hunc Iesum esse filium Dei. Hoc loco testatur fermo de filio, vt de re alia, ne sophistæ sermonem illum dicant filium. De cælo itaque probaturus Ioannes, adducit testimonium cæleste in Iordane, quando angelico ministerio descendit spiritus sanctus, quasi columba, et facta est vox de cælis. Hic est filius meus. Apparentia, et manifesta testimonia citat Ioannes, alioqui nihil probaret. Manifesta ibi vox, et auditus fermo de cælo, testatur, hunc Iesum esse filium Dei. Pater proferens ibi manifestatur, de cælo testificans hunc esse filium suum. Et spiritus in eum de cælo veniens, ibi manifeste visus testatur. Similia de se tria testimonia citat ipsemet Christus Ioan. 5. Et hæc omnia vnum sunt, quia conformiter de eadem re testantur, eiusdem deitatis vnitatem. Tria alia in terra testimonia citat Ioannes, quæ sunt spiritus, aqua et sanguis: quando fluentibus ex latere Christi aqua et sanguine, emisit spiritum, eum Deo commendans, vt homo in terra moriens. Sed quid hi testantur? Equidem non rem aliquam incorpoream, sed hominem ipsum esse filium Dei, a quo moriente illi tres testes egrediebantur. Vides mentem Ioannis, qui nullum non mouet lapidem, vt probet Iesum hunc esse filium Dei. Scopus omnium scripturarum est Iesus filius Dei. Ad hoc credendum nos hortatur Ioannes, si in Christo viuere volumus. Qui credit Iesum esse filium Dei, ex Deo natus est. Quis est qui vicit mundum, nisi qui credit Iesum esse filium Dei? Qui hoc ita non credit, non est Christianus. Qui hoc non credit, non est fundatus super illam firmam petram, Tu es Christus filius Dei viui, Matth. 16. Fundamentum nostræ salutis, et fundamentum ecclesiæ, est cum fiducia credere, hunc Iesum Christum esse filium Dei saluatorem nostrum.

Ad alterum locum dicimus, quod quamquam baptismus ex apostolorum doctrina rite conferatur in nomine Christi, cum Christus in se contineat patrem et spiritum sanctum vnctus vngentem, et vnctionem, tamen latius voluit Christus omnia exprimere, patri honorem deferre, et spiritum sanctum baptismo adiungere, cum ibi spiritus sancti munus vnice patefiat. Primo ergo ait: Baptizate in nomine patris: quia ipse omnis doni est primus, verus et originalis fons. Iacobi 1. In nomine filii, quia per ipsum habemus reconciliationem et donum hoc: nec est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, acto. 4. In nomine spiritus sancti, quia spiritus sancti donum in baptismo datur, Ioan. 3. et acto. 2. Hanc esse trinam diuini nominis inuocationem, ait Petrus in recognitionibus Clementis, lib. 3. et 6. Trinam ibi ait beatitudinem et triplex mysterium. Tres sunt manifestationis modi, seu personæ, non metaphysica illa rerum incorporearum in Deo distinctione, sed sacramenti exhibitione, per Dei *οἰκονομίαν*, vt docent Irenæus et Tertullianus. Adde his dictum Hilarii initio libri secundi de Trinitate, Baptizare iussit Christus, in nomine patris et filii et spiritus sancti, id est, in confessione authoris, vnigeniti, et doni. Author est ingenitus Deus pater, ex quo omnia: vnigenitus est Iesus Christus, per quem omnia: et spiritus sanctus donum in omnibus, singulare munus baptismi. Infinitas est in æterno, species in imagine, vsus in munere. Ecce verissimam trinitatem ex prisca doctrina: inuisibilem in infinito Deum patrem, speciem imaginis visam, et munus inde procedens. Vtinam hunc intellectum seruasset semper Hilarius, et vtinam hæc eius verba non obscurasset Augustinus Lib. 6. de Trini. cum reliqua sophistarum turba, vt habetur libro primo senten. distin. 31.

At vero, quales sint ipsorum rationes videamus, quibus res incorporeas distinctas in Deo pessimè concludunt. Ratio

vna

vna ab eis fumitur ex eo quod scriptum est Io. 10. Ego et pater vnum sumus. Quem locum exponens Augustinus in Ioannem fermone 56. et in eundem Ioannem tract. 36. et 71. inducit contra Arrium, qui dixit, vnum: et contra Sabellium, quia dixit fumus. Vnde duas illas res incorporeas contra Sabellium, et vnā in eis æqualem naturam contra Arrium validè concludit. Et hinc miros canit triumphos. Tu vero lector perpende, Iesum ipsum ibi loqui, Et dixit, fumus: quia Deus et homo. Dixit, vnum: quia vna deitas, vna potestas, vnus consensus, vna voluntas hominis cum Deo. Hoc constat esse vnā *ὁυσίαν*, et vnā *ἐξουσίαν*. Vñam solum legimus in Euangelio Lucae ca. 15. et proprie significat substantiam domesticam, facultates, opes, et diuitias. Exusia passim legitur, et vbi de potestate sibi a patre tradita loquitur Christus, ponitur dictio exusia, quæ in Christo fere vt vsia, significat potestatem, facultates, et potentiæ diuitias. Quæ omnia in Christo sunt opulenter, et eius cum patre est vna *ὁυσία*, vna *ἐξουσία*. Ipse est Deo patri *ὁμούσιος*, vere consubstantialis, et vnum cum Deo. Hic fuit veterum intellectus facilis in expositione illius dicti, Ego et pater vnum sumus. Id ita docent Origenes libro octauo contra Celsum, et Cyprianus in epistola ad Magnum, exponentes, hominem esse vnum cum Deo. Confirmatur hic intellectus ex eiusdem Christi dictis, quibus docet, nos esse vnum cum ipso, sicut ipse est vnum cum patre. Non solum per consensum, sed substantialiter sunt veri Christiani vnum cum Christo, vt ostendemus. Docent hoc Irenæus et Tertullianus plerisque locis. Docet Hilarius libro octauo de Trinit. et Cyrillus in Ioannem. Per substantiam Christi nos vnum sumus, sicut ipse est substantialiter vnum cum Deo.

Secunda ratione inuisibilium rerum triadem probant sophistæ, ex eo quod scribitur exo. 3. Ego Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. At ibi nihil metaphysicum nota-

b. 5.

ri, ex

ri, ex eo probatur, quod loquens Deus ad Iacob, dixit, Ego sum Deus patris tui Abraham et Isaac, genes. 29. et 32. Ex hoc tamen inferre nequis duas aliquas res metaphysicas. Loquens etiam Deus ad Isaac dixit, Ego sum Deus patris tui Abraham, gen. 26. Si tres illæ res ibi intelliguntur, quomodo in actis dicitur, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob pater Iesu Christi? An illa trinitas dicitur pater illius secundæ rei, aut pater hominis? Lombardus quidem lib. I. sent. dist. 26. ex Augustino et Hilario docet, hominem esse filium trinitatis, ac totam trinitatem esse patrem hominis. Hilarius libro vndecimo de trinit. exponens illud Christi, Ascendo ad Deum meum, patrem meum, et patrem vestrum: totam trinitatem ait esse patrem ipsi homini Christo, vt est aliis hominibus pater. Augustino libr. 5. de trinit. tota trinitas est pater creaturæ. Idem eis est pater humanitatis Christi, et pater deitatis, et tota trinitas pater. Ergo filius incorporeus, et homo corporeus, vterque est filius trinitatis, et a tribus est genitus. At nos his omnibus figmentis exclusis, cum dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deum intelligimus occurrere, ne Iudæi pluralitatem deorum crederent. Nam ad istam pluralitatem, sicut et hodie nos, erant ipsi proni. Pro numero ciuitatum soliti erant multiplicare Deos, Iere. 2. et II. Prouidens ergo Deus, ne iuxta numerum ætatum, seu generationum hominum, multiplicarent Deos, alium credentes fuisse Deum Abrahæ, alium Deum Isaac, alium Deum Iacob, eundem se Deum omnium illorum dixit, vt ex verbis quæ præmisit ostendit, dicens, Ego sum Deus patrum tuorum, Ego sum ille Deus, qui eduxi te de terra Ægypti, et de Vr Chaldæorum. Exodi quoque cap. 6. ait Deus, se esse illum, qui apparuit aliis. Ego, inquit sum Deus, qui visus sum ipsi Abrahæ, Isaac, et Iacob. Et Esa. 48. ego ipse, ego primus, ego nouissimus. Alia ratione dixit se Deum Abraham, Isaac et Iacob, quia ad imple-

das pro

das promissiones eis factas incipiebat tunc Deus Israelitas per Mosen visitare. Tertia quoque ratione, se Deum illorum appellavit, ut ostenderet eos totos in vitam redituros, imo et iam praesentes Deo vivere. Lucæ 20.

Tertio argumento ex tribus viris ipsi Abraham visis tres incorporeas res in Deo colligunt, eo quod Abraham tres vidit, et unum adoravit, Genes. 18. Ad hoc ego dico, fuisse angelos ipsi Abraham visos. Persona Christi per angelum tota lege figurabatur. Angelus erat ad Christum pædagogus, sicut lex ipsa. Tunc ille quasi Deus, et in verbo Dei loquebatur, et in eo erat relucencia Christi. Angelus loquebatur ut Deus, genes. 16. et 22. Angelus dixit ipsi Iacob, Ego sum Deus Bethel. genes. 31. Ad Mosen loquutus est angelus, dicens, Ego sum Deus Abraham Isaac et Iacob, exo. 3. et acto. 7. Angelus vnus ibi, quasi Deus, præ aliis loquebatur, Christi personam adumbrans, eius fulgore clarus, ut postea videbis in verbi relucencia. Angelis angelum principem fecit Deus, principem synagogæ, qui quasi Deus Iudæis loquebatur. Hinc dictus est מִיכָאֵל Michaël i. e. quis quasi Deus. Aliiter ille loquebatur ad Abraham, quasi Deus, dicto cap. 18. et aliter duo angeli ministri, qui perrexerunt Sodomam, ut sequens caput ibi docet. Quando dixit Deus, angelus meus præcedet te, angelus meus intelligitur Michael, ut et Hebraica vox indicat, quæ ipsummet Michaëlis nomen continet. Ex iisdem enim Hebraicis litteris constat מֵלָאכִי et מִיכָאֵל: eo magis, quia angelus ille peculiariter dictus est princeps Iudæorum. Augustini ratio parum concludit lib. 2. de Trinitat. eo quod coram duobus angelis se incuruavit Loth. Honoris enim causa id factum est ab hospitali viro, etiam si nesciret esse angelos, Heb. 13. Quod dominos vocarit Loth, nihil ad Augustini somnia, quia non ponitur ibi nomen tetragrammaton: sed commune nomen, quo homines vocamus dominos. Angelis et id, et aliud nomen tribui po

bui poterat, eo magis quia ipse dominus adfuit, cum incendenda fuit Sodoma. Desipit Augustinus, inquirens, an duo illi hospites Loth, fuerunt pater et filius aut pater et spiritus sanctus, aut filius et spiritus sanctus. Ridiculæ nenix.

Argumentis dictis addit Lombardus lib. I. sent. ad finem distinctionis secundæ, quod singulæ pene syllabæ noui testamenti illam rerum trium inuisibilium trinitatem concorditer insinuant. At mihi non syllabæ sed singulæ litteræ litterarum apices omnes, ora infantium, et lactentium, imo et lapides ipsi clamant vnum Deum patrem, et Christum eius dominum Iesum. Vt 1. Timot. 2. Vnus enim Deus, et vnus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Et 1. Cor. 8. Nobis vnus est Deus, qui est pater, et vnus dominus Iesus Christus. Ioannes etiam, cui cæli in apocalypsi fuerunt aperti, solum vidit Deum patrem, et Christum eius. Solus Deus et agnus ibi laudantur, et adorantur. Stephanus quoque apertis cœlis vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dextris eius. Item Matth. 23. vnus est pater et vnus magister Christus. Et Ioan. 8. ego solus non sum, sed ego et pater. Non sum, inquit, solus, quia pater mecum est. Non nouerunt patrem, neque me. Cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Quando dixit, Nemo nouit patrem, nisi filius, nec filium nisi pater: an tertia illa res hoc ignorabat? Tertiam illam rem omisit Ioannes in epistola prima, desiderans nos habere societatem cum patre et filio eius Iesu Christo. Similiter 1. Timot. 5. Obtestor te, inquit Paulus, in conspectu Dei, et domini Iesu Christi, et electorum angelorum. Nota solennem Pauli protestationem fieri coram Deo Christo et angelis, non coram tertia illa re. Quam tamen metaphysici volunt æqualem secundæ, et æque illi in folio trinitatis collocatam, in tertio angulo, triclinii. Quod ita suo hymno canunt, In maiestatis folio tres sedent in triclinio. At Christus aliter docet apoc.

3. Confitebor coram patre meo, et coram angelis. Grauem tertiæ rei iniuriam, quod coram angelis dicat Christus, non coram ea. De se solo, patre, et angelis, facit Christus mentionem Marci 8. Lucæ 9. et 12. Ioannes apoc. 1. desiderat nobis gratiam, et pacem a Deo, a septem spiritibus, et a Iesu Christo. Tertiæ rei non meminit. Irenæus in plerisque locis libri tertii, et in prologo libri quarti, neminem ait in scripturis appellari Deum, nisi patrem omnium, et filium. Iesum. Nec Irenæus, nec Tertullianus nec veterum aliquis, rem tertiam Deum esse dixit. Horum omnium rationes in spiritus sancti dispensatione postea vidibis, et spiritus sancti substantiam diuinam intelliges, licet non ita visibilis persona subsistat, vt filius.

Rationibus nunc, et autoritatibus, tres illas res incorporeas distinctas in Dei vnitatem stare non posse ostendamus. Triadem hanc imaginariam improbare primo possem sedecim rationibus, quas ponit Robertus Holcot, in primo sententiarum distinct. 5. Ad quarum nullam bene respondet nec respondere potest, nisi sophistice, vt ipsemet fatetur. Vide Augustinum initio librorum de trinitate. Vide præludia Petri Aliacensis lib. 1. quæst. 5. vbi fatentur, sacris litteris non probari illam rerum triadem, sed traditione esse receptam. Audi quid nostro seculo de hac re scribit Ioannes Maior in primo sententiarum distinct. 4. in solutione sexti argumenti, vt intelligas, quam viriliter Deum vnum sophistæ defendant. Tres illas personas absolute concedunt esse res distinctas: et Augustinus libro 1. de doctrina Christi. ait esse res quibus fruimur. Personam item aiunt esse substantiale nomen, vt docet Augustinus Lib. 7. de trinit. et sequuntur omnes lib. 1. sententiarum distinct. 23. Hinc ergo ab inferiori ad superius arguendo, Ioannes Maior ex tribus personis tres hypostases, tres substantias, tres essentias, tria entia, absolute concludit: ac perinde tres absolute Deos. Esse tamen ait vnum ens con-

notati

notatium, seu vnam essentiam connotatiuam. Voces eas connotatiue ab eis sumi refert: quod etiam colligitur ex magistro ipso. lib. 1. sent. dist. 25. Est igitur nobis connotatiuus Deus, non absolutus Deus? Sunt ne hi veri tritoitæ qui tres realiter distinctos incorporeos Deos absolute faciant? tres realiter distinctas simplices res incorporeas? tria entia? Argumentum ab inferiori ad superius tria absoluta entia valide concludit: et tres essentias, quia omne ens est essentia. Hoc in Hilarii synodis conceditur, vt sint in Deo tria per substantiam. Hoc ipsum magister concedit citata dist. 25. et reliqui sequuntur. Argumento quoque à conuertibilibus, ex tribus rebus tria entia euidenter concluduntur: deinde tres essentiæ, et tres dii. Contra Iudæos suam trinitatem illi demonstrant, eo quod Elohim plurali numero dicitur dii: ergo duo dii, aut tres dii, aut plures. Si ratione trinitatis sunt dii, tres sunt dii, incorporei et realiter distincti dii. Si realiter distincti, et essentialiter distincti, argumento a conuertibilibus absolute sumptis. Veri ergo hi sunt tritoitæ, et veri sunt athei, qui Deum vnum non habent, nisi tripartitum et aggregatiuum. Connotatiuum Deum habent, non absolutum. Imaginarios Deos habent, illusiones dæmoniorum. Athanasio, Hilario, Cyrillo, Nazianzeno, Basilio, Augustino, et reliquis omnibus est quidam ingenus Deus, est quidam genitus Deus, et quidam nec genitus nec ingenus Deus: ergo tres dii. Alius innascibilis Deus, alius natus Deus, alius procedens Deus. Nam Deus ingenus non est ille genitus, et ille genitus non est ille procedens, ergo alius Deus et alia res. Vnus est Deus mortuus, duo non mortui: vna persona mortua, duæ non mortuæ: vna res mortua, duæ non mortuæ. Sed rationes alias ex ipsorummet principiis adducamus, vere concludentes, non solum tres illas res in vno Deo stare non posse, sed et inimaginabiles esse. Nam habens noti-

tiam

tiām trinitatis: haberet notitias distinctas illarum trium rerum, et sic staret habere notitiam vnius, non habendo notitiam alterius, quod omnes negant, citantes illud, qui videt me videt patrem. Respondent ipsi, aliquem habere notitiam trinitatis, quia habet notitiam Dei, connotando quod sit tres illæ res. Sed hæc responsio est manifeste vana, et sophistarum figmenta sapit, in terminis connotatiuis omnia sita. Vanum est, et eorum principiis repugnat, quod per vnā notitiam possint tres res connotari, cum per tres alias illæ non possint absolute significari. Omnis enim significatio connotatiua aliam præsupponit absolutam. Suis regulis est hoc publice receptum. Est etiam omnibus porphyrica regula, Ab essentiali quacunque conuenientia abstrahibilem esse conceptum, absolute et incomplexè significantem. Si absoluti esse possunt de rebus diuinis conceptus, quales illi sunt? An Christo et Angelis est nota trinitas illa? Si tres in eis sunt trium distincti conceptus absoluti, tres absolutos Deos distincte illi cognoscunt? Christus plane docuit, angelos videre faciem patris sui, alias autem res non videre. Christus ipse in se ipso aliud nihil quam patrem hodie in cælo videt. Somnia ut voles, dirige oculos ad phantasmata, et tunc plane videbis, tuam trinitatem non esse intelligibilem sine tribus phantasinatibus: quia necesse est, intelligentem phantasmata speculari. Imo quaternitatem intellectu colis, quamquam verbo neges. Nam quatuor habes simulacra, et quartum est circa essentiam phantasma, quia necesse est intelligendo essentiam, phantasma aliquod speculari. Si oculatus sis, et aduertas, trinitatem tuam inuenies esse falsarum in imaginatiua specierum motum qui dementatum te tenet. Athei vere sunt trinitarii omnes. Nam quid aliud est, sine Deo esse, quam de Deo cogitare non posse, obiecta semper intellectui nostro quadam imminenti trium rerum confusione, a qua semper, quum de Deo cogitamus, dementamur

tamur. Tres sunt in cerebro mali spiritus, qui homines ita fascinant, ut ait Ioannes Apoc. 16. Sufficit credere, inquiunt ipsi, quanquam res non sit intelligibilis. In hoc stultitiam suam pandunt, quod rem admittunt inintelligibilem. Non intelligentes, inquit, quæ loquuntur, neque de quibus adfirmant. 1. Timot. 1. et in iis quæ ignorant blasphemantes. 2. Pet. 2. Eo magis, quia ipse fateris, et omnes fententur obiectum fidei esse ipsam intellectionem. Ergo, si fidem habes, ostende mihi, quæ sit illa tuæ capacitatis intellectio? Quid est id, quod a te intellectum credis? Ipsa cerebri confusio est tibi obiectum fidei? Viderit iam Augustinus, qualiter lib. 1. de trinit. et lib. 1. de doctrina Christi se iactarit, Trinitatem ab ipso intelligi et mente purgata cerni. Illusiones varias ille cernebat, quod in sequentibus apertius adhuc ostendam. Affirmat ipse Augustinus in epistolis ad Fortunatianum et Paulinam, Deum in futura beatitudine non esse a nobis videndum, nec ab angelis ipsis. Internas vero de trinitate nobis esse mentis illusiones fomniat, totam hominum et angelorum felicitatem euertens: quasi plus videat nunc anima nostra, quam visuri sunt angeli, et reliqui sancti.

Hanc insuper adde rationem, contra falsas trinitariorum notitias. Nihil est in intellectu, quin secundum se, vel aliquid simile, seu proportionabile, prius fuerit in sensu, 1. poster. et 3. de anima. Non enim potest surdus musicam discere, nec cæcus perspectiuam, cum nequeant vere in intellectu esse, quæ non potuerunt esse in sensu. Ac de tribus talibus rebus, vnā ita constituentibus, nec in imagine quidem habuisti vnquam sensationem, cum nec duæ, nec tres, nec plures, in vnā ita concurrentes alicubi reperiantur. Atque ita non reperitur fundamentum sensu perceptum, vnde talem notitiam intellectus concludat. Imo fatigatur, et confunditur eo ipso quod circa id speculāri contendit, quasi super inani, sine fundamento sensus ædificans. Præ-

terea, imaginemur solam personam patris esse, ut aduersarii facile admittunt, cum personas ab essentia formaliter distinguunt. Tunc rogo, Cum cuius rei conueniat, propriam habere essentiam, et propriam naturam, qualiter imaginari potero multiplicationem rerum, sine multiplicatione essentiæ? quod noua res accedat, non noua natura?

Non solum rationibus, sed et autoritatibus innumeris pluralitatem hanc vitare docemur, tam ex nouo, quam veteri testamento. Matth. 19. vnus est bonus Deus. Marci 10. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Nonne igitur solo unitatis nomine contenti sunt, qui re ipsa vnum non agnoscunt? sed sua factitia connotatiua essentia, ad rerum et absolutorum deorum pluralitatem se conuertunt? Aduerte autem, quod filius est qui ibi loquitur. Ex quo omnem unitatis Dei rationem in patre esse constat. Vnus est Deus pater, et vnus dominus Iesus Christus. 1. Cor. 8. Vnus est Deus, et pater omnium, Ephes. 4. Vnus est Deus et vnus conciliator Dei et hominum. 1. Timoth. 2. Mirum, quod nunquam dixerint apostoli, primam illam rem aut primam personam esse patrem secundæ, sed Deum esse patrem Iesu Christi? Non dixerunt vnquam, rem illam secundam esse filium Dei, sed Iesum ipsum esse filium Dei. Item quando Ignatius, Irenæus, et alii antiquiores Deum vnum omnipotentem prædicant esse Deum veteris et noui testamenti, eundem ipsum esse dicentes patrem Iesu Christi: quid ex hac prædicatione auditor tunc colligeres? Tertullianus quoque, quamuis aliquando Montanizet, præclaras veritates multas ex apostolica traditione prædicat. Antiquus est liber, qui dicitur Clementis, discipuli Petri, in quo planissime Christus prædicatur: in quo multiplicem antiquæ simplicitatis inuenies odorem. Ignatius Ioannis euangelistæ discipulus, in epistola ad philadelphienfes ita scribit: Si quis Deum legis, et prophetarum vnum prædicauerit, Christum autem negat es-

se filium eius, mendax est. Si quis confitetur hominem Christum Iesum, negat autem Deum legis et prophetarum patrem esse Christi, hic in veritate non stat. In epistola quoque ad Tarsenses, aperte docet, quod Christus hic non est ille qui est super omnia Deus, sed est filius ipsius. Similia in Iustino legas, vt ab Irenæo et aliis citatur. Vtinam extarent scripta eorum omnium, qui eo seculo vixerunt. An non trinitariis nostris tota trinitas erat Deus legis? An Iesus Christus eis non dicitur filius totius trinitatis: Ergo non est filius Dei legis. Cogita quæso, quare ille antiquis vsitati modi loquendi, in trinitariis nostris non reperiuntur, sed alii longe diuersi, veteribus ignoti? Hæc sola ratio est valida, si bene cogites, quod totus Irenæi liber contra omnes hæreses hanc materiam tractat, et tamen nunquam trinitariorum nugas meminit: quia realitates hæ nondum venerant in memoriam hominum.

Ad vetus iam testamentum transeamus. Præceptum ibi pluries est, ne pluralitatem in Deo, sed tantum vnitatem confiteamur. Exo. 20. ego sum Deus tuus, et non erunt tibi alii dii præter me. Deut. 6. audi Israel, Iehoua est Deus noster, et Iehoua vnus est. Ibidem quoque capi. 4. ait, scito hodie, et cogita in corde tuo, quoniam Deus ipse est Deus in cælo sursum, et in terra deorsum, et non est alius præter eum. Ipse est Deus solus, Deu. 32. 4. reg. 19. psa. 85. Esa. 37. et Ioan. 17. Solus hic dicitur Deus, quod trinitatæ negant, dicentes, eum tres semper habuisse socios. Hanc rationem adducunt, Quia non fuisset consolatio perfecta solitario: ideo tres sedebant in triclinio. Per prophetam ipse Deus ait, Ego dominus, et non est amplius. Extra me non est Deus, absque me non est dominus. Ego dominus, et non est alter, Esa. 43. et 45. Tot authoritatibus fulciuntur Hebræi, vt tripartitum Deum a nostris introductum merito admi-
rentur. Schismaticum putant testamentum nostrum
quia

quia nos a sui Dei vnitatem et simplicitatem ita abhorrere vident: et quia maiorum suorum nemo unquam tale quid cogitavit.

Quid de Mahometanis dicemus, qui ob id ipsum a nobis diffident? Quam misere ab eis proscindimur? Et merito, iusto Dei iudicio, quia nemo est qui redeat ad cor. Trinitas hæc aperte improbatur in eorum Alchorano azoara 11. 12. et 28. ubi docet Mahometus, tres illos Deos seu Dei participes fuisse patribus ignotos, esseque filios Beelzebub, quos Dei loco trinitarii colunt. Profecto tres spiritus dæmoniorum vocat Ioannes in apocalypsi. Sed latius audiamus, quid de Christo et Christianis dicat Mahometus. In cap. Soretamram, in cap. Elnesa, in cap. Elmaida. et in plerisque aliis azoaris, Christum ait fuisse summum prophetarum, verbum Dei, spiritum Dei, virtutem Dei, propriam Dei animam, verbum afflante Deo, seu halitu spiritus sancti, ex virgine perpetua natum, Iudæosque in eum nequiter egisse. Ait præterea, primos Christi discipulos fuisse optimos, et candidos viros, veraque scripsisse, nec trinitatem tenuisse, sed posteriores hoc addidisse, corruptores sanctæ doctrinæ. Azoara quarta ait, dissensiones innumeras postea ortas, de quibus nulla tunc erat lis, nec controuersia. Idem confirmat azoara 20. dicens, gentem Christianorum initio vnam, esse postea variis controuersiis dissectam, quia ad plures Deos se diuerterunt. Azoara 12. et alibi passim, causam erroris ponentium tres participes æquales, hanc esse ait, quod sunt idololatæ, imaginum adoratores, imo veri Dei cognitione priuati. Azoara 28. incorporeum filium ait patribus ignotum, esseque filios Beelzebub, quos vocant Dei participes. Azoara 29. ob hanc tantam blasphemiam cælum ait confudi, montes et terram contremiscere. Vnde azoara 50. concludit, Nos in vnum Deum credimus, non in participes positos. Audi iam quibus aliis præconiis Christum extollat. Azoara quarta iam citata ait Chri-

sto super omnia sublimato esse tributam Dei potentiam ipsamque Dei mentem. Azoara quinta ait, Christum venisse cum diuina virtute et potentia, esse faciem omnium gentium in hoc seculo et in futuro. Azoara 11. ait, in hunc Iesum Mariæ filium viros omnium legum et Iudæos, et Sarracenos, esse tandem credituros. Ibidem ait, Deo itaque et legato eius credentes, ne dicatis tres esse. Azo. 12. ait, Christum nobis attulisse euangelium, quod est lumen, confirmatio legis, et castigatio, atque via recta. Azoara 13. in Christo ait fuisse animam mundam et benedictam, eumque suis credentibus mensam cælestem præbuisse. Et in libro de doctrina Mahometi, Christus dicitur esse verbum, spiritus, et virtus Dei. Christum Mahometus vocat Ruhalla, spiritum Dei, ipsa spiratione Dei genitum. Denique omnia fere Christo tribuens, non agnoscit esse filium Dei, ut sui seculi tritoitæ filium dicebant. Imo ab incorporeis illis tribus diis, seu tribus in vno Deo distinctis rebus inuisibilibus æqualibus, est grauiter offensus. Ob prauam illam trinitariorum doctrinam desciuit a christianismo; res miserabilis et orbi tristissima. Incorporea illa deitas, realiter distincta, causam illi dedit negandi Christum esse Deum. Quando filium Dei negat Mahometus, negat illum, qui tunc iactabatur, inuisibilem filium, patri similem, ut colliges azoara centesima, et centesima vicesima secunda. Alioqui facile concessisset, hominem Iesum Christum esse filium Dei, cum concedat, eum esse a Deo in virgine genitum. Ex publico illo, etiam aduersariorum testimonio, aperte colligis, lector, trinitatem illam fuisse primis Christianis incognitam. Idipsum ex primis Christianorum scriptis colliges, et ex sequutis postea portentis. Audi nunc portenta quæ trinitarios consecuta sunt, ut intelligas, vno absurdo dato, multa sequi semper absurda.

Tritoitæ postquam hæc de tribus illis rebus imaginatio men

tio mentes hominum occupauit, tres Deos esse dixere: quod re ipsa nostri fatentur, tres absolutos, vnum connotatiuum. Arriani trium illarum rerum inæqualitatem fecerunt, secundam a prima substantia separantes. Macedonius tertiam illam rem, aliis dissimilem, meram creaturam esse dixit, non Deum. Nec mirum, quod errantes in ipso principio, agitentur postea in altum pelagus, hinc et inde semper hallucinantes, et quæstioni minori quæstionem maiorem adiicientes. Aëtiani et Eunomiani dissimiles illas res adeo fecerunt, vt tertia esset creatura creaturæ, nec posset alias duas videre quia scriptum est, nemo nouit patrem, nisi filius, nec filium nisi pater. Hoc differunt Aëtius et Eunomius ab Arrio, quod hic res illas inæquales dixit, sed similes, illi et inæquales, et dissimiles. Ita refert Epiphanius in earum hæresium narrationibus, ita Eusebius in historia ecclesiastica lib. 10. cap. 25. Ab Arrio quoque substantias separante differebant Donatistæ quidam, in eadem substantia ponentes filium inæqualem patri, vt ait Augustinus de verbis apostoli, sermone 31. Metangismonitæ filium et patrem vasa duo dicebant, et vas minus in vase maiore. Alii in Deo tres partes diuidebant. Maximinus, quod pater sit pars Dei, et quamlibet personam tertiam partem trinitatis esse timebat. Ante Maximinum quoque Manichæus, filium esse portionem quandam substantiæ patris affirmavit, vt lib. 4. et 6. refert Hilarius. Hieracchas apud eundem Hilarium lucernam decidebat de lucerna, deitatis lampadem in duas partes fecans, velut ellychnio diuiso. Sabellius vnitatem Dei tenens, communicationis et dispensationis modum ignorauit. Ipsummet patrem dixit esse filium, et ipsummet patrem esse mortuum. Ob quam rem dictus est patripassianus, sicut Noëtius et Praxeas. Nestorius alium filium Dei, alium filium hominis Iesum esse dixit..

Sed quia inter hæreticos, extra ecclesiam, esse hæc orta portenta

c. 3.

tenta, causantur sophistæ, ea non amplius persequar, quamquam sint innumerabilia. Ad ipsosmet sophistas, et ad eorum ecclesiam me conuerto, imprimis ostendens, eos esse veros Nestorianos, et duos filios re ipsa fateri quamquam verbo negent, sicut negabat Nestorius. Nam ut apparet in disputationibus Maxentii Constantinopolitani, et docet Libratus in confessione Nestorii, quæ est apud Cyrillum, Nestorius nunquam duos filios concessit: sed quibusdam strophis et technis ut nunc tergiuersantur sophistæ, sed varie defendebat. Lege ibi, et hos Nestorianos videbis, Deo odibiles sophistas. Quin et Athanasius ipse trinitariorum princeps, in dialogis duos filios facit: quia vere sunt duo nati, et duo geniti. In libro de Arriana et catholica confessione, docet, filium hominis intelligi hominem assumptum, non ipsum filium Dei. Filium hominis ait esse plenum filio Dei. Non solum duos filios concedit, alterum filium hominis, alterum filium Dei, sed et duos filios Dei, alterum tropicum alterum naturalem. Nam totus hic homo Christus nunc per tropum idiomatum est filius Dei, et alius antea erat realis incorporeus filius Dei: ergo duo filii Dei: Idem Athanasius dialogo de assumptione hominis, hominem assumptum, quem alii humanitatem vocant, ait secundum carnem esse primogenitum filium inter multos fratres, eumque filium hominis dici, Si homo assumptus homo est, et genitus est filius est. Concludit tamen sophista, vnum esse filium, quia persona vna cumulata. Cumulatam personam ipse Athanasius docet in epistola ad Epictetum, negans hominem cum verbo facere vnam substantiam. Hieronymus in epistola expositionis fidei ad Damasum papam, et Damascenus lib. 3. de orthodoxa fide, in Christo aiunt duas perfectas et integras substantias Dei et homines, filiumque esse substantiale nomen: ergo est vtraque substantia filius Deus quicquid est in nostra natura, integrum assumpsit, integra idiomata, ut loquitur Damascenus, et integras

tegras proprietates: ergo integrum filium assumpsit. Duos quoque filios Augustinus negat, et fatetur. Nam lib. 2. de trini. assumptum ait esse filium hominis, et assumentem esse filium Dei. Assumptum est semen Abrahamæ, et semen Abrahamæ est filius Abrahamæ, ergo assumptus est filius Abrahamæ. Lib. 13. de trinit. verbum ait verum filium Dei, et carnem verum hominis filium. In Enchiridio, verbum ait est Deus natus de Deo, homo autem est natus de Maria. Contra Felicianum ait, in Christo aliud est filius Dei, aliud filius hominis, sicut in homine aliud animus, aliud corpus. Et paulo post, Genuit Maria, non genuit filium Dei, genuit filium hominis. Horresco ad hanc blasphemiam, quod Maria non genuerit filium Dei. Nolo igitur plura testimonia citare, cum res ipsa ob oculos versetur, ut duos genitos, et duos natos quisque videat. Scio quod dicant, filium illum tropo idiomatum dici ex Maria genitum, et hominem hunc tropo eodem dici filium Dei. At hi tropi non impediunt, quominus reali generatione sint duo geniti, et duo filii. Imo tres. Si hic homo assumptus est Mariæ filius, illa Deitas Dei filius, et ambo vnum faciunt, iam tertius est filius, ex duobus filiis compositus. Negant sophistæ, esse vnam substantiam verbi et hominis, ne substantia illa videatur quarta in trinitate persona, et ita sit quaternitas in diuinis. Hanc rationem reddit Athanasius citata ad Epiſtetum epistola. Augustinus in Ioannem, tractatu. 27. et 99. et in epistola ad Honoratum, vnum personæ cumulum facit, ne videatur quaternitas. Si enim homo est persona, quarta est persona.

Ego vero ostensis tribus filiis quaternitatem in diuinis alia via contra ipsos ostendo. Ioachim quaternitatem in diuinis contra Lombardum arguebat et collectiuum Deum faciebat, ut habetur in cap. damnamus, de summa trinit. et fide cath. Nam essentia diuina Lombardo, et reliquis omnibus est natura quædam, non generans, ut est pater, nec genita, ut est filius, neque procedens ut est spiritus sanctus. Sed est quædam summa res. Ex quo alter inferebat, esse quoddam

quartum simulachrum, atque ita esse quaternitatem. Ego pro ipso Ioachim hanc rationem adiungo. Trinitariorum omnium sententia, nulla persona est trinitas, ut ait Augustinus. lib. 5. et 8. de trinit. nec pater est trinitas, nec filius est trinitas, nec spiritus sanctus est trinitas, sed simul sunt trinitas. Ergo collectiuè dicitur trinitas. Eo magis quia idem Augustinus contra Maximinum, lib. 2. et 3. ait esse tres copulatos. Ergo Deus, qui trinitas est, collectiuus Deus est: et essentia, quæ trinitas est, collectio, quædam est: aut si vna res est, quarta res est. In hac re confusus Augustinus lib. 7. de trinitate, et reliqui postea sophistæ, essentiam aiunt prædicari de personis, non ut materialem substantiam, sicut dicimus tres statuas esse vnum aurum: nec ut naturam de temperatis, sicut dicimus, tres homines esse vnius naturæ: nec ut genus de speciebus, nec ut speciem de indiuiduis, nec ut continens de contentis, nec ut maius de minoribus, nec ut totum de partibus, nec ut collectionem de numeris: sed ut illusionem de illusionibus. An Deus dicatur triplex sicut trinus, quæstio anceps est. Nam Isidorus in ethymologiis Deum trinum ait, multiplicem et numerabilem: quia trinitas est trium vnitas. Augustinus in Ioannem, tract. 6. ait esse ter Deum. Inde quæstio, an ab vnitatem ternarium crescat numerus? Non potest esse numerus, quin sint plures vnitates: ergo in Deo sunt plures vnitates. An pater velut momento semel genuerit, et postea desierit: an continuo generet filium illum, illuforia quæstio est. Nam generationem illam nec principium nec finem habere volunt, sed esse semper in fieri, sicut tertiæ rei processionem, quam dicunt continuo intus sufflari, ac secundam similiter continuo nasci et generari.

Quæstio alia longè acerrima superest, Quid intersit inter procedere et generari? Quare tertia illa res non dicitur generari, et non dicitur filius, sicut secunda? et secunda

cunda quare non dicitur spirati, sicut tertia? Par enim est ratio, cum sint ambæ incorporeæ, similes, et æquales. In hac quæstione Gregorius ait, non esse sibi possibile intelligere, licet credere se fateatur. Quasi fides vera esse possit sine intellectu et cognitione. Circa hanc processionis et generationis differentiam, vide scholasticos lib. 1. sent. dist. 13. mira diaboli prodigia effundentes, et dæmonum illusiones, a tribus illis filiis Beelzebub excitatas, cum relationibus et formalitatibus. Athanasius lib. 2. et 3. de spiritu sancto, rationem reddi non posse ait, quare filius non dicitur spiritus sanctus, et spiritus sanctus filius. Post quem Augustinus, hinc et inde plurima versans, lib. 2. 9. et 15. de trinit. lib. 3. contra Maximinum, quæstione decima ad Orosium, et in Ioannem, tract. 99. tandem nescit differentiam inter generationem et processionem, vt fatetur. Nasci et gigni dicitur spiritus sanctus, Ioan. 3. Quod gignitur ex spiritu spiritus est: quod nascitur ex spiritu spiritus est. Hinc Athanasius dialogo tertio, ex hoc dicto collegit, spiritum sanctum nasci ex Deo. Et in libro de professione regulæ catholicæ, spiritum paracletum probat esse Deum, quia ex Deo gignitur et nascitur. Filius quoque apertè dicitur procedere Ioan. 8. Atque ita spiritus nascitur, sicut procedit: et filius procedit, sicut nascitur. Deus dicitur pater spirituum, pater luminum, pater gloriæ, pater spiritus sancti ex Deo nascentis. Si sine reali distinctione, aut metaphysica generatione, Deus dicitur pater spiritus sancti, ita quoque dicitur pater verbi. Potiorem tamen in verbo esse filii rationem, ex Christi præfiguratione nos ostendemus, sine qua omnis sophistarum filiatio est inintelligibilis. Vt inintelligibilem Ioannes Damascenus formidat hanc generationis et processionis differentiam. Inintelligibilis res est, quod tria puncta sint vnus punctus, hinc et inde varie fluentia. Inintelligibilis res est, quod vna simplex essentia tres illas res in se contineat, quarum prima se-

cundam in dies producat, vt illæ deinde duæ in tertiam in dies fufflent: et quod in maiestatis folio gemelli illi tres fedeant in triclinio.

Hic præterea deriuationibus, et deformitatibus non obftantibus, æquales et eiuſdem potentiae, illas tres res eſſe dicunt. Imo, vt ait Auguſtinus contra Maximinum, potens eſt filius alium incorporeum filium et ille alium nepotem gignere: atque ita in diuinis quaternitatem, et quinternitatem facere. Poſteſt et tertia perſona filium realiter generare. Infiniti ita eſſe poſſunt æquales inuiſibiles dii, iuxta totam Boccati genealogiam. Quis a bono ſpiritu profectas exiſtimet cogitationes has tam horrendas? Potens eſt etiam Auguſtino illa tertia res ſeorſim fuſſare, ſe ipſam incarnare, et alium ſaluatorem facere. Solam tamen nunc ſecundam rem gerere corpus aiunt, ſolam humanitati ſuppoſitaliter vniri. Ita vt innumera ſit inde orta quæſtionum turba: Per quem modum fiat, vt ſola illa ſecunda perſona connotatiuum hominem faciat, ſuſtentet, perſonet, terminet dependentiam: cum res illæ omnes ſimul ſint, ſingulæ in ſingulis, totæ in totis: cum item opera trinitatis ad extra, vt aiunt, ſint indiuiſa. Nam hic manifeſte diuiditur deus, aut neceſſe eſt Scotizare. Super quo figmento relationes ponentem Ocham, confiteri veritatem coactum, glorientur Scotiſtæ Reales. Athanaſius libello de vnitæte fidei ad Theophilum, trinitatem ait naſci ex Maria, et trinitatem aſſumere corpus: cum vnita ſit ſemper trinitas, et actiones indiuiſæ. Trinitas deſcendit in Iordanem, et trinitas dixit, Hic eſt filius meus. Id ipſum docet Auguſtinus in fine libri quarti de trinitate, et alibi paſſim. Si trinitas dixit, hic eſt filius meus, eſt ipſe filius trinitatis, quod ipſi negant. Athanaſius in fine lib. 1. dialogorum, et in lib. de fide ſua ad Theophilum, patrem verbum et ſpiritum ait eſſe in Chriſto. Iohannes quoque Damascenus, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 6. et 7. ex Athanaſio et Cy-

et Cyrillo affirmat, totam trinitatem, totam et integram naturam Dei, esse vnitam toti et integræ naturæ hominis. Atque ita est ipsis impossibile discernere, quæ illius ternarii proportio sit in homine, cum sit substantialiter spiritus sanctus in homine. et pater in homine. Homo filius in se verbum et spiritum hypostatice continet, totam Dei plenitudinem. Sed alias eorum insulitates videamus.

Si verbum assumpfisset fæminam, tunc ipsum verbum dixissent filium Dei, et ipsam fœminam filiam hominis: quæ res duos filios palam ostendet. Ipse filius Dei esset tunc mulier, androgynos, masculo fœmineus. Si corpus asinum angeli, ad eum modum induant, concedunt ipsi angelos esse asinos, angelos in asinina pelle mori, angelos esse quadrupedes, et angelos habere longas aures. Eadem ratione concedunt, ipsum Deum esse asinum, spiritum sanctum esse mulum, et spiritum sanctum esse mortuum, si moriatur mulus. O pecora stolidissima Non mirum profecto, si turcæ nos plusquam asinos et mulos rident, Facti enim sumus sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Cæcitas maxima, quod nemo sibi in animum inducat, esse hominem ex Deo genitum. Magnus Augustinus in expositione symboli et lib. de prædest. sanctorum, Iesum Christum ait esse a filio Dei assumptum, et filio Dei Iesum Christum esse vnitum. In Enchirido, an homo Iesus debeat dici filius spiritus sancti quia est genitus de spiritu sancto, sua metaphysica illusio non intellexit. Si enim res est tertia distincta generans pater est. Princeps Athanasius in lib. de Arriana et catholica confessione Iesum Christum esse ait, filio Dei vnitum, et Iesum Christum esse plenum filio dei. Magnus Basilius contra Eunomium lib. 2. ut filium dicat genitum non genituram, mira vanitate se torquet. Magnus ille theologus Nazianzenus post Athanasium, secundam rem genitam esse dicit, tertiam vero, nec ingenitam, nec ingenitam, nec nascibilem, nec innascibilem: quod Augustinus et alii sequuntur. An a patre et filio

filio, vel a solo patre, vt Græci contendunt, tertia illa res procedat, acerrima quæstio est, quam ego facilimè postea dissoluam. Miror profecto, quare etiam non dubitant, an secunda procedat a tertia, vt causæ sint sibi inuicem causæ. Nam Esa. 48. ait Christus, Dominus misit me, et spiritus eius. Ergo filius a spiritu mittitur. Ita exponit Ambrosius libro tertio de spiritu sancto. Qui a patre venit filius, mittitur a spiritu sancto: secundum diuinitatem venit filius a patre, ergo secundum diuinitatem mittitur a spiritu sancto. In eandem sententiam Augustinus lib. 2. de trinit. filium ait a spiritu sancto missum, sicut a patre. Hilarius lib. 8. de trinit. exponens locum illum, spiritus domini super me, in ipsa diuinitate ait spiritum patris esse super filium. Filius vere dicitur a spiritu sancto genitus. Totus est spiritu sancto vnctus, totus spiritu sancto plenus, et dicitur spiritus domini esse super eum. An pater et filius dicantur duo tertiæ rei principia, vel vnus spirator collectiue, vel vnum principium, quia vna essentia, et sic an essentia sit spirationis principium, inintelligibilis quæstio est. Nam quartum illud simulachrum, quod essentiam vocant, in omnibus ociosum esse volunt. Si ergo essentia non spirat, pater et filius non sunt vnum spirans. Nesciunt an spiritus sanctus debeat dici lumen de lumine, an lumen de luminibus. Non audent concedere, quod substantia aut essentia Dei, spiret spiritum, aut generet genitum: ne substantia aut essentia relatiue dicatur. Nam Augustinus huius sophistices præceptor eximius, lib. 5. de trinit. capit. 7. regulam hanc tradit: Quod relatiue dicitur, non indicat substantiam. Quare igitur concedunt, quod Deus genuit filium? et Deus genuit Deum? Si relatiue dicitur Deus, iam non indicat substantiam, et Deus non est substantia. Deus genuit, vt aiunt, et non genuit substantiam, genuit ergo qualitatem. Contradictio est, quod concedunt, Essentia non genuit essentiam, et Deus genuit Deum.

Substan

Substantia genuit substantiam, et substantia non genuit substantiam. Natura genuit naturam, lumen genuit lumen, sapientia sapientiam, ratio rationem, spiritus spiritum, amor amorem, voluntas voluntatem, Genuit et non genuit. Pater erat sapientia atque ratio, et genuit eam. Pater non erat sophos logos, quia genuit eum. Lege Augustini dubia libro sexto, et septimo de trinit. Si dicitur Deus de Deo, quare non essentia de essentia? Si sapientia de sapientia, quare non ratio de ratione? Si persona de persona, sunt duæ personæ, quare sapientia de sapientia non sunt duæ sapientiæ? lumen de lumine, et deinde amor de amoribus tres amores? Magni referre a-iunt, an notiones sint communes, an personarum constitutiua: terminorum acceptiones si sint completæ vel incompletæ, et distributio completa, vel incompleta. Omnis est omnis, non omnis est omnis. Syllogismos omnes in hac re fallere constat. Hic a est b, et hic a est e, et tamen non concluditur b esse c, si a sit essentia, b pater, c filius! Deum non esse trinitatem ita probo, ex Augustino lib. 5. de trinit. Nulla persona est trinitas, omnis persona est Deus, ergo Deus non est trinitas. Si vniuersalem negatiuam concludi vis, ita sequitur, Omnis Deus est persona, nulla persona est trinitas, ergo nullus Deus est trinitas. Omnis essentia diuina est pater vel filius, vel spiritus sanctus, nullus pater vel filius vel spiritus sanctus est trinitas, ergo nulla essentia diuina est trinitas. Circa peculiare illarum trium personarum proprietates, innumeri alii sunt syllogismi indissolubiles. Longus est de personis sermo in primo libro sententiarum, a distinct. 25. ad dist. 35. vbi Scotus et Ocham. sectarum principes, in quibusdam notionibus, relationibus, formalitatibus, et quiditatibus, de quibus nec Christus, nec apostoli vnquam cogitarunt, fundamenta nostræ fidei ponunt. Chaos est confusum, et exitialis chimæra in qua nullus est ordo,

ordo, sed sempiternus horror. Quid hic memorent horrida præstigia Lombardi, quem ut magistrum venerantur sophistæ? Is enim in suis sententiis, lib. 1. dist. 32. quæstiones ex Augustino mouet, in quibus neuter se ipsum intellexit. Prima ibi quæstio, Quare spiritus sanctus dicitur amor, quo pater diligit, et filius non est sapientia, qua pater sapit? Quæ est ratio differentiae, quod pater dicitur diligere ea dilectione, quæ ab eo procedit, et non dicitur sapiens ea sapientia, quæ ab eo procedit? Item, an filius, qui proprie est sapientia, per se sapiat, an per patrem? Alia est enim sapientia genita, alia ingenita. Et spiritus sanctus per quam personam sapiet? Per quos ipse et filius amant? Deinde dist. 33. ca. sed forte. est Hilarii quæstio indissolubilis. Quæ est ratio differentiae, quod proprietates non possunt esse in personis, quin eas determinent, et tamen sunt in essentia, absque hoc, quod eam determinent? Quis obsecro, nisi penitus amens logomachias has sine risu toleraret? Nec in Thalmud, nec in Alchoran, sunt tam horrendæ blasphemiae. Hæc nos hætenus audire ita sumus assuefacti, ut nihil miremur. Futuræ vero generationes stupenda hæc iudicabunt. Stupenda sunt vere, plusquam ea dæmonum inuenta, quæ Valentinianis tribuit Irenæus. Ab his igitur portentis liberet nos dominus Iesus Christus, verus filius Dei, saluator et liberator noster. Amen.

DE TRINITATE

DIVINA LIBER SECVN-

duS, quorundam locorum expo-
sitionem continens.

Superiore libro, post tria de Christo axiomata, tria in eum pharisæorum, et totidem sophistarum argumenta, plurima sunt a nobis in medium perducta, quæ trinitariorum sophistarum monstra fere omnia patefacta. Hoc iam secundo libro, odorem illum cælestem sequeuti, locos aliquot enarrabimus, ut sensim nobis aperiantur scripturæ de Christo. Si qua vero supererit aliquando difficultas, in sequentibus penitus tollatur. Non enim possunt omnia in quovis loco commode exponi, in re hac præsertim tam ardua, et tanta tenebrarum nostri seculi confusione.

Primus erit locus euangelii Ioannis, in principio erat λόγος. ^{Primus locus.} Proprie significat logos internam rationem, et externum sermonem. Quoquo modo est repræsentatio certa. Repræsentatio erat, idealis ratio, seu relucientia Christi in mente diuina, sicut in nobis, tam interna ratio, quam externus sermo, est relucientia seu repræsentatio rei alicuius. Omnis logos est repræsentatio quædam, et lucida repræsentatio, sicut erat lux et logos. Omnis item sapientia est naturalis relucientia rei propositæ. Atque ita, ut erat Christus princeps omnium propositus in mente diuina, ita naturaliter et hypostatice relucebat. Hinc sapientia ipsa Dei olim dicta est ἀπαύγασμα, relucientia, et Christus ipse, qui ibi relucebat ab apostolo hodie dicitur ἀπαύγασμα, relucientia gloriosa. Qualiter autem relucientia ipsa prodierit, visibilis apparuerit, et sine aliqua dei mutatione caro facta fuerit, postmodum ostendemus. Fuit vere fulgor diuinus, hominem ab æterno referens, et eum mundo proferens. Cum Ioanne vere

vere dicimus, *λογον* in principio mundi fuisse idealis rationis prolationem, apparentem externum sermonem, loquutionem, iuxta proprium significatum verbi *λεγω*, quod est, dico, loquor. Reliqui item omnes scripturæ loci sermonem hunc exponunt, quia dixit Deus, loquutus est Deus: non inani voce, sed sermone visibili. Eo magis, quia Deus per hunc sermonem, per verbum hoc voluit mundo manifestari, et externe apparere. Antiquior quoque Apostolorum traditio verbum hoc intelligit esse in Deo dispositionem, dispensationem externam, lucidam et visibilem. Hoc Irenæus et Tertullianus *οικονομίαν*, dispositionem, seu dispensationem appellant. Verbum manifestationis Dei, dispositione diuina fuit in ipsomet Deo, essentia visibilis, oraculum in nube: ut verbum quis audiat, et videat, magno Dei artificio. Erat substantiale verbum, oraculum in igne, numen quoddam visibile, personatus Deus. Dicebatur Elohim, Deus humana facie visus: fons luminis, fons vitæ Christus apud Deum. Ab oraculo illo, verbo illo, et Christi persona personato Deo, quasi ab ore Christi, prodibat spiritus, omnia viuificans, et in ipsum Adam halitum vitæ inspirans. Ad imaginem ipsius Christi, secundum corpus et animam, factus est Adam, et Christus erat personaliter in Deo, quando dixit, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Verbum in Deo proferente est ab æterno ipsemet Deus loquens, et in nubis caligine apparens: post prolationem est ipsa Christi caro, in qua videtur deus, sublata caliginis vmbra. Ipsemet homo Iesus Christus est verbum Dei, vox Dei, substantialiter ex ore Dei prolatus. Quemadmodum si te loquente, vox tua, seu ore tuo emissæ nubes, mulieri postea obumbrans, fieret genituræ ros, in vterum decidens, et eam grauidam faciens: ita est Christus prolatione Dei in Maria substantialiter genitus. Quod vero homo ipse Iesus Christus sic vere sermo Dei

Dei, docet aperte Ioannes apoc. 19. Nam ipse est, quem sedentem super equo albo ibi vidit, cuius nomen est Sermo Dei. Vere est sermo, quia ex ore Dei est prolatus. Ioannes verbum vitæ vidit, et manibus contrectavit, cum vidit et tetigit Christi corpus, in quo erat deitas corporaliter. Irenæus quoque Iesum ipsum ex Maria genitum, corpus illud, quod in cruce pependit, verbum Dei esse clamat, postquam verbum caro exstitit. Corpus ipsum dicitur panis vitæ, et caro cælestis. Absque sophistarum idiomatibus nos concedimus ipsum Christi corpus, ipsam Christi carnem esse verbum Dei. Nam quod ex ore Dei prolatum est, verbum Dei est, sermo Dei est. Sermo ipse Dei est semen generationis Christi quod ibi germinavit, et fructificavit. Prophetæ ita docent, semen hoc germinasse. In mysterio regenerationis colligitur huius rei similitudo. Sermo Dei est semen, sicut semen feminantis est sermo euangelizantis. Sermo euangelii Christi in corde nostro feminatus, internum ibi novum hominem generat, per potentiam spiritus Dei, instar Christi per Dei sermonem a spiritu sancto geniti. Sermo in nobis vere generat, instar sermonis illius, qui fuit sermo generationis Christi.

Ad prædicta est id quoque nunc observandum, in eo dicto, verbum caro factum est, multa contineri, et plura quam hic possunt referri. Primo, quod se, et sua in carne manifestare voluit Deus, carnem glorificaturus. Totum sermonis arcanum erat futuri hominis glorificatio, sicut ipse hominem olim erat in Deo gloriosus, Ioan. 17. Ea omnia quæ antea Deus verbo suo, seu propria voce operabatur, caro Christus nunc operatur, cui traditum est regnum, et omnis potestas. Responsa, quæ ab oraculo illo accipiebat Moyses, nunc ab ore Christi sumuntur. Ponam verba mea in ore eius, et in nomine meo loquetur, deute. 18. A me ipso, inquit, non loquor, sed sicut docuit me pater, ita loquor. Sermo patris

tris ipse dicitur : quia patris mentem enunciat et eius cognitionem facit. Imo et visio patris, gustus patris, tactus eius, et olfactus. Re ipsa quoque intelligitur verbum caro factum, quia sermone ab initio prolato genita est caro ista. Innotuit de altissimo Deus et vox eius facta est, ignis nubes et pluuia. In persona intelligitur verbum caro factum, quia vultus ille, persona illa Elohim, omnia creans, caro extitit, et hæc ipsa Christi facies est illa facies Dei, multis olim visa. In substantia est verbum caro factum, quia lucida illa oraculi nubes, quæ erat gloria domini, vt ros genituræ Christi, facta est caro ista substantialiter : eademque est huius carnis, quam verbi illius essentia. Est enim formalis ipsa lux essentia rei, vt videbis. Item in spiritu locum habet incarnationis ratio. Sicut verbum Dei factum est homo, ita spiritus Dei factus est spiritus hominis, hypostatice, et substantialiter. Hæc postea latius declarabuntur, cum aliis Christi arcanis. Magnum et sublime est hoc Christi mysterium, quod apostolorum tempore non temere in vulgum mittebatur. Multis precibus rogatus Ioannes, vrgentibus contra Ebione et Cerintho, ieiunia et orationes præmisit, antequam vocem illam proferret, In principio erat sermo. Sat erat ad salutem credere, Iesum illum esse vnctum, seu esse Messiam filium Dei saluatorem. Hac sola fiducia rudis plebs iustificabatur, quamuis Christi diuinitatem non plene cognosceret. Cum igitur a paucis sciretur, et esset scriptorum penuria, ac linguæ sanctæ imperitia, mox periit vera traditio metaphysicis sophistis in Christianismum irruentibus, et Deum lacerantibus. Ex Irenæo traditiones citante facile colligitur, quam sterilis eo seculo fuerit huius rei cognitio, quæ in dies peruertebatur, vt ex Tertulliano constat. Eisdem fere temporibus Clemens Alexandrinus Stromatum libro primo iam conqueritur, in illa beatæ doctrinæ traditione paucos esse patribus similes, multaue iam excidisse. Deinceps lib. 6.

cogni-

cognitionem ait ab apostolis ad paucos peruenisse. Tu igitur, pie lector, si generationis Christi modum et diuinitatis eius plenitudinem omnem non assequeris, crede semper eum esse Messiam a Deo genitum saluatorem tuum. Hoc est tibi vnice credendum, vt in Christo viuas. Ego quanto potui affectu, ab Vncto illo, qui solus est nobis pro signo positus, cognitionem huius veritatis instanter orans aliquid per ipsius gratiam obtinui, quamuis nec perfectus sim, nec perfecte apprehenderim. Quod nunc ad rem facit, cum esset ibi arcanum Christi, lux et logos, quod est, lucida repræsentatio, ita commode verbum Ioannis exponam.

In principio erat logos, id est, relucencia Christi, sermo referens Christum, sermo prolationis ad Christi generationem. Ea Christi relucencia erat verbum apud Deum, in Deo ipso consistens, in nube lucide apparens, et erat ipsemet Deus. Sophistis autem dicere, verbum erat apud Deum, perinde est, ac si dicas, secunda illa res inuisibilis erat apud aliam rem primam, metaphysice, in secundo angulo triclinii, vt tertia in tertio. Nolunt ipsi, quod secunda res fuerit apud essentiam diuinam, nam hoc distinctionem argueret ab essentia, sed quod fuerit apud rem primam. Aliud est igitur essentia diuina, quam Deus aut Ioannes non bene dixit, verbum fuisse apud Deum. Loquor de essentia more ipsorum, pro quodam quarto simulachro alia tria concludente. Si quidem vere loquendo, verbum erat ipsamet Dei essentia, aut ipsa essentiæ Dei exhibitio. Non erat in Deo alia subsistentia, aut hypostasis, quam verbum illud, in lucida nube, in qua Deus tunc subsistere videbatur. Et in ea ipsa relucebat facies et persona Christi. Iuxta eorum quoque metaphysicam, omnia fecit Deus verbo suo, i. e. prima illa res per secundam: insulse et ridicule. Scripturæ vero docent, omnia verbo Dei esse facta, quia dixit Deus, fiat, et factum est. Verbo domini cæli facti sunt, quia ipse dixit, et facta sunt. Ita aperte declarat Irenæus lib. 1. cap. 19. lib. 2. ca. 2. et ca. 56. Ita
d. 2. ante

ante eum exposuerat Iustinus, siue senior alius apostolorum discipulus, ab ipso Irenæo citatus, lib. 4. cap. 52. Scripturæ quoque loquutionem Dei nobis indicant fuisse Christi vocationem, qua Deus eum ab initio vocauit, et vocando exhibuit. Vt Esa. 41. vocans generationem ab exordio. Ab ortu solis vocauit nomen meum. Et cap. 46. vocans ab oriente auem de terra longinqua, virum consilii mei: loquutus sum, et adducam illum. Et cap. 49. dominus ab vtero vocauit me, et memorari fecit nomen meum. Hinc Irenæus generationem filii Dei ait dici nuncupationem, lib. 2. cap. 48. Propter hanc vocationem seu nominationem, dicitur ab initio genitum nomen Christi. Ad quod citari solet psal. 71. ante solem erit genitum, seu filiabitur nomen eius: ante solem **יְנוּן שֶׁמוֹ** innon femo. Sensus ad literam Salomoni tribuitur, Ad faciem solis filiabitur, quam diu durabit sol, generando propagabitur nomen eius. Hic de vera filiationis Christi in suos propagatione est verus sensus. Hoc modo non est prioritas temporis ante solem, sed coram sole, durante sole. Hebraica vox **לִפְנֵי** liphne vtrumque significat. Dicit de Christo potuit, Ante solem filiatur, seu filiabitur nomen eius. In futurum ait filiabitur, et ante solem erat huius filiationis origo: filiatio eius ab initio erat in femine verbi.

Secundus locus.

Ex his Christi primogenituram collegimus, adiungentes expositionem dicti apostoli ad Colof. 1. ac plenius inquirentes, qualiter Iesus ipse Christus primogenitus creaturarum esse dicatur. Primogenituram hanc illi secundæ rei tribuunt metaphysici, generationem eius inenarrabilem dicentes, vt cap. 53. ait Esaias, Generationem eius quis enarrabit? Sed violenter eo trahuntur verba Esaiæ. Ait enim, Abiectus ille inter viros, vir dolorum tanquam agnus ad occisionem ducetur, quasi ouis coram tondente se obmutescet: æuum eius, seu progeniem eius, quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viuentium.

ttium. Quæ omnia ad Ipsum Iesum esse relata, docet Philippus acto. 8. Non loquitur ibi Esaïas de ipsa Christi a patre generatione, vt docet Hebraica vox, sed de æuo malo Iudæorum occidentium, et de progenie bona Christianorum, quam ille sua morte genuit: quæ erit cælestis noua progenies, talis, tanta, et tam copiosa vt enarrari nequeat. Huic simile est, quod nuper dicebamus, Coram sole in filios propagabitur nomen eius. Et quando ipsam filii generationem significaret Hebraica vox יוֹדֹר, nos cum Esaïa diceremus, Generationem Christi quis enarrabit? Plane nemo hactenus. Incognita est mundo generatio Christi, Ipse est ille Melchisedech, ignoti generis. Heb. 7. quem nemo sciebat vnde esset, Ioan. 7. Ipse Melchisedech dicitur assimilatus filio Dei, non imaginario filio, sed homini filio. Non est in Deo metaphysica generatio distinctæ rei, quæ nec dici potest generatio. Prolatio verbi dicitur, et hominis generatio. Prolatio verbi ad Christi generationem, est a patre æternalis generatio ipsa carnis in matre, est temporalis. Quæ in homine fiunt, tempus habent. Quæ Dei sunt, præsentem in se semper habent æternitatem.

Hoc nunc aduerte, vt Christi primogenituram intelligas. Grauitè enim nos erramus, quod carnaliter de prioritate et posterioritate temporis in Deo iudicamus. Sine temporis interuallo Deus omnia attingit. Apud ipsum non reperitur fuit: sed semper reperitur est. Nihil est ei præteritum, omnia sunt ei præsentia, omnes Deo viuunt. Omnia nuda et plana oculis eius. Ea quæ non sunt ipse ita vocat, vt ea quæ sunt. Apud eum mille anni vt momentum, et vnius diei momentum vt mille anni. Prophetæ docent non esse in Deo temporum differentias, cum tempus pro tempore sæpe ponunt, futura pro præteritis annunciant, et omnia pro præsentibus habent. Ratio temporum non tanquam Deo, sed tanquam homini necessaria, nata est, quibus designandis luminaria cælestia disposita sunt, vt sint in tempora certa, dies, et annos. Ergo nec tempus

habuit ante tempus, qui fecit tempus, nec initium ante initium, qui constituit initium. Fortis est hæc et solida ratio. Nam Deus se tempori nullatenus subiecit, tempus ipsum creando. Fortis est ratio Numenii, Quicquid secundum præteritum, futurumque varie accipitur, priuationem quandam habet admixtam: futurum enim nondum est, præteritum non amplius est. In Deo autem, cum sit primum ens, actusque summus, nulla est priuatio. Igitur coram eo nulla est temporis variatio. Ex his multorum errata colliguntur, ex temporum successu factam in immutabili Deo mutationem plerique arguunt, Quia antequam hæc res esset, volebat eam futuram: et nunc non vult eam futuram, cum iam fuerit. Fixo ergo ut aiunt, obiecto in hac propositione, hæc res futura est, concedunt Deum prius circa illam habuisse velle, et postea habuisse nolle. Hinc etiam iactis in præterita Dei de futuris scientia radicibus, feruum esse ipsius Dei arbitrium, ac fatalem in omnibus necessitatem, sinistre quidam concludunt. Ad quæ omnia ego respondeo. Prædestinationem in Deo non distinguere ab eo quod est. In Deo non reperitur volebat, volet, futurum, præteritum. Sed ei hæc res ita fit, ita finit, et ipse ita vult. Et sicut ipse libere vult, et potest: ita homini dat libere velle, et posse, intra certos limites. Diuino artificio hoc facit Deus, sicut est in homine diuinum artificio. Diuina ipsa mens in homine relucet. Certè Adam ipse aut Christus, aut angeli, habuerunt liberum arbitrium. Cuiuscumque fuerit, vel sit, ea arbitrii libertas, euidenter concludit, prædestinationem non esse fatalem, nec necessario adstringere. Decipiuntur ergo, qui ex præordinatione Dei, omnia necessario euenire putant, et Dei potentiam suo ingenio metiuntur, ac limitant. Necessitas hæc in Deo est exosa, cum priuationem et tempus includat. Quia omnia necessario euenire considerant, non considerant Deum esse, supra tempus, supra necessitatem omnem. Non cogitant, Dei dispositiones esse
supra

supra suam considerationem. Si præteritum fuit, et
 non est, et Deus tunc præordinauit, sibi tunc manus
 ligauit, vt non solum seruum sequatur Dei arbitrium,
 sed et limitata potentia. Ita pessime in suis dialogis.
 iuxta carnis sensum ratiocinantur Lucianus et Valla, quo-
 rum errorem plerique hodie sequuntur. Hæc sola ra-
 tio necessitatem illam et seruum arbitrium destruit,
 quod possibile dicitur de eo, quod nec est, nec fuit,
 nec erit. Potuit Christus legiones a Patre rogare, quod
 non fecit. Potuit Dauid Saulem occidere, quod non
 fecit. Potuit Paulus accipere stipendium, quod non fe-
 cit. Potuerunt alii multa facere, quæ non fecerunt,
 vt ait Ecclesiasticus. Hæc est igitur libera facultas,
 quæ homini a Deo ipso datur: quam nullo modo vi-
 dent, qui prædestinationem Dei esse necessitati alliga-
 tam credunt. Potuit Deus Christum a morte seruare.
 Heb. 5. Ita Christus ait, Abba pater, possibile tibi
 est Marci 14. Vbi igitur necessitas prædestinationis?
 Si actus ille tam insigniter præordinatus, ac toties
 prædictus, potuit aliter habere, quare non et alii a-
 ctus? Potuit Deus facere, vt staret ille qui lapsus est.
 Potest facere vt transeat Camelus per foramen acus.
 Ex lapidibus his potest homines facere. Potest facere
 in nobis, vltra omnia quæ petimus, aut cogitamus.
 Ephes. 3. In potestate animæ erat prædium non ven-
 dere: et eo vendito, in potestate eius erat precium to-
 tum retinere, vt ait Petrus. Sed quia abusus est potes-
 tate sua, imo iuste punitus est. Quod alioquin fuisset
 iniustum si fuisset necessitas: cum iuxta scripturas ne-
 cessitas excuset. Possumus nos tamen facere, cum volu-
 mus Marci. 14. Et hoc ipsum est donum Dei, vt
 pro arbitrio nostro possimus. Paulus docet homines
 non habere faciendi necessitatem, sed potestatem
 habere propriæ voluntatis. 1. Cor. 7. et 2. Co-
 rin. 9. et ad Philæmonem. Docet non esse abu-
 tendum potestate, ergo potestas est. Cum vnien-
 dum est ad Christum, ipse potestatem dat. Ioan. 1.

Ob id increduli et in spiritum blasphemi, acrius quam Sodomapunientur: quia potuerunt credere, et credere noluerunt potestate data abutentes. Deus benignitate sua ad poenitentiam nos ducit, dat possibilem locum poenitentiae, cui nos reluētantes iram augemus, Rom. 2. et Sapien. 12. Ipse manum porrigit, dat, vt resipiscere possimus, et nos nolumus, prouer. 1. Matth. 23. et apoc. 2. et 3. Quibusdam fateor nullo modo esse datum, vt possint ad Christum venire. Eisque Paulus respondet, esse Dei voluntatem. Nihilominus iustum de ipsis erit Dei iudicium, vt ostendemus postea.

Nunc vt priori quæstioni satisfaciamus, totam æternitatem Deo esse dicimus instar præsentis momenti, et Deum in eo æternitatis momento, antequam mundum creet et ea ipsa creationis prolatione, de substantia sua filium hunc in Maria generare. Modum ipsum substantiæ Dei declarabimus postea esse exhibitionem et prolationem vt erat antea in mente præformatio. Reiecto itaque velamine temporis medii, considera horam hanc, in qua corpus Christi generatur, et concipitur, esse æternaliter ante mundi exordium Deo vere præsentem. Quod vbi concesseris, concedes etiam, Deum ab æterno protulisse substantiale verbum, et proferendo filium hunc in Maria genuisse, de substantia sua. Primogenitus igitur est homo Christus, et ab æterno genitus, cum prolatio illa ab æterno facta, sit ipsamet carnis Christi generatio. Si qualis fuerit prolatio illa Dei, iterum roges: id in sequentibus perspicue docebimus. Deus enim certa ratione se ipsum mundo protulit, exhibuit, manifestauit, et communicauit. Nunc sat fuerit si dicamus, ab æterno substantialiter initium habere hominis huius ex Deo generationem, quæ in Maria est substantialiter consummata. Nec id solum, sed et ipsa huius generatio, est causa generationis aliorum, vt sit ipse principium omnium. Iuxta dispensationem temporum, apud se verbum illud generationis Christi retinuit Deus, variis figuris mul

ris multa designans ad maiorem gloriæ Christi expressionem. Admirabile generationis artificium. Omnia propter gloriam Christi fecit Deus et eum in capite genuit. Hæc de Christi primogenitura nunc, vt verissima teneas. In sequentibus palam videbis, eum substantialiter ante omnia fuisse et substantiam æternam habere. Secunda ratione dicitur Christus primogenitus, vt primogenitura sit nomen dignitatis et vberioris benedictionis: sicut dicitur Dauid primogenitus Psal. 88. Ioseph primogenitus. 1. para. 5. et Israël primogenitus. Tertia ratione secundum carnem est Christus primitiæ creaturarum, et primogenitus. Nam caro nostra est de secunda massa peccati. At caro Christi est de illa puriore prima massa, quæ fuit ante peccatum. Ideo caro eius hac ratione prior est carne nostra, ac hominum primogenita velut primitiæ quædam, etiam secluso verbi mysterio, per quod diuiniorum aliam habet primogenituræ rationem.

Ad hanc primogenituram facere plerique putant locum illum Davidis psal. 2. Filius meus es tu, ego ^{Tertius} hodie genui te, id est, ante secula genui te, vt ipsi exponunt, rem illam secundam dicentes ibi realiter genitam. Aliter exponit Augustinus super locum illum psalmi dicens, generationem filii semper esse, et ea dictione hodie, continuam generationem significari quasi filius Dei sit res quædam transiens, quæ quotidie gignitur. Meræ sunt ineptiæ. Nam locus ille non ad generationem sed ad regenerationem facit, vt ostendit Paulus acto. 13. Resuscitatus est Christus sicut in psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vbi aperte docet, vocem hodie ad diem resurrectionis Christi referri, et merito. Ad Romanos quoque cap. 1. ait idem Paulus, Iesum Christum esse declaratum filium Dei potentem, ex eo quod resurrexit a mortuis. Filii declaratio hodie fit, gloriosa et immortalis. Nisi resurrexisset, nemo credidisset eum esse filium Dei.

d. 5. Dei

Dei. Tunc est Christus glorificatus, denuo factus filius, et nouus spiritus nos instar Christi resurgere faciens nobis ob id datus, qui est spiritus *υἱοθεσίας*, spiritus filiationis, nos filios resurgendo faciens. Filiatio Christi seu ipsa ratio per potentiam resurrectionis in filii nobis imprimitur: per huncque nouum spiritum datur et declaratur. Vnde Paulus loco citato ait Iesum Christum tunc declaratum filium Dei per spiritum sanctificationis. Omnis item potentia tunc data est Christo, in cælo et in terra, Matth. 28. Imo dicitur declaratus filius cum fortitudine et potentia. Ad eandem resurrectionis Christi fortitudinem et potentiam prædicto psal. 2. respexit Dauid dicens, Postula a me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ et conteres eos virga ferrea. Eiusdem virgæ ferreæ et potestatis quam accepit in resurrectione, meminit ipsemet Christus, apoc. 2. et 19. Quæ concordia verborum concorditer psalmum refert ad diem resurrectionis. Hunc diem demonstrans Christus, dixit, Amodo, ex hoc tempore erit filius hominis sedens a dextris fortitudinis Dei. Matth. 26. Marc. 14. et Lucæ 22. Tunc venit regnum Dei, cum potentia, sicut filius Dei cum potentia, Marci 9. et dicto cap. Rom. 1. utrobique enim ponitur *εν δυνάμει*. i. e. in fortitudine, seu cum potentia. Eundem psalmistæ locum in epistola ad Hebræos bis citat apostolus, vt ostendat magnam Christi post resurrectionem potentiam, qualiter supra angelos sit tunc ad dextram Dei exaltatus, et factus pontifex in æternum, quoniam dictum est ei, Ego hodie genui te, Heb. 1. et 5. Ex eo dicto probat apostolus sacerdotium Christi dicens, Christus non semet ipsum glorificauit, vt pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vera sacerdotii in Christum translatio facta est quoniam se ipsum victimam offerens in passionem est mox per resurrectionem in sancta sanctorum ingressus. Hodie ergo dicitur genitus Christus quia hodie factus filius gloriæ potens ac si hodie productus esset. In quam sententiam vertit Chaldaeus, Filius meus

meus es tu, ac si die ista creauissem te. Hodie genitus dicitur, quia hodie regeneritus, cum plena potestate denuo genitus nouus homo, nouus filius et denuo creatus rex. Ad eius similitudinem nos in baptismo renati, et cum eo resurgentes, dicimur denuo gigni, Ioan. 3. et Colos. 2. In die nostri baptismi nobis dicit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ex historia quoque sensus hic redditur illustrior. Nam psalmus ille sicut et sequens factus est, quando principes cum Absalom coniurauerunt contra Dauidem. Qui postea in regnum reuersus ait, Noui quod hodie sum factus rex super Israel 2. reg. 19. Ita et nos cum a periculo magno euadimus, dicere solemus, hodie sum natus: præsertim cum noua hodie accedit dignitas. Hodie genitus filius et rex, qui heri talis non erat. Hodie sibi datur immortalis filiatio. Hodie genitus filius incorruptibilis, instar patris incorruptibilis: ut cum antea non ita filium gloriæ dixeris. Imo vere heri non erat filius qui nunc est filius. Mortuus vere illo triduo fuit filius Dei, et denuo est factus filius, de non esse ad esse perductus. Innouato Christi corpore est ibi factus nouus filius, ita nouus genitus filius. Tota illa ab initio mundi facta Christi generatio, quæ morte conciderat, hodie repetitur: hodie omnia innouantur, et nouum Christi regnum hodie instituitur, ut vere cum Dauide Christus dicat, Hodie sum factus rex.

Non abs re fuerit, hic audire responsiones, quas in suis commentariis super hoc psalmo fecit Iudæus Dauid Chimhi contra Christianos. Tam cæcis rationibus hominem sophistæ compellebant, ut eos ille tamquam asinos, et insanos rideat. Ad mathematicum et inuisibilem quemdam filium credendum, cogere Iudæum volebant, exponentes, hodie, id est, ante secula genui te. Quibus ille scite respondit, Si in illis æternitatibus duæ distinctæ res incorporeæ, similes, et æquales, pariter erant, gemelli duo erant, non pater et filius. Ac
perin

perinde, si tertia ibi similis, et duabus æqualibus addatur, tergeminos dices Geryones. Quod aiebant sophistæ, esse in Deo ipso realem generationem vt radii a sole, hoc ille in Deo monstrum exhorrescebat: cum præsertim inde arguatur sectio in Deo, arguatur mutatio, et dissimilitudo, sicut est radii solaris sectio, mutatio et dissimilitudo, inter solem et radium. Circa vocem hodie sophistas quoque errare, plane cognoscebat Iudæus, cum Hebraice ponatur ibi pronomen demonstratiuum, certam diem ad sensum demonstrans, Filius meus es tu, hac die te genui. Quod et Chaldæus quoque obseruauit. Errabant item sophistæ, qui litteralem nullum sensum Iudæo dabant. Quid infanlius dici potest, quam negare, esse de Salomone ad litteram dictum, Ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium? Apertissimus est de ipso locus 1. paralip. 22. et 28. Alioqui non diceretur Salomon esse Christi typus, nec Dauid nec alii. Testimonium Iesu Christi est spiritus prophetiæ, apoc. 19. quamquam alius fuerit litteralis sensus. Iudæo nos litteralem sensum concedimus, monemus tamen subesse de Messia futuro mysterium, quod et ipsi concedunt, cum passim appareat excedens sermo, seu hyperbole. Vt quod possessio regis sit, vsque ad terminos terræ, quod reges terræ in virga ferrea conterat, quod sceptrum eius sit æternum, quod super solium Dei sedeat rex et sacerdos et reliqua. De suis regibus hæc quodam modo dicebantur, sed excellentius, quam eis conuenire possent, vt ex hoc facile appareat, spiritum alio tendere. Præsertim cum inserantur verba, quæ eis non conueniunt. Vt in psal. 109. a Christo contra Iudæos citato, sunt hæc tria, quod verus Messias sit sacerdos et filius Dauid, quod sit æternitas sacerdotii et throni eius, et quod dominus ab ipsis regibus et propriis parentibus vocetur. Matth. 22. His rationibus est nobis contra Iudæos instar Christi disputandum, vt intelligant rerum, quod ibi subest, mysterium: cum ipsi omnes

omnes fateantur, in lingua sancta nihil scriptum esse sine mysterio. Ex dictis his sequitur, Hominis typo hominem esse proprie filium. Vera filiatio hominis huius Iesu Christi, per umbram olim figurabatur, in filiatione hominis alterius. At vero ex typo hominis Salomonis, dicti filii, inferre filiationem illius inuisibilis rei, est chimærarum filiatio, scripturis incognita: nec potest typi ratio, nec aliqua repræsentationis similitudo hic adaptari. Nec resurrectionis filii veritas, nec filiationis declaratio, sibi tunc constaret, per quam Iesus ipse declaratus est verus filius Dei, non res illa inuisibilis. De vero Salomone Christo ait citato cap. 28. hunc præ aliis elegi mihi filium. Non est res aliqua fursum ita præ aliis electa, sed homo ipse Iesus Christus est verè electus filius, ab æterno charissimus.

Postquam in rabbinorum et sophistarum conflictus ^{Quartus locus.} deueni, alium locum adiungam, in quo mira semper visa est, horum et illorum hallucinatio. Horrenda profecto res, si bene quis norit, quanto Christianismi vituperio locum illum tractet perfidus ille Iudæus Baal Nizaon, cum tamen nec ipse verum sensum sit assequutus. Locus vero est ge. 49. vbi sic Hebraice legitur לא יסור שבט מיהודה ומחקק מים רגליו עד כי יבא שילוח ולו יקחת עמים Latine ita proprie sonat, Non recedet sceptrum de Iuda et legislator de medio pedum eius: eousque vero veniet Siloh, et ei aggregatio populorum. Ita locum hunc debere punctis distingui, facile concedet, qui Hebraicam differentiam norit inter notulas illas ; athnach et zakeph. Sceptrum hic intelligi Daudicum, apud omnes est in confesso. Quod de Siloh dicitur completum est Iosue 18. vbi eadem fere verba repetuntur. In Siloh congregabantur tribus Israëlitici populi, vsque ad arcæ translationem. In Siloh primo requieuit locuples populus, iuxta significatum vocis שילוח Siloh, quæ quietem et opulentiam significat, qualem Israëlitæ tunc habuerunt, terram totam

tam sibi forte distribuentes. Venit ergo ante Dauidem Siloh, et desinente Siloh cœpit Dauidis regnum, in diebus Samuelis. Repulit Deus Siloh, et elegit Dauid, psa. 77. sicut repulit synagogam, et elegit Christum, a quo nunquam auferetur sceptrum. Vides hic mysterium, et excellentiam sermonis, soli Christo conuenire. Vere dixit Iacob, nunquam auferendum sceptrum de Iuda, vt comprobatur. 2. Samu. 7. psal. 88. et Iere. 33. Ex quibus manifeste conuincuntur Iudæi. Si enim non est auferendum sceptrum de Iuda, vbi est nunc, nisi in Christo? Est itaque hoc loco de Christo, et perpetuo eius sceptro, post repulsam synagogam, euidens prophetia, sed quæ non excludit literalem sensum de Siloh. Id quod manifeste comprobant verba, quæ ibi subdit Iacob: Ligans ad vitem pullum suum, et ad palmitem filium asinæ suæ. Lauabit in vino vestimentum suum, et in sanguine vuarum operimentum suum. Rubicundi eius oculi a vino, et albi dentes a lacte. Quæ omnia in Siloh aduenerunt. Tam ferax in introitu Iosue se illis obtulit terra permissionis, vt aliquis potuerit alligare, et onerare vuis asinum suum ad vitem vnâ. Tanta vini copia vt eius musto commaduerint vindemiantium vestimenta, atque oculi ob poti vini bonitatem rubuerint. Lactis quoque tanta copia, vt ex eius tam frequenti esu dentes albicarent: vt ait ille bonus pater Iacob, carnalem tribuens carnali populo benedictionem. Laudat tamen præ aliis tribum Iuda, et in ea dicit mansurum sceptrum: quia illa tribus stabilius tenuit regnum, aliis deficientibus, et quia sceptrum non est ab ea in aliam tribum translatus. Ad tempus quoque laudatur Siloh, quia ob duplicem portionem ad tempus fuit primogenitura ipsius Ioseph vt 1. para. 5. et genes. 48. De cuius stirpe fuit Iosue, qui posuit tabernaculum in Siloh. Sed spreuit dominus tabernaculum Ioseph. i. e. Siloh, dicto psal. 77.

Quintus
locus.

Quintus ad psalmistam redibit locus, ad vocem illam, hodie, quæ diem resurrectionis ostendit. Hodie si vocem eius audieritis,

ritis, psal. 94. Psalmum illum, et plerofque alios ibi cecinit Dauid in regni fui iam dicta innouatione instar Christi resurgentis. Canticum nouum ibi cantat, et regnum nouum. Refertur vox hodie ad diem Resurrectionis Christi, qui etiam nobis intelligitur dies regenerationis nostræ. Omnes ad Christum hodie vocat propheta, gaudio magno exultans. Similia nos docet Apostolus in epistola ad Hebræos, eandem vocem hodie repetens, cap. 3. et 4. Hodie datur nobis ingressus in requiem domini, sicut hodie ingressus est Iesus in requiem suam. Hodie est in nobis completus verus sabbatismus. Hodie requiescens ab omnibus, quæ pro nobis passus est Christus, cæli requiem æternam adipiscitur, eandem nobis requiem comparans, vt nos cum Christo resuscitati, hodie et iugiter requiescamus ab operibus carnis, et dies hodiernus quotidie in nobis dicatur. De hac re ita citato loco apostolus loquitur: Christi participes facti sumus, si initium substantiæ vsque ad finem firmum tenuerimus, in eo quod dicitur, Hodie si vocem eius audieritis. Initium substantiæ nostræ plerique vocant fidem, per quam primo subsistimus. Quod certe verum est. Illud tamen non negligendum, quod subnectit: in eo quod dicitur, Hodie si vocem, et, si introibunt in requiem meam. Docet apostolus, aliter olim, velut initio accipi requiem, aliter nunc in fine seculorum. Hoc late declarat Chrysostomus in Ioannem, homilia 13. super locum illum, gratiam pro gratia. Aliam docet factam Iudæis veterem gratiam, aliam nobis nouam gratiam, sicut nouam requiem. Aliam olim datam gloriam, aliam nunc gloriam, vt ait Paulus, nos transire a gloria in gloriam 2. Cor. 3. a iustitia in iustitiam, Philip. 3. a fide in fidem Rom. 1. a lege litteræ ad legem spiritus, Rom. 8. a spiritu seruitutis ad spiritum libertatis, vt eodem cap. Rom. 8. Chrysostomus docet. Duplicem immo ait adoptionem, duplex testamentum, duplicem sanctificationem, duplicem iustificationem, duplex templum, duplex sacrificium, duplex baptisma, duplicem circun-

circuncisionem, et reliqua omnia duplicia, olim in figura, nunc in veritate. Illud vocat apostolus initium, hoc autem finem. Vt nos faceret Christus substantiæ Dei participes, ab initio ad finem omnia consummauit, et compleuit. Hinc vult Apostolus, nos totius huius processus essentiam attendere, quam vocat hypostasiam, eam fide firma tenere, et viuo spiritu substantiam negotii considerare. Cuius essentia, fundamentum, et hypostasis est, vt vniuersum legis processum ad Christum, tanquam ad scopum, reducamus, eius substantiæ et gloriæ facti participes. Eam vero partem, quæ de requie loquitur, ad Christum sic dirigimus, intelligentes, diem hodiernum esse semper diem resurrectionis Christi et nostræ, et diem illum vere hodie in nobis dici. Hodie in consummatione seculorum est dies septimus ab exordio mundi, in quo requieuit Deus ab operibus legis: in quo nos cum Christo hodie resurgentes requiescere oportet ab operibus carnis. In requiem hanc, in quam Iudæi increduli non sunt ingressi, nos hodie filio Dei credentes intramus. Nullo inter diem et diem facto discrimine, perpetuum nos, verum, et spirituales colimus sabbatismum, et sabbatum ex sabbato, postquam noster æternus sacerdos semper intra cæli tabernaculum quiescit, et in nobis quiescit. Hic verus est, et perpetuus sabbatismus, qui relictus est populo Dei, vt ait ibi apostolus: continua videlicet spiritus requies, et sanctificatio, sicut erat sabbatum sanctificationis signum. Hac ratione factos nos ait apostolus Christi participes in requie. Nam requiem illam continuam, et perpetuam, quam ille apud patrem habet, nos hic per datum ab eo spiritum iugiter iam degustamus. Hanc requiem spiritus patribus nostris, ante resurrectionem Christi, non ita præstitit Deus. Tibi vero eam hodie præstabit, hodie in eum credenti, et cum eo hodie resurgenti. Hodie, inquam, si hodie vocem eius audieris. Vox autem Dei, quam te audire oportet, est cælestis illa
 vox,

vox, Hic est filius meus. Hodie igitur, o lector Christiane, noli cor tuum obdurare, sed crede filio Dei resurgenti. Non quod res aliqua incorporea vere moriatur, aut resurgat: sed corpus ipsum, quod vere mortuum est, et resurrexit, est vere genitum ex Deo, et vere filius Dei. Hoc te credere oportet, et in hoc tuæ salutis fiduciam habere, quod hic sit genitus ex Deo, pro salute tua, hic resuscitatus, hodie factus gloriæ filius.

Sextus erit locus ex psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede ad dextram meam. Ex quo loco metaphysicam æqualitatem inter illas incorporeas res concludunt sophistæ, quia æquali voce dictum est, dominus domino. Sed istis parcendum est, qui originalem scripturæ sanctæ linguam ignorantes, se ipsos ignorant. Tu vero lector, si Hebraice nosti, inuenies prophetam dicentem נאם יהוה לאדני Dixit Iehoua ipsi Adon. Egregius est locus, discernens inter patrem et filium. Eadem distinctio ponitur psal. 96. a facie Iehouah, et a facie Adon. Hic Christus est ille Adon, id est, herus siue Dominus, quem ibi adorant angeli, sicut et Heb. 1. Hic est Adon, quem adorat regina ecclesia, psal. 44. Hic est Christus Adon, quem prædixit Malachias. cap. 3. qui sedet ad dexteram Dei, dicto psal. 109. In resurrectione hoc dictum est Christo, et tunc sedit ipse ad dexteram Dei patris, Marc 16. Similis oratio pluries repetitur. 1. Samu. 25. Facies dominus domino meo domum, prælia domini præliatur dominus meus. Cum fecerit dominus domino meo, Bene fecerit dominus domino meo. Vbi semper primo loco ponitur Iehoua, secundo loco Adon. Ad idem genef. 24. Benedictus Dominus Deus, domini mei, Duxit me dominus ad fratrem domini mei. Præterea iuxta veterem litteralem seu historicum sensum, psalmus ille tribuitur Salomoni, quando est regnum in eum a viuento Davide translatus. 1. parap. 29. Tunc regnum Salomonis, e. cui

cui iuxta Dei reuelationem debebatur, in vita sua tradens Dauid, ita cecinit: Dixit Deus heros meos. Canens in spiritu Dauid, Christum prouidet, in Salomone Christum intelligens. Vnum iuxta litteram adumbrat Dauid, et spiritus alio tendit. Nam testimonium Iesu Christi, ut dicebamus, est spiritus prophetiae. Ita sunt legendi prophetae, ac si rem unam hic oculis videns, aliam sublimiorem spiritu speculeris. Ad hunc modum dicitur esse verbum Dei gladius utrinque scindens. Hebr. 4. Imo aliquando est dictio anceps, ut sit sensus facundior, multiplex verus sensus. Salomonem ut Christi typum Dominum vocat Dauid, in umbra scilicet. In veritate autem Christum ipsum dominum vocat. Hoc argumento, ut antea dixi, Iudaeos excitat Christus, ut mysterium intelligant, et Messiae deitatem. Matth. 22. Iuxta litteram, citato loco, 1. paralip. 29. dicitur Salomon sedere super solium Dei: ut de eo velut Christi locum tenente bene tunc dicatur, Sede a dextris meis. Sedet ibi Salomon super solium Dei, secundum fortitudinem Dei, a dextris Dei, per hyperbolem et in umbra Christi, Lingua sancta est tota plena hyperbolis, quae iuxta litteram non plene verificantur, sed in mysterio Christi. Ea insuper verba, quae sequuntur, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis, ad litteram de se refert Salomon. 3. reg. 5. Reliqua etiam eius psalmi verba sunt Salomoni iuxta litteram tributa, ut sequens locus mox indicabit. Ille enim est, cui populus fecit spontaneas oblationes. Ille vocatus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui scilicet simul fuit rex et sacerdos. Vnde et Salomon sacerdotem quodammodo egit, in aedificatione et dedicatione templi, in umbra et typo veri regis et sacerdotis Christi. Instar Melchisedech egit Salomon sacerdotem, offerendo, et populo benedicendo 3. reg. 8. Di-

8. Dicitur etiam Salomon de torrente in via bibisse, id est, de torrente Gion, quando eum in Gion vnixerunt regem. Ille aquam bibebat, Adonia se alibi inebriante. 3. reg. 1. Propterea ille extulit caput, et alter deiectus est a regno. De nomine Iehoua plenius postea dicemus. Hoc nunc fat fuerit, quod Christo in terris agenti nomen illud non est a Prophetis ita tributum, vt Elohim et Adon. Imperiti vero quidam incorporeas illas æquales res adhuc concludunt, et nomen Iehouah Christo aiunt tributum a Thoma, quando dixit, Dominus meus, et Deus meus, Ioan. 20. Ignorant hebraicam linguam, in qua illud affixum, meus, nunquam iungitur nomini Iehoua. Nunquam ponitur nomen tetragrammaton, seu nomen Iehoua, vbi legitur dominus meus. Thomas ergo, nec vsus est tunc, nec vti potuit eo nomine, sed Adoni et Eli. In perniciosos incidet errores, qui sanctas scripturas tractabit, sine cognitione linguae sanctæ.

Septimus consequenter erit eiusdem psalmi locus, qui vulgo ita legitur: Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Super cuius expositione hallucinantur imperiti, nec græcam translationem, nec hebraicam veritatem intelligentes. Ex principatu populi principium ibi fecerunt, cum in græca translatione ἀρχή non pro principio, sed pro principatu, seu populi magistratu sumatur, quod hebraica veritas aperte docet. Scriptum est in Exodo, principes et populum dona sponte obtulisse, ad extruendum et decorandum sanctuarium, exo. 25. 35. et 36. similiter ad dedicationem altaris, nu. 7. Huic simile in proposito dicitur. Et quod ad historiam attinet, loquitur ibi Dauid de spontanea populi largitione ad templi ædificationem, et domum sanctitatis decorandam: quæ largitio seu oblatio facta est tempore stabiliti regni Salomonis, vt habetur loco iam citato 1. para. 29. Sub quo historiæ typo prædixit in spiritu Dauid futuram Christo spontaneam populorum oblationem, cum maiore

Septimus locus.

sanctitatis splendore. Imo ipsemet populus erit oblationes ipsæ. Hebraice sic legitur עֲמֹךְ נִרְבַּת בְּיוֹם הַיּוֹלָד בְּהַרֵּי קֹדֶשׁ מִרְחֹם מִשְׁחָר לְךָ טַל יִלְדָּתָהּ. Id est, Populus tuus spontaneæ oblationes in die fortitudinis tuæ, in pulchritudinibus sanctitatis, ab utero, a diluculo: tibi ros adolescentiæ tuæ. Ita hebraice punctuatur, et est verus sensus. Factæ fuerunt illæ spontaneæ populi oblationes, in Die fortitudinis, seu potestatis Salomonis: quia eo die firmatum et roboratum est potentissimum regnum eius, ut Christi regnum in resurrectione. Eodem die denuo factus est rex Salomon Christi typus, et secundo in regem est unctus, dicto cap. 29. sicut denuo venit regnum Dei cum potentia in die resurrectionis Christi. Ait insuper has oblationes factas in pulchritudinibus sanctitatis, quia factæ sunt ad pulchritudinem et ornamenta templi sancti: sicut nos templum nostrum sanctificamus et ornamus, nos Salomoni nostro offerendo. Ait ibi, ab utero, et a diluculo. i. pueri ab utero et ab ineunte die dona offerebant. Postea subdit: Tibi erat ros adolescentiæ tuæ. Quia adolescenti Salomoni facta est illa oblatio, et in sui regni adolescentia. Ab eundem modum iuxta spiritum, Christo in exordio sui regni facta est populorum oblatio, cum multo maiore sanctitatis splendore, et pulchritudine: non a paruulis carnis, sed a paruulis spiritus, et a diluculo resurrectionis Christi. Hi sua et seipsos vero Salomoni offerebant, ut ex apostolorum actis apparet. Spondaneas autem dixit largitiones, ad differentiam voti, ut differt נָדַב nadab à נָדָר nadar, Levit. 7. 22. 23. Num. 15. 29. et deut. 12. Christi populus spontaneus est, nullis votis adstrictus. De hac spontanea oblatione in simili mysterio passim loquitur, scriptura, per eandem vocem nadab, ut psal. 46. 53. Esaiæ. 1. Ezechielis. 44. 45. 46. et 48. De eadem oblatione loquutus est ipsemet David psal. 71. ubi a regibus variis offeruntur Salomon muneribus.

munera. Nec obstat, quod aurum de Arabia vel Aethiopia Christo non sit ita datum. Nam in terminis legis, seu historiae solent prophetare prophetæ. Literalis oblatio ad historiam pertinet. Spiritus oblatio, et spirituales hostiæ ad Christum spectant. Sufficit, Salomoni data esse carnalia illa munera, et oblatum esse aurum Arabiæ et Tharsis. 3. reg. 4. et 10. et 2. para. 9. Quid dictum est in splendoribus sanctitatis, declaratur ab eodem Dauide psal. 28. 95. et 1. para. 16. Locum sanctum pulcrum et gloriosum vocant pulcritudinem sanctitatis, et gloriam sanctitatis. Pluraliter hic dicitur pulcritudines, vel splendores, ad significationem intendendam, quia multiplex gloriæ splendor. Eodem tendit illud psal. 67. In templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera. Et si in terrena illa Ierusalem et templo illo nihil horum Christo sit oblatum a regibus. Maiora Christus a nobis requirit, qui et in hac quæstione, de templo corporis sui nos docet, et loquens de regina Saba, qui Salomoni obtulit munera, ait, Ecce plusquam Salomon hic. Non quærit Christus quæ nostra sunt sed nos ipsos.

Octauus erit locus Esa. 7. Ecce virgo prægnans, et ^{Octauus} pariens filium et vocabis tu mater nomen eius Imma-^{locus.} nuel. Butyrum et mel comedet vt sciat reprobare malum et eligere bonum. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum ipsius, Resin et Pechah. Secundum historiam est ibi datum signum ipsi Achaz formidanti, vt intelligeret esse mox perdendos duos eius hostes, Resin, et pechah, ac regnum Iuda ab eis liberandum. Hos duos reges valde tunc timebat Achaz, quia multa mala erat iam ab iis perpeffus 2. para. 28. quod et antea prædixerat Esaïas. cap. 3. et 4. Ac multo magis postea timebat, cum videret eos destructo fere iam toto regno Iudeæ, in urbem ipsam Ierusalem venire. Et tunc est ei datum signum, illi seculo conueniens

ueniens et Christi mysterium continens. Ostendit ad literam Esaias ipsam Abiam vxorem regis ibi praesentem, filiam Zachariae, quam et vocat prophetissam, quia nomen diuinum filio suo imponendo prophetauerat. Solent matres filios suos magnis nominibus ornare: ideo ad matrem tunc direxit Esaias sermonem. Vt rite vocatus erat filius ille Ezechias, id est fortitudo Dei: ita ait rite ab eo vocari Immanuel nobiscum Deus. Dicebatur Ezechias Immanuel, sicut Salomon Lamuel. prouer. 31. quia erat tunc apud eos Deus. Mater Salomonis vocat Lamuelem, sicut mater Ezechiae Immanuelem. Haec Abia quasi miraculo magno puella virgo conceperat Ezechiam. Vndecim tantum annos habebat Achaz, quando ei conceptus est Ezechias, vt docent regum historiae. Hoc ipsa prophetissa cognoscens, nomen diuinum filio indiderat. Quasi in virginis vtero esset ille genitus, typo Iesu Christi. Hyberbole quadam et figurata locutione, dici ille potuit in virgine genitus, cum praesertim dictio Hebraea adolescentulam etiam significet. Virgo etiam dici potuit ob puerilem aetatem. Abia non genuit sine femine viri, sicut Maria mater Iesu: nihilominus docet Esaias, fuisse adumbratum miraculum, aliquod in generatione Ezechiae, qui ob id dictus est fortitudo Dei, et nobiscum Deus; quia eius tempore Deus fuit cum populo contra hostes omnes, maxime contra Assyrios, idque magna fortitudine. Ab illo miraculi signo, miraculum maius verae virginis docet Esaias. Historiae signum non est contemnendum, quamquam non sit in eo integra veritas. Hinc cap. 9. de ipsomet Ezechia consequenter scribitur, Omne praelium praeliantis est cum conflictu et vestium cruentatione: at istud miraculo erit per incendium, et deuorationem ignis ab angelo in Assyrios: sicut Christus per igneum gladium destruit hostes et Antichristum ipsum in Assyrio figuratum, Esa. 11. Hinc instar tertiae diei resurrectionis Christi, per

sti, per orationes Ezechiae fuit tertia die liberatio populi miraculosa, et tertia die ipse Ezechias velut a morte resurgens, ascendit in domum domini, Hoseæ 6. et 4. reg. 20. verissimo Iesu Christi typo. Denique omnia, quæ de Christo loquitur Esaias ab initio vsque ad caput quadragesimum, ex historia Ezechiae typum habent. Capite quadragesimo incipit de Cyro loqui, qui etiam typo Iesu Christi fuit liberator a captiuitate, ob id dictus quoque Christus, sicut Immanuel et Lamuel. Aduerte autem quam artificiose dicto cap. 7. dicat Esaias **הרה וילדת** hara veioledeth, prægnans et pariens, seu concipiens et pariens: vt ad præteritum et futurum sermo extendatur tanquam gladius vtrinque scindens. Iam enim erat tunc natus Ezechias: quod eisdem repetitis vocibus capite sequenti exponit Esaias. Accessi, inquit, ad prophetissam illam, quæ conceperat, et pepererat filium: in cuius pueritia direptio facta est, Damasci et Samariæ. Sed quare dixit, Butyrum et mel comedet, ad sciendum reprobare malum et eligere bonum? Hoc ibidem exponit propheta dicens eos butyrum et mel comesturos, etiam in penuria pecorum, et destructis aluearibus. Tantam post has hostium miseris ruinas, dabit mox Deus vbertatem, vt et pueri butyrum et mel comedentes, videant bonitatem Dei, ac discant eligere bonum, et reprobare malum. Quod Ezechias tunc puer cognoscet. Est enim cibus ille puerorum, ideo puero ibi tribuitur. Ac etiam fertilitatem arguit, ob quam tam subito datam erat maxime laudandus Deus. In qua re præstringitur et ipse Achaz, qui malum elegerat, et reprobauerat bonum, non cogitans magna Dei beneficia, quod tam cito butyrum et mel abundant, post destructa ab hoste pecora et aluearia. Simile vbertatis mox futuræ signum datur, Esa. 37. Addit etiam propheta aliam signi o-

stensionem. Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, terra horum duorum regum, Resin et pechah, quam tu Achaz detestaris, relinquatur ab eis. Nam ambo ipsi occiduntur, antequam puer hic ad adultam scientiæ boni et mali ætatem perueniat. Quod et paulo post factum est, 4. reg. 15. et 16. Hoc ergo tu Achaz accipe signum, quod Deus filio tuo regnum hoc sit seruaturus. Nam ecce puella virgo miraculose concipiens et pariens filium, quem tu mater iuste vocas Immanuel: per quem Deus in populo miracula faciet, et populum seruabit. Qui ex fertilitate, quam Deus tam cito dabit, etiam puer, cognoscet viam Dei bonam, et reprobabit malam. Imo aliud. Quia antequam eo puer perueniat, destruentur hi duo reges, quos tu formidas. Hæc ad literam ita sunt omnia impleta, atque ita exponenda. Non sunt negligendi veteris historiæ sensus per quos mysteria Christi maxime illustrantur. Ille enim solus est, quem vere virgo concepit et peperit. Ille solus est verus Ezechias, verus Immanuel, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis.

Nonus
locus.

Nonus est nunc exponendus locus, qui scribitur Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo. Res miranda, quod Christus in terris existens, diceretur in cælo esse et in cælum iam ascendisse, et descendisse. Sed Christum e cælo descendisse, diximus vtcunque libro superiore, et iterum latius ostendemus. Nam verbum cæleste factum in terris caro, efficit substantiam carnis, vt dicatur caro ipsa de cælo esse: cum habeat caro illa in se substantiam vere diuinam de cælo. Christum vero in cælum iam ascendisse, ita ostendo. Nam ex verbi incarnatione sequitur hominis ascensus ad Deum. Verbum de cælo in terram descendens, iterum terram euehit in cælum, nos omnes cælestes faciens. Christum dicimus iam ad finem patris ascendisse, et fuisse tunc ei cælum lucem inaccessibleam

cessam, quam pater inhabitat. Ille vere in cælo iam tunc erat, qui cælum ad nos adtulerat. Ille solus tunc cælum ascenderat. Nec anima Abrahæ, nec animæ patriarcharum erant tunc ad cælestia receptæ. Ideo vere dixit, Nemo. Solus ille erat in cælo cum nos non dum essemus desuper nati, vt ibi ait. Quando autem nos e supernis nascimur, dicimur tunc in cælum ascendere, facti cælestes homines, in cælis conuersantes. Dicimur etiam e cælo descendere, e cælis nati, et spiritu e cælis descendente nobis dato, in cælis nati, et spiritu e cælis descendente nobis dato, in cælum nos euehente. Dictum ergo Christi, ei soli tunc conueniens et nobis post supernam regenerationem, semper verum est: quod nemo dicitur in cælum ascendisse, nisi qui e cælo descendit, e cælo natus, et per spiritum sanctum e cælo descendentem in cælum euectus. Ita per Christum coniunguntur cælestia terrestribus et cælestia ad nos descendunt, vt terram in cælum euehant. Sancti ergo de cælo nati de cælo descenderunt, non solum Christus ipse. Sed solus ipse descendit per naturalem generationem, et omnem deitatis plenitudinem.

Decimus erit Pauli locus ad Colossenses dicentis, in Christo inhabitare omnem legis plenitudinem et omnem deitatis plenitudinem corporaliter. Legis tota plenitudo est in Christo. Nam legis vmbre figurabant varia mysteria, quæ omnia sunt in hoc corpore impleta, realiter et corporaliter impleta. Plenitudo etiam deitatis, simul cum plenitudine legis, plene est in Christo, et corporaliter corporali modo visibilis, et tangibilis. Corpus ipsum Christi est ipsissima plenitudo, in quo omnia complentur, concurrunt, recapitulantur et reconciliantur, Deus et homo, cælum et terra, Iudæi et gentes, circumcisio et præputium, regnum et sacerdotium, lex et prophetæ. Corpus ipsum Christi et corpus deitatis, et caro eius diuina, caro Dei, sanguis Dei, Caro ipsa

ro ipsa Christi est cælestis de substantia Dei genita. Talis qualis erat in sepulcro, habebat formam substantialem de substantia lucis Dei et elementa superiora de substantia verbi Dei, ut dicemus postea. In ea carne dicitur Deitas corporaliter, quod in umbra legis non contingebat, ut apte corpus opponatur umbræ. Ex eo autem quod Paulus ait inhabitare ostenditur, quid sit in eo diuinitas. Diuinitatem rabini vocant שכ"נא fechina a verbo שכן sachan, quod inhabitare significat. Ergo diuinitas Christi est inhabitatio Dei. Non est in Christo portio aliqua Dei sed tota Dei plenitudo, tota verbi et spiritus plenitudo. Ab eodem inhabitationis Dei vocabulo tabernaculum, in quo habitabat Deus, in lege dicebatur משכן mischan habitatio Dei. Habitatio Dei est quod ait Paulus, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5. Diuinitas Christi est Deus in Christo, ut in eius figura erat diuinitas in tabernaculo. Ad eius diuinitatis rationem et legis considerationem, se Paulus accommodans, nos manifeste docet, eam tabernaculi et angelorum ibi visorum diuinitatem, fuisse umbram eius veritatis, quæ est in corpore Christi. Ea sunt inquit, umbra futurorum, corpus autem Christi. Ibi erat figurata diuinitas, sine vero corpore, hic est vere corpus diuinitatis. Vera diuinitas per illas umbras figurata, est in Christo corporaliter, in corpore ipso, et carne ipsa Christi. In Christo est tota patris et Angelorum deitas. Tota Dei plenitudo, totus Deus pater, cum vniuersa suarum proprietatem, totius suæ substantiæ, potentiae et deitatis plenitudine, et splendore, plene habitat in hoc corpore. Tota Dei hypostasis, natura et essentia, tota Dei visio, adoratio, et cultus, quicquid habet Deus, Christo inest substantialiter, et corporaliter, ut sit vere Christus Deo patri ὁμοούσιος, vere consubstantialis. In ipso Christo solo subsistit et videtur Deus. Non est alia facies, nec persona, nec hypostasis Dei, nisi ipse.

fi ipse. Splendorem faciei eius, a quo cæli ipsi illuminantur et in futuro seculo illuminabantur, passim docent scripturæ. Lux ipsa, qua Deus lux est, in sola facie Iesu Christi conspicitur. Tota adeo est in eo deitas et gloria patris, vt angeli hoc admirentur et ab eo ipsi futura discant, ac in eo videant. Non solum est sibi præsens Deus, sed est ei data tota Dei potentia. Omnia per Christum facta sunt in spiritu et virtute. Omnia per Christum facta sunt in persona. Omnia per Christum facta sunt in substantia. Omnia per Christum, et in Christo videntur, et essentialiter consistunt.

Vndecimus locus, Pater in me est et ego in Patre. ^{Vndeci-} ^{mus lo-} ^{cus.} Ioan. 14. Ait Hilarius initio libri tertii de trinit. naturam intelligentiæ humanæ non capere per quem modum tres illæ res sint singulæ in singulis. Subscribit Augustinus lib. de fide ad petrum, et in fine lib. 6. de trinit. addens res illas esse totas in totis. Athanasius lib. 3. de spiritu sancto, per inuisibiles imagines ludit, res illas esse omnes in omnibus. Stupenda res est quod se alienari permittant, et Christi interpretationem facilem no respiciant. Nam eodem capite loquitur Christus ad Apostolos, Pater in me, et ego in vobis: ego in patre, et vos in me. Christus est in patre, ei substantialiter insitus. Pater est in eo, quemadmodum dicitur, Deus erat in Christo: et quia erat in eo omnis deitas, corporaliter et spiritualiter. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 5. Ita Petrus docet, Deum fuisse cum ipso. Acto. 10. Opera quæ hic homo faciebat, faciebat pater in eo. Pater in me manens, ipse facit opera. Hinc ait Christus, se facere quod videbat patrem facientem. Sicut artifex manu facit quod videt intus animam facientem, ita et Christus. Iudæos item ait, facere quod videbant diabolum in ipsis facientem: quia diabolus erat in ipsis agens et malorum ideam pingens, vt Deus in Christo bonorum. Ridicule locum hunc actionum patris in Christo exponit Augustinus in Ioan. trac.

trac. 18. 19. 20. et initio lib. 2. de trin. per triplicem distinctionem sophisticam, ne dicatur pater in homine. Solum filium esse in homine illi volunt, non patrem nec spiritum sanctum, ne sit substantiarum confusio. Quis nisi a dæmonio illusus negaret, spiritum sanctum esse substantialiter in homine Christo? Patrem item esse in homine, ipsi negant, quasi hoc sit patripassianum. Quæ sunt somnia ridicula cum suis idiomatibus. Ego non dico eum qui erat in filio, passum, sed filium passum. Vt propria passio carnis est nasci, ita propria passio carnis est flagellari, crucifigi, mori, et resurgere. Nec ad res incorporeas hæc pertinent. Anima non dicitur mori, quando homo moritur, nec angelus in homine situs, nec res alia incorporea. Ridicula est mors illius inuisibilis rei, quæ nullum mortis cruciatum potest sentire. Ego nunquam concedam aliquid vere mori, quod mortis dolores non patitur. Fanaticorum hominum, et a dæmonibus illuorum, sunt mortes aliæ, quæ scripturis nunquam fuerunt notæ, quasi spiritus sanctus ita in homine alio possit mori. Luderet plane Deus in illius inuisibilis rei morte, quæ vere mors non est, mundi redemptionem ponens. Præstigiosa est sophistarum redemptio, sicut eis præstigiosa est mors illius inuisibilis rei, in qua suæ salutis fundamentum ponunt. Filius Dei ita est eis mortuus, sicut angelos in asinina pelle mori dicunt. Aliud in sophistis est manifestum præstigium, ut etiam hominis Christi passionem apud eos non veræ fuerint. Nam Augustinus in psal. 21. Hieronymus in Matth. cap. 26. et Hilarius in psal. 68. Christum hominem nec tristatum dicunt, nec mortem unquam timuisse. Imo nullum ex vulneribus aut morte ipsa cruciatum, aut dolorem sensisse, affirmat Hilarius lib. 10. de trinit. Non magis, inquit, in passione doluit caro Christi, quam si gladio ignem aut aquam vulneres. Simili stoliditate lib. 9. de trinit.

trinit. fatetur, patrem esse maiorem, et negat filium esse minorem: eumque ait non magis pati, quam patrem ipsum. Augustinus in sermone de fide, anathematizat eos, qui dicunt aut credunt, filium Dei esse mortuum. Imo nec hominem ipsum esse mortuum, credit Lombardus ex Augustino. Nam lib. 3. sent. dist. 22. eius auctoritate concedit, Christum triduo illo sepulchri fuisse hominem. Si autem vere erat homo, vere vivebat homo. Quis cum larvis his certare sustineat? Hac ratione moveatur, quod dicitur Christus fuisse in sepulcro, et Christus in inferno. At illa dici possunt per synecdochen, sicut dicimus, sanctum Petrum esse in Paradiso. Si autem vere mortuus est homo, necessario desiit esse homo. Si vere mortuus est filius, vere desiit esse tunc filius, licet remanerent ea, quæ erant filii. Nam vera mors ducit de esse ad non esse. Si vere desiit esse filius, iam sequitur, quod deitas illa per se non erat vere filius.

Duodecimus locus, Antequam Abraham nasceretur, ^{Duode-} ^{cimus} ^{locus.} ego sum. Essentialem quandam essendi rationem indicat oratio illa, Ego sum. Essentiam corporis huius dat substantialis forma verbi, sicut forma est quæ dat esse rei: et hæc ab initio est. Imo in essentia elementari est Christus iam ab initio, ut ostendimus, et in essentia animæ. Essentia corporis et animæ Christi, est verbi et spiritus deitas. Christus ab initio est, tam ratione corporis, quam ratione animæ. Caro Christi habet initium essendi, a paterna verbi prolatione. Et Christus in spiritu Dei præcessit omnia tempora. Ille idem, qui erat spiritus Elohim, est nunc spiritus Christi. Quia sola spiritus ratione, habens spiritum immundum, dicere posset, ego ibi eram, videbam, faciebam: quasi non homine, sed spiritu ipso loquente. Per quem modum Simon magus malo spiritu imbutus, stantem se vocari faciebat, et se ab initio stantem esse dicebat, instar personæ Christi. Ab apostolis hæc audierat, et hæc via veritatem Christi

Christi æmulando, eam impugnabat, vt illi non credentes, nec Christo crederent. Hoc vnum obserua quod Simon magus, primus omnium post euangelium hæresiarcha, et insignis aduersarius nunquam per trinitariorum media fidem impugnauit, quia nullus eo seculo talia figmenta nouerat. Quæstio solum erat de Christi persona visibili, quæ spiritum æternum præ se ferebat. Vere est æternus Christi spiritus, et est ille spiritus, qui ab initio vitam in Adam spirauit. De hoc æterno Christi spiritu loquitur apostolus, Heb. 9. qui per spiritum æternum se ipsum obtulit. Recte ergo dixit Christus, antequam Abraham nasceretur, ego sum. Ego sum illud Dei verbum æternum, quod ante Abraham prolatum, ab ipso Abraham est auditum et visum. Verbo visibili ante Abraham, et ante Adam prolato, Christus ab æterno egreditur ex ore Dei. Mich. 5. Nec solum dicimus, Christum egredi ex Deo, sed esse in Deo. Ego sum in substantia verbi existens. Meum esse ab æterno est, prolatione verbi ab æterno patre in æternitate facta. Ego essentialiter tunc eram, qui aliis rebus essentiam tribuebam. Hic quem videmus est ab initio. 1. Ioan. 2. Ipse est ante omnia, et omnia per ipsum sunt, Colos. 1. Filius hic æternaliter ex Deo, temporaliter ex homine nascitur. Hanc similitudinem accipe. Si potentia mihi daretur, vt per oris flatum in muliere filium generarem: tunc si emissio flatu ego recederem, dicere mulieri possem, Filium genui, filium in te relinquo, qui veniente temporis plenitudine factus homo ex te nascetur. Flatus hic non est realis filius, sed ratione feminalis virtutis genitum tunc filium dicimus. Ita in Deo, non fuit inter res illas generatio inuisibilis filii, sed verbi prolatione est facta generatio post apparentis carnis, quæ est filius Dei benedicti.

Decimus
tertius
locus.

Ex his intelligitur, quod Ioan. 1. ait præcurzor baptista

sta, Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Ad hunc modum nostri interpretes vertunt, sed inepte. Nam post verbum factus est, decet punctus locari, ut sit *ὅτι* principium sequentis orationis, hoc modo. Qui post me venit, ante me factus est. Etenim prior me erat, et de plenitudine eius omnes accepimus. Seorsim ita repetit ibi Ioannes dictum illud: Qui post me venit, ante me factus est. Et tertio idem dictum repetens ait, Hic est, de quo dicebam, Post me veniet vir, qui ante me factus est. Etenim prior me erat, et ego nesciebam eum. Vir hic dicitur olim factus. Nota dictum olim factus seu antea factus. Quid ad hoc dicent sophistæ? Nam secundam illam rem esse factam ipsi non concedunt, sed Arriani hoc concedebant. Longe ante Arrianos Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Asterius Thyensis, Dionysius Alexandrinus, et alii veteres, manifeste dixerunt, filium esse factum. Idipsum apostolus docet cum alibi, tum in epistola ad Hebræos, cuius mentem nec Arrius, nec Athanasius intellexerunt vnquam. Ab illis omnibus hoc vnum rogare ego voluissem. An hæc hominis huius ex Deo generatio videatur eis diuina? Si diuina, hic homo dicetur vnicus filius Dei. Si Iesus hic Nazarenus ea generatione genitus est, ille qui genitus et natus est, filius est. Hunc vides esse illum Melchisedech, cuius generatio erat hominibus ignota. Ex generationis modo cognoscitur hic filius.

Aeternum diximus esse Christi spiritum, de quo ^{Decimus} et Petrus loquitur cap. 3. epistolæ prioris. Vi-^{quartus} ^{locus,} uificatus spiritu, in quo et spiritibus, qui erant in carcere, abiens prædicauit, qui inobedientes fuerant tempore Noë. Quem locum hic exponam quia miro modo ad mysteriorum Christi cognitionem facit. De carcere loquens Petrus, dictum suum refert ad tempus illud, quo sunt gignates diluui-
o perdit, vna cum malis angelis in abyssi carcerem
præcipi

præcipitati, et in hoc ipso mysterium aliud Christi ad infernos carceres descendentis, commiscet, ac incarcerationis angelorum causam indicat. Gigantum historiam in inferni sermone, ut insignem adducit, quia nunquam legitur turba talis hominum et angelorum in carcerem inferni deturbata. Ob similitudinem item quia non credentibus tunc prædicationi cum ædificabatur arca, sunt nunc similes non credentes, cum per prædicationem et baptismum ædificatur ecclesia. Ostendit Petrus, Christum per spiritum æternum fuisse iam olim servatorem credentium per aquam, sicut nunc per baptismum. Verba quædam eius sumpta sunt ex psal. 89. iuxta translationem septuaginta interpretum, quæ sola tunc græce erat in usu, etiam ipsis apostolis græce scribentibus. In eo psalmo ad tempus diluvii fit aliqua relatio. Angelos aiunt Petrus et Iudas. Ioannes in Apocalypsi angelis tribuit illum abyssi carcerem, ac etiam Lucas in euangelio. Septuaginta interpretes gene. 6. angelos dixerunt, quod et ex antiquitatibus Iudaicis refert Iosephus. Angeli erant filii Elohim, impostores spiritus, qui humano generi angelicam vitam comminiscantes, orbi imposuerunt. Angeli ipsi videntes mulierum pulcritudinem eo medio homines ad libidinem potentius stimularunt, se homines esse fingentes, et in magnorum hominum corpora se intrudentes. Ob quam causam ait Iudas, angelos illos reliquisse originem suam, seu a naturali origine degenerasse, invida hominum æmulatione generare volentes. Sunt enim dæmonum affectus maxime deprauati, et miris artibus homines fascinant. Hinc dicitur Henoch translatus, ne fascinatio illa angelorum immutaret intellectum eius, Sapien. 4. Nam ipse Henoch legatione ad angelos fungebatur, ut ait Irenæus, in angelos loquebatur, et eis prædicabat, sicut Paulus notam facit angelis prædicationem, quam ipsi antea nesciebant, Ephes. 3. Henoch ipse cum malis disceptabat, pœnitentiam prædicando, Eccles. 44. et in
epistola

epistola Iudæ. Ob quam rem cum tyranni eum interimere vellent, transfudit illum Deus, ne violentam illam mortem videret, Heb. 11. Mulieres communes illi faciebant, ex omnibus, quas volebant, sibi vxores accipiendo. Ob illicitum coitum eos punitos refert Berofus, non ob iustum matrimonium, quod et Moses indicat. Luxuria, tyrannide, rapina et iniquitate terram illi repleuerunt. Ob magnitudinem corporum antiqui Hebræi eos vocarunt dæmonia magna. Comuni illa voce Elohim est eis sermo de angelis, dæmonibus, et insignibus hominibus. In hos omnes tanto spirituum facinore obuolutos iuit Christus, corpora simul et spiritus ipsos ibi carceratos in abyssum mittens. Hinc dicitur esse Satanæ carcer in aquarum abyſſo, Lucæ 8. apoc. 20. et 2. Pet. 2. Tartarus is locus proprie dicitur, *ταρταρος*, a verbo *ταρταριζειν*, quod ibi sit rigor, et frigidus ab aquis tremor. Merito ergo aiunt Petrus et Iudas, esse angelos illos in tartarum deturbatos, ibique ligatos feruari ad finale iudicium. Hinc dicuntur gigantes sub aquis premi, tremere, et dæmones inhabitantes eos. Iob. 26. prouer. 9. et Esa. 14. Pulcher est locus Iob, Gigantes præmuntur sub aquis, et qui inhabitant eos: nudi ante Deum sunt in inferno. In abyssum cum hominibus sunt merito deturbati dæmones, qui perditionis hominum fuerunt causa, instar serpentis ab initio ob id maledicti. In eo carcere etiam nunc cum gigantum animis, aliquo modo ditinentur, in finali iudicio acrius igne puniendi. Iam verba Petri facilius exponuntur. Spiritus Christi spiritibus illis carceratis, *προφευθεῖς*, profectus, cum ad eos iuisset, proclamauit, prædicauit. Sicut Deus egressus est in Aegyptum iuit, transiuit, et ita profectus primogenitos interfecit, exo. 12. ita tempore Noë iuit, et ita profectus spiritibus illis proclamauit. Per ipsius Noë præconium, fore eis horribile iudicium, spiritus Christi proclamauit, sicut per Henoch pœnitentiam eis prædicauerat. At

rat. At illi inobedientes fuerunt, ut ait Petrus. Sopiti gigantum spiritus, et impostores angeli, præconis vocem audire contempserunt. Quod versio nostra habet prædicavit, græce est ἐκηρύξεν, quod præconizare significat, seu proclamare, et ad tempus Noë bene refertur, Qua ratione idem Petrus eandem dictionem et sensum servans, epistola sequenti vocat ipsum Noë κηρυκα, præconem, caduceatorem, bellum indicentem. Christus ergo spiritu suo æterno in spiritus illos profectus sententiam per Noë proclamavit. Quod carcerem nos diximus, græce est φυλακη, id est, custodia, observatio, detentio. Sicut dicitur Babylon φυλακη, custodia omnis spiritus immundi, apoc. 18. ita impiorum corpora erant custodia spirituum malorum, qui eos inhabitabant, ut ait Iob. Spiritus illi mali in hominum corporibus detenti, in abyssi detentionem fortiolem sunt missi, in qua detenti erant, descendente post passionem ad inferos Christo. Qui etiam ibi eis prædicavit. Ea omnia Petrus docet, ancipiti sermone utrumque sensum comprehendens. Verba eius indefinite prolata, ita sonant, Mortificatus carne, vivificatus spiritu, in quo et ipsis in carcere spiritibus profectus proclamavit, qui inobedientes fuerant aliquando, quando semel expectata est Dei lenitas in diebus Noë, cum parabatur arca. Non solum ergo eiusmodi spiritibus olim per Henoch et Noë prædicavit spiritus Christi, sed et postea ad inferos descendens, eis ipsemet prædicavit, futurum aliud denuncians iudicium. Hinc ipsemet Petrus capite sequenti ait, esse mortuis prædicatum a Christo euangelium. Fuit euangelium aduentus et resurrectionis Christi ipsi inferno manifestatum, cum eo descendens Christus resurrexit, plerosque secum educens et reliquis denuncians, aliud fore iudicium. Non solum vero temporibus Noë, sed et aliorum seculis, per prophetas semper agebat spiritus Christi, ut cap. 1. ait idem Petrus. Hæc est maxima gloria Christi. Omnes Dei actiones

nes, quas olim legimus, erant actiones ipsius Christi: quia ipse solus erat exhibitio diuina. Ipse est ab antiquo rex, operans salutes in medio terræ psal. 73. Et persona Christi et spiritus ipse Christi æternus vere ibi agebat. Circa alios vero malignos spiritus est hoc quoque non omittendum, quod spiritus ipsos vocans Petrus notat cogitationes a malis spiritibus oppressas. Vidit Deus quod omnis cogitatio cordis, esset ad malum intenta. Paulus quoque dum est quæstio de captiuandis cogitationibus hominum ad obsequium fidei Christi, ait esse pugnam aduersus spiritus nequam. Ephes. 6. quia illi mentes tenent captiuas 2. Timoth. 2. Hac pugna est nobis nunc pugnandum contra angelos nequam. A malignis spiritibus erant illi contumaces facti. Nam malignus spiritus est, spiritus agens in filiis contumacibus. Ephes. 2. Cum eiusmodi contumacibus spiritibus nolens Deus totiens disceptare, eis pœnitentiam per Henoch prædicando, exitium per Noë proclamauit, atque intulit. Hac ratione dixit Deus, Non disceptabit perpetuo spiritus meus in homine genes. 6. Videtur tamen contrarietas, quod dicat Deus, spiritus meus in homine, si a malis spiritibus erant obsessi? Respondeo, Spiritum Dei esse homini insitum ab origine, Genes. 2. Eum serpens carni intrusus, peccatumque nostrum, passim impedit, ne menti hominis dominetur. Super quo frequens est intus disceptatio. Nam contra mali spiritus stimulos, spiritus Dei aliquando, vel ad momenta quædam nos euigilat, monet, et in libertate constituit. Cum autem nos videt illi nequaquam obaudire velle, tunc in interitum nos tradit, aut reprobam mentem, ad maiorem gloriæ suæ manifestationem, vt Pharaonem, et Chananæos indurando fecit. Spiritibus itaque hominum obsessis, et malignis spiritibus in corporum custodia excu-

f. 2. banti

bantibus, est ibi ad abyssum vsque proclamatum. In spiritus erat iudicium et corporibus intactis spiritus suffocatione præmebantur, et spiritus nequam eis intrusi in ipsamet abyssu ligati retinebantur. Petrus angelicos illos spiritus ait esse catenis noctis in aquarum tartarum præcipitados. Hoc comprobatur vox φυλακη, quæ nocturnam custodiam proprie significat: in quo significato sæpissime in sacris literis ponitur, etiam in euangeliiis, ut Lucae 2. 12. et Matth. 24. Innuitur ergo, nocturno tempore cæpisse catachysmum aut eos noctu postea, seu tenebroso tempore submersos. Ad huius similitudinem, ut fur in nocte, futurum est nocturno tempore finale iudicium, Matth. 24. Lucae 17. 1. Thes. 5. et 2. Pet. 3. Nocturni quoque temporis meminit citatus psal. 89. φυλακην, custodiam noctis, et carcerem animæ ibi nominans. Animæ sensus tunc per somnum videntur magis carcerati. In noctis silentio Aegyptiorum primogeniti sunt interfecti, ubi et φυλακη pro nocturna custodia sumitur. Exo. 12. et plenius Sapien. 17. ubi verba similia de custodia carceris sine ferro, et catenis tenebrarum. Noctu in ebrietate sunt interfecti Babylo-nici proceres cum rege Belsazar, Esa. 21. Iere. 51. et Dan. 5. Babylo-nici illi proceres perpetuum cum gigantibus somnum dormierunt, nunquam euigilandi, Esa. 26. sicut nostræ Babylonis gigantes perpetuum somnum nunc dormiunt. In reprobam mentem ita sunt dati, ut nolit Deus a somno eos excitari, sed in sua ebrietate, et scortatione perire. In spiritus ergo ita male oppressos, ob somnum, et nocturno tempore carceratos, bene cohæret lata sententia.

Discamus ex hic omnibus, verendam illam Noë seculo in spiritus latam sententiam, non abs-re a Christo nobis denuo formidabilem fieri. Nam vere dixeris, Deum in fascinatos spiritus nostros sententiam tulisse, cum sit in nostra Babylone daemonum custodia, ut est a Ioanne prophe-

tice

tice repetitum, dicto cap. 18. In ea sunt vere spiritus impostores, qui se, vt olim, spirituales et angelicos vocant, cum nec scintillam habeant boni spiritus. Filii Deo consecrati cōeunt ibi cum filiis hominum. Ob quam causam est denuo perdenda Babylon, mater scortationum, et abominationum terræ, vt ait Ioannes. Nihil aliud plane in Babylonis ecclesia hodie videas, quam filios Elohim, purpuratos heroas, dæmones magnos, adulterinos pastores, omnes vanis cogitationibus ductos, quorum spiritus totus in carcere stertit. Qui sicut illi, comedunt, bibunt, multas vxores habent, et mulieres esse communes volunt. Non est qui Christum requirat, et dicunt, se errare non posse. Adeo cæcus est hodie mundus, vt credat per huiusmodi scorta ecclesiam Dei gubernari. Externam quandam pietatem magna hypocrisi vsurpant, qua nobis per humilitatem et superstitionem imponunt. 2. Timot. 3. et Colos. 2. Lege caput Esaiaë 56. et nisi tales inuenias pastores nostros, dic me esse mendacem. Lege Iere. 8. 23. Ezech. 22. 34. et Mich. 5. Si illi qui esse debebant sal terræ, infatuati sunt, in quo alii condientur?

Succedit vnus ex multis locis exponendus locus, ^{Decimus quintus locus.} Qualiter Deus per Iesum Christum vniuersa condidit, Equef. 3. Colos. 1. Heb. 1. et 2. et 1. Cor. 8. Hic homo Iesus essentialiter est verbum illud, per quod omnia facta sunt. Eius gratia est verbum prolatum, et mundus creatus, Propter eum sunt omnia, vt ait apostolus, propter quem omnia, et per quem omnia. Ipse igitur erat finis et scopus, propter quem sunt omnia. Ipse etiam est, per quem omnia fecit Deus. Nam ea ipsa generationis Christi prolatio fuit causa creationis omnium. Per eam ipsam verbi prolationem, seu Christi exhibitionem, proferendo factam, sunt simul omnia creata: atque ita sunt omnia vere per ipsum. Sed quia hæc in sequentibus sunt magis declaran

f. 3.

randā, sat erit nunc, si in eo, quod uerbum caro factum est, tantam inesse vim intelligas, ut illa eadem Dei virtus, qua creata sunt secula, tanta sicut tunc erat, sit nunc in Christo, propria ipsius facta, ut dicat eam suam esse, sicut ait, Omnia, quaecunque habet pater, mea sunt. Potestas uerbi facta est potestas carnis, sicut uerbum factum est caro. Ideo Christus sua uirtute facta esse secula, iustissime dicere potest. Idem est autem quod dicens, per me factum est, aut mea uirtute factum est. In quam sententiam Paulus pluries repetens ait, per filium, per Christum, per quem, per ipsum, id est, per immensam illam, quæ in eo est, Dei uirtutem. Ad Hebræos ait, uerbo uirtutis Christi omnia fieri, et gubernari. Uerbo filii audis omnia fieri, ne uerbum cum filio metaphysice sumas. Alia item ratione, per te factum dicere potes, id quod olim per spiritum tuum factum fuisset, si spiritus carnem præcessisset. Talis uero in Christo erat spiritus æternus, qui erat spiritus sapientiæ, ideas rerum olim continentis. Ipsa sapientia olim simul erat uerbum et spiritus, ut multis locis docent Irenæus et Tertullianus, quia non erat realis distinctio. Ipsamet sapientia erat spiritus, et mens ipsius Christi uiuentis, omnia ita faciens, ut per ipsum Christum dicerentur omnia fieri. Hac similitudine uelut simia Christi Simon magus, per se ac uirtute sua, esse facta secula dicebat. Si igitur in te esset æternus ille sapientiæ Christi spiritus, et rerum idea, tunc spiritu loquens diceres te ibi fuisse: eorum omnium memor esses, rerum omnium creationem facie ad faciem tibi præsentem intra te ipsum conspiceres, ac per te illa omnia esse facta diceres. Expositio ista commoda satis est, ut per potentiam uirtutis Christi esse facta secula dicas. Postea uero ab ipso Christo esse omnia facta, ei omnia substantialiter insita, facile intelliges, et ipsummet Christum omnia creasse, fuisseque hunc olim

olim creatorem, in propria substantia et persona.

Decimus
sextus
locus.

Cognita diuina Christi virtute et potentia, intelligimus esse verum, quod dixit, se potestatem habere animam ponendi, et iterum eam sumendi, Ioan. 10. Non solum in anima, sed et in carne Christi, est substantialis deitas, et potentia eadem. Hic homo totus habet vitam et virtutem Dei in semet ipso. Cum diuinitas sit in homine tota, omnis paterna potestas in me est, et mea est. Ideo potestatem habeo omnia faciendi. Diuinitatis virtus, quæ corpus hoc a sepulcro excitabit, et animam reducet, mea est et in me est. Ideo potestatem habeo corpus hoc resuscitandi, virtutem habeo animam hanc ponendi, et reassumendi. Potestatem filius habet vitæ et mortis. Spiritus ille Elohim, qui totum orbem repleuit, est nunc in Christo: et eius halitus nunc totum orbem sustinet. Christus viuens totam mundi vitam habet in semet ipso, per hanc igitur viuificatoris spiritus potentiam, ego in meipso potestatem habeo. At postquam mortuus fuero, cum iam non sim ego, non proprie secundum temporis rationem tunc dicitur, ego resuscito meipsum, sed pater me resuscitat. Ita passim in scripturis leges, quod pater hunc Iesum filium suum resuscitauit a mortuis. Si filium mortuum vere resuscitauit Deus, vere duxit de non esse ad esse. Atque ita non erat tunc viuens filius. Vera enim mors vitam tollit, ducit de esse ad non esse, et vera resurrectio ducit de non esse ad esse. Erat vero semper viuens persona filii, diuinitas eius, quæ corpus resuscitauit, et animam induxit, vt dicere quoque possis, quod ille se ipsum resuscitauit, virtute ea, quæ sibi nunc inest.

Decimo septimo loco non vnus, sed multi loci Decimus
exponentur, si hoc requiramus, An homo Chri- septimus
stus dicatur sapientia Dei, virtus Dei, et splen- locus.
dor gloriæ? Hæc de nominibus abstractis quæ-
stio Scotistis faciet difficultatem, sed Hebræis nulla
est. Innumera sunt apud eos nomina desinen-

tia in el et iah, quæ hanc habent significationem. Tritissimus est Hebraismus, ut eum excellens aliqua Dei proprietas alicui conuenit, eius nomine ipse nominetur, ut res fortis fortitudo Dei, res sapiens sapientia Dei, medicina Dei, salus Dei. Arbor magna dicitur arbor Dei, ventus magnus ventus Dei. Res pulchra et sancta vocatur pulchritudo sanctitatis, gloria sanctitatis, splendor sanctitatis. Hominem aliquem sæpe vocamus insignem patriæ decorem, florem, gloriam et splendorem: ut per excellentiam hæc Christo conueniant. De Ioanne baptista dixit Christus, Ille erat lucerna ardens et lucens, et apostolos dixit esse lucem mundi. De Simone mago dicebant, Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna, acto. 8. Iudith dicebatur gloria Ierusalem, lætitia Israël, honor populi. Christus ergo est vera lucerna ardens, et in gloriæ splendore lucens. Ipse est lux mundi, lux genitum, omnes illuminans et expectatio omnium. Splendor faciei eius totum cælum illuminat, et in futuro seculo illuminabit. Ipse est sapientia Dei, totam in se Dei sapientiam continens: et in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Ipse est virtus Dei, per quem omnia facit, et omnia nunc facit Deus: qui totam habet Dei potentiam et potest omnia.

Decimus
octauus
locus.

Decimus octauus locus, Pluit dominus super Sodomam et Gomoram sulphur et ignem a domino de cælo, genes. 19. Quia dicitur dominus a domino, duas res æquales plerique ibi colligunt patrem et filium, quasi diceret, filius a patre. Ad huius loci facilem intelligentiam est primo aduertendum, eam esse Hebraicæ linguæ phrasim, ut dicatur, Congregauit Salomon omnes tribus Israël ad Salomonem, id est, ad se ipsum 3. reg. 8. Et Roboam congregauit tribus suas, ut reduceret regnum ad Roboam id est, ad sei

ad seipsum 3. reg. 12. et 2. paralip. 11. Moſes dixit ad Hobab, cognatum Moſis, id eſt cognatum ſuum, Nume. 10. Item genes. 1. 5. et 9. fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Ibidem ait Deus, recordabor fœderis inter Deum, id eſt, inter me et hominem. Dixit Deus ad Iacob, vt faceret aram Deo, genes. 35. Audiuit dominus murmur veſtrum contra dominum, exo. 16. Et paulo poſt, Dixit Dominus ad Moſen. Dominus dedit vobis ſabbatum. Et cap. 31. et 35. Deus impleuit Beſeleel ſpiritu Dei. Frequens eſt Hebræis, antecedens pro relatiuo poni. Hæc prima reſponſio ex phraſi linguæ eſt admodum aperta. Vtinam hebraice loqui nouiſſent omnes ſophiſtæ. Ea ſola ſancta lingua continet vera Dei myſteria, qua ſola Deus ipſe loquutus eſt. Secunda eius dicti declaratio etiam ex phraſi linguæ colligitur, vt dicatur ignis a domino ignis magnus: ſopor a domino, ſopor magnus, ventus a domino ventus magnus. Hebraiſmi ſunt, vt nuper dicebamus. Dicitur autem ignis a domino de cælo, quia ſuſum eſt ignis in empyreo, vnde huc mittitur ignis, vt de igne dæmonibus iam parato dicemus. Vltima declaratio myſtica, in qua nos myſterium Chriſti agnoſcimus, vt fuerit verbum inter homines verus Iehouah, perſona Chriſti per angelum geſta, Angelus ibi habens nomen Iehouah, pluit ignem ab immenſo et ſupremo Iehoua patre domini noſtri Ieſu Chriſti.

Decimo nono non exponemus, ſed quæremus, an ^{Decimus} verbum illud Ioannis fuerit olim filius realis, an per-^{nonus}ſonalis? Reſpondeo, in prophetis ſemper futurum ^{locus.} prædici filium. Orietur vobis ſol iuſtitiae, Malach. 4. Aperietur terra, et germinabit ſaluatorem, Eſa. 45. Egredietur virga de ſtirpe Ifai. Eſa. 11. Orietur dux eius ex eo et princeps de medio eius producet. Iere. 30. Orietur ſtella ex Iacob, Num. 24. De Bethleem egredietur Dux, Mich. 5. Vocabis nomen eius Immanuel, Eſa. 7. Ero ei pater, et ipſe erit mihi filius,

1. paralip. 17. et 2. reg 7. Filius altissimi vocabitur. Lucæ 1. Putas Ioannem voluntate humana loquutum verbum potius quam filium dixisse? Vnde tantus vocum abusus? Vnde tanta filios somniandi licentia? Nec verbum vnum, nec iota vnum in bibliis ostendere potes, quo verbum illud filium olim appellarit scriptura. Qui sermonem Dei rite seruabit, vbi in scriptura dicitur verbum, dicet et ipse verbum, vbi filius, filius: olim verbum nunc filius. Tribuitur quidem filio Iesu Christo æterna generatio. Filium hunc hominem hunc Iesum dicimus ab initio apud Deum fuisse, in propria persona et substantia. Verbum erat olim personalis filius, in persona et substantia futuri filii. Nam erat oraculum illud persona Christi apud Deum. Ab æterno apud Deum est hic ipse Iesus Christus, personaliter et essentialiter, secundum substantiam corporis et spiritus. Concedendum igitur, verbum fuisse olim personalem filium, non realem.

Vicissimus locus.

Vltimus locus est epistolæ ad Hebræos, cap. 2. Non angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Ex verbi hypostasi, et persona, concessuri sumus, quod ipsum de cælo veniens carnem assumit et induit. Quanquam etiam concedamus, quod ipse homo carnem assumit et carne vestitur, sicuti ait Iob, pelle et carnibus vestisti me: hic tamen de assumptione locus aliter nunc exponitur. Apostolus non comparat semen Abrahæ vni angelo, velut vni humanitati, sed toti angelorum cætui. Quasi diceret, Non venit angelos liberaturus, et in se assumpturus, sed homines. Non de præterita humanitatis vnione, sed de præsentī, et quotidiana hominum in se assumptione, cum emendatione quadam ibi loquitur apostolus, vt ἐπιλαμβάνεται, verbum præfens ibi aperte docet. Collectiue sumitur semen Abrahæ, vt plurimis scripturæ locis constat, maxime Ioan. 8. psal. 104. et Esa. 41. vbi hæc assumptio declaratur. De assumptione eadem habetur exo. 19. Vidistis quomodo portaue-

tanerim vos, et assumpserim mihi. Et 3. reg. 12. te autem assumam. Et 2. reg. 22. assumpsit me, et traxit de aquis multis. Ad hunc modum fidelis noster pontifex Iesus Christus, non angelos assumit, sed nos a diaboli seruitute liberans, et de morte trahens ad vitam, assumit in gremium suum, in cæleste regnum, et gloriam Dei. Assumam vos, inquit, Ioan. 14. Assumite vos inuicem, sicut Christus assumpsit nos in gloriam Dei. Rom. 14. Ad idem deut. 30. Assumet te, congregabit te, et introducet in requiem suam. In quam requiem hodie lector ingredieris, hodie e cælo genitus, et in cæleste regnum assumptus, si tamen hodie audieris vocem eius, cælestem illam, Hic est filius meus. Væ sophistis, qui cauillis et tropis tergiuersantur. Væ illis, qui Deum discerpunt, dilacerant, et imaginarie diuidunt.

De Tri-

DE TRINITATE

DIVINA LIBER TERTIVS

personæ Christi in verbo præfigura-
tionem ostendens, visionem Dei
et verbi hypostasim.

Christus Iesus Dominus et Deus noster, ex
tam multis locis iam patefactus, calcar nobis addit,
et animum roborat, vt maiora alia, quæ de ipso
superfunt, arcana deinceps proferamus. Est vero
summa tota, finisque nobis hic positus, manifestatio-
nis Dei modum verum inuestigare, ac Christum
in omnibus scopum proponere. Hoc itaque tertio
libro, vt ad visionem Dei perueniamus, de verbi per-
sona prius differemus, in verbo ipso personam Chri-
sti ostendentes, vt totum sermonis arcanum sit Chri-
sti glorificatio. Ad hoc tendere dicimus Ioannis pri-
mum euangelium, vt gloriam Dei in facie Iesu Christi
omnes videamus, vt eam gloriam in facie Christi
videri ait Paulus. 2. Cor. 4. Et Ioannes ipse ait,
Verbum illud caro extitit, et vidimus gloriam eius,
Ioan. 1. Verbum ipsum diuinum, quod initio erat a-
pud Deum, nos vidimus 1. Ioa. 1. Verbum erat λό-
γος, idealis ratio, iam hominem referens. Id iam
occulte referebat, in quo futurum erat, vt palam vi-
deretur, et vidimus et testamur. Illam vidimus in
facie Iesu Christi gloriam, quam olim super cherubim,
intra caliginem et nubem lucentem, tenebræ non ap-
prehenderunt. Illam vidimus Christi gloriam, quam
ipse ab æterno habet apud Deum, Ioan. 17. Iam
olim in verbo apud Deum erat futuri hominis Iesu
Christi exemplar, persona, et effigies. Et τὸ πρό-
σωπον, hæc persona, hic vultus, hæc facies, hæc
homi-

hominis in Deo repræsentatio, mystice latet in omnibus scripturæ locis, qui de imagine, facie, et persona loquuntur. Prophetæ videntes dicti, videbant olim Deum, non alia ratione, nisi quia Christum in Deo videbant, et Deum per Christum videbant, sicut ipse ait, Qui vidit me, vidit Deum. Videbant olim prophetæ vultum Elohim, videbant in Dei oraculo prototypum illum, et futuri hominis exemplar. Quid enim aliud facie ad faciem in Deo videre potuissent? Ipsam Christi substantiam ibi videbant, sicut nos in Christo videmus substantiam Dei. Primum exemplar in archetypo illo superiore mundo fuit homo Christus Iesus. De hac in Deo effigie, figura, et imagine loquitur Moses Deut. 4. et 5. Num. 12. Et Exo. 20. Loquentem populus ille audiuit, sed loquentis Christi imaginem non vidit. Et ibi תמונה temunah, formam ipsam, figuram, effigiem, et imaginem Iesu Christi designat, quam videbat Moses. Comprobat hoc David eadem voce usus, psal. 16. qui est Hebræis 17. Videbo faciem tuam, et satiabor cum apparuerit imago tua. Hanc imaginem a longe vidit Balaam. Num 24. Videbo eum inquit, et non nunc intuebor eum et non prope. Illustrem hanc faciem desiderarunt omnes prophetæ videre. Hoc desiderans David ait psal. 79. Qui sedes super cherubim, affulge, cum splendore appare. Illustra faciem tuam, splendere fac vultum tuum, et salvi erimus. Idem de hac facie et vultu tradit psal. 4. et 43. Ad eundem modum psal. 88. faciem et vultum Christi in Deo speculatur. Hunc vultum vidit Esaias sedentem super folium excelsum, velata tamen erat facies alis igneis, Esa. 6. Quam faciem ibi dixeris, et quos pedes nisi Christi? Non erant quidem materialia membra, sed eorum in luce Dei relucencia, et præfiguratio Christi. Idipsum in visione illa Ezechielis probatur. cap. 1. et 10. et in visione Danielis cap. 10. et in visione septuaginta seniorum exodi 24.

Confer

Confer eas omnes visiones, cum visione Ioannis in apocalypsi, cap. 1. et 4. et idem ab illis omnibus in Christo visum dices, personam, et faciem eandem.

Non erat larua sola, sola ibi creata figura, ut finxerunt sophistæ: sed ipse Deus se ita exhibere voluit, ad gloriam Christi. Nullam ipsi vere substantiæ Dei exhibitionem agnoscunt, atque ita nec veram spiritus communicationem: quasi per se hoc non possit Deus, quasi per se non genuerit Christum, et quasi solo præstigio deciperet videntes. An erat sola creata figura, quam inuocabant, adorabant, et videbant prophetæ, sedentem super cherubim, quam et prodire desiderabant? Apertissime docet Deus Num. 12. in ea Moïsis facie ad faciem visione non fuisse aliquod ænigma, nec suppositam similitudinem, nec laruam, nec figuram aliunde quæsitam, sed ipsissimum Deum, quanquam esset facies eius velata. In ipso verbo repræsentationem et figurationem Christi, ait Irenæus lib. 4. cap. 15. et 17. Per angelum quoque Deum visionem aliquam exhibere potuisse negant sophistæ, quia angelo impossibilem aiunt formam aliquam, quæ videatur. Nos vero ostendimus fuisse angelum et Christum. Præter angelum erat vera facies Dei, ut aperte constat Exo. 33. et iam citato capite Num. 12. Facies erat Christi lucens quæ fuit olim facies Dei. Facies supra splendorem solis lucens in virtute sua: non lucens luce creata, sed luce increata. Et ea ipsa facies olim in angelo lucebat, cum esset angelus verbi luce vestitus.

Illud verum est, quod propter peccatum fuit visioni Dei quædam opposita nubes seu velaminis caligo, usque ad Christum. Non erat olim aperta visio, sicut nunc, cum habitaret tunc Deus in caligine, et velaret quodammodo Christum. Hinc imaginem filii hominis vidit Daniel, sub velamine, et nube, Dani. 7. Idipsum vidit Zacharias sub ob

sub obscuritate noctis Zacha. 1. Hanc faciem ut Christus inquit, desiderauerunt olim prophetae et reges videre, et non plene viderunt, Matth. 13. et Lucæ 10. Hoc vero desiderium apparet locis citatis, et psal. 23. 26. 66. 67. 79. et 2. paralip. 9. Imo præceptum legis est, ut volentes cui benedicere, dicant, ostendat tibi dominus faciem suam Num. 6. Hanc faciem expectat Esaias cap. 8. Quia enim velatam et absconditam eam faciem viderat cap. 6. postea cap. 8. ait futurum, ut ea facies reueletur. Eandem faciem expectat Habacuc. cap. 2. et 3. Hæc et alia teste Ioanne, dixerunt Esaias et alii prophetae quando viderunt gloriam Christi, Ioan. 12. An gloria illa Christi in Deo erat sola creata larua? Hoc Arriani dicerent. In Deo ipse habebat homo Christus gloriam suam antequam mundus esset. Ioan. 17. De ea Christi gloria diuina et splendore aperte loquitur Esaias, et ipsum Christum splendorem gloriæ probat, seu relucetiam in Deo gloriosam, cap. 60. et 66. sicut dicitur Christus refulgentia gloriæ, Hebr. 1. Splendor eius ut luxerit. Habacuc. 3. Coruscans splendor faciei Christi supra splendorem solis Paulo visus est, acto. 9. et 26. Quod dicitur olim esse visum dominum, facie ad faciem, declaratum habemus in euangelio, fuisse faciem Christi. Nam euangelicæ litteræ docent, Deum per Christum esse visum: alias nec visum esse, nec videri potuisse, Ioan. 1. 5. et 14. Hebræ. 11. primæ Ioan. 4. et primæ ad Timoth. 6. Idem apertissime docet visio Iacob, genes. 32. ubi ait, se nocte vidisse ipsum Elohim, facie ad faciem. Eam ipsam faciem docens esse faciem et vultum hominis Christi, cum ait capite sequenti ad Esau fratrem suum, Vidi faciem tuam, ac si viderem faciem Elohim, vultum Elohim, quem hæc nocte vidi. Idipsum docet

docet Christus per verbum præteriti temporis, Qui vidit me, vidit patrem, non laruam, non falsum spectrum. Verbum Dei viderunt olim prophetæ, vt aiunt Irenæus et Tertullianus. Patefecit Deus temporibus suis verbum suum. Gratia quæ palam facta est nunc, data est nobis per Christum ante tempora æterna: quia Deus ante tempora æterna Iesu Christi exemplar, substantiam, lucem, et spiritum, in se ipso continet, gratiam hanc nobis per eum daturus. Christum ipsum, verbum ipsum, aiunt Petrus et Ioannes manifestatum. 1. Pet. 1. et 1. Ioan. 1. Quia ille ipse Christus antea in verbo adumbrabatur, intra caliginem et nubem. Erat sermo representans Christum, et ipse ibi representatus, erat facies Dei. Paulus Christum ipsum hominem ait esse *εἰκονα*, effigiem veram inuisibilis Dei, et gloriam ipsam Dei in facie Iesu Christi cognosci. 2. Cor. 4. Cognoscitur inquam, quia gloriosa illa Christi facies in Deo relucebat. Nota Pauli verbum, quod visa Christi facie, videatur gloriosus Deus. Ea ipsa inquit est gloria, quam priusquam mundus fieret, habui apud te, Ioan. 17. Hoc ibi cogita, quod non deitas, sed homo ipse petit se glorificari ad eam gloriam, quam ipse olim habebat apud Deum. Hic homo iam tunc erat in Deo gloriosus, et omnibus desiderabilis, non larua in Deo creata. Eius faciem Moses et prophetæ videre desiderarunt. Aliqualiter viderunt, et gauisi sunt, vt de ipso Abrahamo ait Christus Ioan. 8. Viderunt illi posteriora, sed non faciem. Exo. 33. Perinde est a tergo videre, aut velatam faciem videre. Terror eos opprimebat cum in hanc faciem oculos intendebant, et mori timebant. Exo. 3. et 20. et. Iudicum 13. Quia erat ob Adæ peccatum occultata facies Dei, et ante eam flammeus gladius. Genes. 3. Qui prius erat ipsi Adæ visibilis et postea factus inuisibilis. Peccatum fecit occultari faciem Dei obiecta quadam furoris eius nube, Esa. 59. et Thren. 3. Terribilis in lege erat, visio, formido

dolosa et deterrens, quæ Mosen et Eliam coge-
 bat faciem abscondere, dicto cap. exo. 3. et reg. 19. No-
 bis vero, sublati terribilibus visis, gratiose loquitur
 Christus. Heb. 11. Olim se iratum ostendebat Deus,
 nunc placatum per Christum. Velamen tam interni
 oraculi, quam faciei Mosi, significabat, gloriam Dei,
 et veram sanctorum viam, nondum esse manifestatam,
 Heb. 9. Nobis vero, disrupto templi velo, reuelata
 facie licet adspicere in sancta sanctorum, id est, in
 faciem Christi cælestem, quæ eis erat velata. 2. Cor.
 3. et 4. Nobis non est aliud velamentum, quam
 ipsa Christi caro, totam in se patris deitatem substan-
 tialiter continens, Heb. 10. et Colos. 2. Ea caro
 quasi velum a Iudæis in passione disrupta, veram dei-
 tatem et gloriam cælestem resurgendo patefecit. Vi-
 dit ergo Moses velatum faciei Christi vultum, sed
 non veram faciem. Desiderauerunt, inquit Christus,
 videre, quæ vos videtis, et non viderunt. Lux illa
 in tenebris lucebat, et tenebræ eam non apprehende-
 runt. Ioan. 1. Posuit tenebras latibulum suum in cir-
 cuitu suo, psal. 17. et 2. reg. 22. Habitabat tunc
 Deus in caligine. 2. para. 5. et 6. Vnde Ioannes,
 quia gloriosa illa facies, intra caliginem lucens, fuit
 eis occultata, eos omnes in tenebris fuisse indicat, di-
 cens, et tenebræ eam non apprehenderunt. Tota na-
 tura humana, ob peccatum Adæ, tenebris inferni ob-
 noxia, nomine tenebrarum ibi comprehenditur. Ad
 idem Lucæ, 1. Illuminare his qui in tenebris. Popu-
 lus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam,
 Matth. 4. Ipse etiam Christus ait Ioan. 12. Ego lux
 in mundum veni, ut omnis qui videt, et credit in me,
 in tenebris non maneat. Abscondita fuit eis facies
 Dei nobis manifestata, ut vere Dicatur Deus in carne
 manifestatus, 1. ad Timoth. 3. Eodem tendit Esaias,
 Deum absconditum vocans, cap. 45. quia intra patris
 vmbraculum Christi vultus latebat. Habitabat tunc
 Christus in abscondito altissimi, et in vmbraculo omni

potentis, psal. 90. Ibi erat absconditio fortitudinis eius. Habacuc. 3. et concordat Deut. 33. Nam tempore datæ legis absconditio fuit, dum non videbatur loquentis vultus: qui tamen est nobis lucide manifestatus. Quia vt prædictum erat, reuelabitur gloria domini, et videbit omnis caro. Ego ipse qui loquebar ecce adsum: et oculo, ad oculum videbunt. Hic ipse Christus antea erat absconditus, postea in terris visus, et cum hominibus conuersatus, Deus Israël, Baruch 3. De ipsa Dei sapientia loquitur Baruch de verbo visibili, in terris comparente, et inter homines conuersante, temporibus patriarcharum et Moysi. Lux erat diuina, et facies hominis, sicut in luce mentis tuæ est facies hominis visi. Lux illa gloriæ Dei, quæ erat lux verbi, et verbum ipsum lucens est nunc visibilis splendor faciei Christi, vt docet Paulus. 2. Cor. 3. et 4. Idipsum docuit Dauid vocans lucem vultus Elohim, seu lucem faciei Christi, psal. 4. 43. 66. 88. et 89. Quis hic a proprio sensu tam alienus, cum sophistis dicat, totam hanc lucem, et gloriam Christi fuisse falsam laruam, præstigium et imposturam? Si solum ibi erat creatum phantasma, et id erat reuelandum, iam sequitur Christum esse phantasma.

Si cupis latius gloriam Christi cognoscere, ascende ad cherubim et seraphim, contemplare rotas et animalia Ezechielis. Nam in eis omnibus imago Iesu Christi, quæ est ipsa Dei gloria, personaliter repræsentatur ac substantialiter relucet. Super illas rotas et animalia vidit Ezechiel, Christum, visionem gloriæ domini. Eadem sunt animalia visa, et eadem vox aquarum multarum apud Ezechielem, et apud Ioannem in apocalypsi. Vnde semper ad Christum relatio probatur. Angeli erant gloriæ Christi præcones, vt repetitæ voces indicant Esa. 6. Lucæ 2. et apoc. 4. Angeli humana facie Christum adumbrabant. Cum in angelo visus est Christus, nuncius patris præostensus est, et futurus ve

rus ve

Ius verus nuncius est ibi præfiguratus, magni consilii angelus. Post Adæ peccatum collocavit Deus ante oraculum faciei Christi ipsos Cherubim: sicut et faciem oraculi et suam velabant, seu occultabant illi in cælo visi cherubim, quorum exemplar ad tabernaculi constructionem est Mosi manifestatum, sicut et Salomoni, ut aureos ita faceret cherubim. Cherub generaliter dicitur excellens figura, et figura per excellentiam intelligitur humana, cui et excellentiam angelicam addunt alæ, iuxta Hebraicam etymologiam, existente prima feruili littera, dicuntur כְּרוּבִים Cherubim, quasi litigantes, quasi magni et inclyti: sicut rex dicitur cherub magnus. Semper in cælo ostensi sunt Cherubim, ubi erat contentio aliqua, et Deum tunc iratum ignei vultus designabant. Instar ignis tunc exardescibat ira Dei. Vnde et Seraphim dicti sunt ignei, incendentes, comburentes. Hi Cherubim, sicut et Seraphim Esaïæ visi, erant in hominis occulta imagine flamma quædam, alis faciem velantes, et obumbrantes: tum quia nec angelis datum est, diuinum splendorem sine Christo videre: tum etiam, ne tunc a Iudæis videretur ignea illa faciei Christi lux. Ad imaginem et exemplar Christi, quod in Deo viderat Moses, illa omnia depinxit, exo. 25. acto. 7. et Heb. 8. Nam exemplar illud, de quo exo. 25. est id, de quo capite præcedenti fit mentio, scilicet Elohim Christus, quem ibi viderat. Eandem Christi imaginem vidit Dauid super cherubim. 2. reg. 22. Cuius exemplar et similitudinem retulit filio suo Salomoni. 1. para. 28. Exemplar dicit, et similitudinem omnium, quæ spiritu viderat. Et ait, Intelligere me fecit omnia opera exemplaris. Omnia etiam, inquit, scripta sunt manu Dei. Sed quid dici potest manu Dei proprius scriptum, quam id quod in ipsomet erat expressum, et figuratum? Erat tamen eis figuratum sub velamine, quo Cherubim alis suis tegebant et obumbrabant ipsum Christi oraculum, exod. 25. et Heb. 9. Quamuis litera et vmbra ha-

beat ibi picturam lapidei templi, verum tamen templum est Christi corpus. Ioan. 2. eiusque exemplaris ad Christum collatio probatur Heb. 9. In summa, omnia quæ sunt in lege, sunt vmbra corporis Christi, vt docet apostolus ad collossenses et Hebræos. Per angelos Iudæis omnia fiebant, idque in vmbra Christi, et per eos ipsos Christus figurabatur. Iudæis angeli sæpe dicuntur dii, cum tamen id quod dii dicitur, sint vere Deus et Christus. 1. Cor. 8. non tritoitici dii inuisibiles. Gloriam Dei sedere super Cherubim, est Iesum Christum angelis esse superiorem. Quia ipse est dominus gloriæ, et sedet super sedem gloriæ suæ. 1. Cor. 2. et Matth. 25. Et cum eo splendore, maiestate, et gloria venturus est, Marci 8. et Matth. 16. Illa ipsa gloria domini, et maiestas, de qua exo. 40. illa ipsa recedens a Cherub, et veniens ad Christum, dicitur elauata supra Cherub, et multo sublimius collocata, Ezech. 9. Super caput Cherubim erat folium, et panda Christi sedes, Ezech. 1. et 10. quia Christus est angelis multo superior. Hac ratione confertur Christus cum angelis in epistola ad Hebræos, vt inde Iudæi, quibus angeli erant pro Deo, intelligere possent, Christum ipsum, qui angelis superior in lege figurabatur, esse supra angelos verum Deum. Angelorum vero deitatem habuisse tantum ministerii rationem, in vmbra et præfiguratione veræ deitatis Christi. Hinc factum, vt superstitionem vocet Paulus, si quis eius deitatis prætextu religionem angelorum inducat, Coloss. 2. Eadem ratione ait Iohannes, a simulachris omnibus, tametsi speciem aliquam deitatis habeant, esse nobis cauendum: quia solus Christus est verus Deus. 1. Ioan. 5. Non est sub cælo nomen aliud, in quo oporteat nos saluos fieri, actorum. 4. Christi veritas nobis effulgens, vmbas illas expuldit. Gloria illa domini, quæ per angelos toties in cherubim, et in nube apparuit, est nunc in facie Christi reuelata. Esa. 40. et 46. Cognito Christo
nos

nos omnes eo ipso, quod in eum oculos intendimus, reuelata facie videmus gloriam Dei, Efa. 66. et Habac. 2. Illa ipsa in facie Iesu Christi a nobis cognoscitur, quæ olim apud Iudæos in angelis adumbrabatur. Iudæi videbant angelum in Deo, et Deum in angelo: nos videmus Christum in Deo, et Deum in Christo. Videbant illi angelum in lege omnia disponentem, et tota lege vt Deum loquentem. acto. 7. Heb. 2. et Gala. 3. Angelus est ibi dictus facies Dei exo. 33. Angelum videns Iacob dicitur vidisse faciem Dei, Peniel. genes. 32. quia facies et persona Christi erat ibi per angelum adumbrata. In angelis tunc sub Christi persona habitabat nomen Dei, cuius in Cherubim habitatio id ipsum designabat. Nomen Dei habitabat tunc in angelo, exo. 23. sed tunc in vmbra, nunc in Christo per corpus. Colof. 2. Angelus Christum præfigurans, Dei personam induebat, et dicebatur Deus: sicut dixit angelus Iacob, Ego sum Deus Bethel, genes. 31. Et ad Mosen dixit angelus, Ego sum Deus patrum tuorum, Exo. 3. In persona Dei loquutus et visus est angelus ipsi Abraham, genes. 18. et 22. et ipsi Agar. genes. 16. et 21. Vnde Origenes super genesim, homelia octaua, ex sententia dicti cap. 22. Puto, inquit, quod sicut Christus inter nos homines habitu est inuentus vt homo, ita inter angelos habitu est inuentus vt angelus. Quod dictum ideo verum est, quia substantia angelica erat lucis verbi particeps, et in verbo erat Christi persona per angelum gesta. Angelus erat et Christus de quo loquitur Ezechiel capite 43. Vir stabat iuxta me, et dixit mihi, Atrium interius est locus folii mei, locus plantarum pedum meorum, vbi habitabo inter filios Israël in æternum. Vir ille figura erat Christi, quæ se angelus Deum faciebat, et hominem, sicut Christus est Deus, et homo, habitans in atrio interiori cordis nostri. Angeli humana facie mittebant se tunc adorari, Numeri. 22. et Iosue. 5. Nunc vero contra,

quia patefactus est Christus, quem illi præfigurabant, eum nunc adorantes et conferui nostri illi sunt apoc. 19. et 22. In angelo colebatur olim Deus, nunc in solo Christo vere colitur, et in angelis tunc colebatur sub vmbra Christi. Sicut Iudæi audiendo vocem angeli, audiebant vocem Dei, exod. 23. ita nobis vox Christi est vox Dei, acto. 12. Christus verba patris loquitur. Ioan. 3. Sicut videndo ita audiendo ipsum auditur pater. Ioan. 14. Panis corporis Christi est panis Dei, Ioan. 6. et sanguis eius sanguis Dei, acto. 20. Nos iustificati per Christum, facti sumus iustitia Dei: facti corpus et membra Christi, sumus congregatio Dei.

Ad propositam personæ Christi in verbo præfigurationem vberrime facit, quod dicitur homo, ad imaginem et similitudinem Dei factus: ad formam et figuram Dei, vt sonant Hebraicæ voces. Ad imaginem ait nostram et similitudinem nostram, id est, ad formam et figuram imaginis illius, Deo verbo atque angelis ipsis communis. Genes. 1. Nostram dixit, quasi plurium, et imaginem in singulari, non imagines: quia vna sola erat personalis imago seu facies, quæ erat Christi persona in Deo etiam angelis communicata. Memineris quod diximus proprium sermonis et sapientiæ esse, repræsentare. Verbum erat repræsentatio Christi. Verbum personale erat apud Deum et erat ipsemet Deus. In angelis erat ministerium figurationis, cum lucis verbi participatione. Verum itaque exemplar et primaria imago, seu prototypus est ipsemet Christus Iesus, ad cuius imaginem nos sumus olim facti, sicuti baptismo denuo nati, ad eius imaginem regeneramur. Veram dico, et interno homine visibilem imaginem, vt ostendam. Nunc de externa imagine est nobis sermo. Visibilem in Deo ipso apparuisse imaginem, ex apertissimis scripturis tenuerunt veteres Hebræi, vt docet Philo, Eusebius, Hieronymus,

mus, Petrus Alphonfus, Paulus Burgenfis, et plerique alii ex Iudæis ad Chriftum conuerfi. Id ipfum tenuerunt primi Chriftiani, vt ex Irenæo et Tertulliano conftat, qui in verbo ipfo fuiſſe aiunt humanam formam et figuram. Etiam ante Moſen, et apud exteros, erat hoc receptum, vt docent Iob et focii ipſius. Corporalibus oculis eam Dei formam vidit Iob capite vltimo dicens, Auditū auris audiui te, nunc oculus meus videt te. Quid illud eſt, nunc oculus meus videt te? Regem ipſum Deum vidi oculis meis, ait Eſaias capi. 6. Ipſum Iehoua ego vidi in folio ſuo, ait Michæas 3. regum vltimo. De qua re vide Euſebium Pamphili libro quinto de demonſtratione Euangelica, et libro ſeptimo de præparatione euangelica. In imagine Dei eſt corpus Adæ formatum antequam inſpiraretur anima: ergo corporis erat imago. Secundum faciem eſſe virum prius formatum, ad imaginem Dei, deinde ſæminam, docet nos Paulus de ipſa faciei imagine loquens. 1. Cor. 11. Imago et ſimilitudo primæ hominis formationis ad imaginem Dei, continet animæ et corporis imaginem et ſimilitudinem. Quanquam morali ratione dicatur primus homo imago et ſimilitudo Dei, in innocentia, et iuſtitia: quanquam item anima ad ſimilitudinem Dei ſit mens quædam intelligens: tamen in formatione hominis צֶלֶם zelem, et דְּמוּת demuth, eſt totius imago, et figura viſibilis: vt vocum ſignificatio manifeſte docet. Eo magis, quia Chriſtus ipſe totus dicitur effigies Dei, et figura. De zelem probatur Dani. 3. vbi de Nabuchodonozore dicitur: Zelem, id eſt, forma, vultus eius eſt immutata. Et pſal. 72. qui eſt Hebræis זֶלֶם Zalmam, id eſt, faciem ſeu vultum eorum deſpicias. Aperte ibi oſtenditur, zelem eſſe externam formam. Zelem quoque dicitur forma, et imago ſtatue corporea, vt num. 33. quarto regum 11. et alibi paſſim. De demuth idem probatur. Ezech. 1. et 8. et Eſa. 40. Illud idem exemplar ſecundum

quod conditus est homo, est demuth, quod ibi vidit Ezechiel. An erat illa larua creata demuth, ad cuius imaginem factus est homo? Per veram Christi formam, et figuram, quæ in Deo erat, assimilatur homo Deo etiam corporaliter, adeo ut etiam mortui hominis corpus dicatur imago Dei. Per easdem voces zelem et demuth, genuit Adam filios ad imaginem et similitudinem suam, ut erat ipse formatus ad imaginem et similitudinem Dei, genes. 5. ergo erat figuræ similitudo. Corpus ipsum Adæ esse ad imaginem et similitudinem Dei formatum, docent Irenæus et Tertullianus. Idipsum post veteres Hebræos, et cum primis ipsis Christianis, docuit Philo lib. 1. quæst. in genesim, quem citat Eusebius Pamphili citato lib. 7. de præparatione euangelica. Nullum mortale, inquit, ad supremum patrem tanquam imago conferri potest: sed confertur per verbum tanquam per Deum quandam intermedium. In libro quoque de agricultura ait Philo, ipsam hominis animam esse ad ideam et imaginem verbi primi exemplaris factam, et figuratam. Idipsum de animæ forma, et faciei imagine, docet in lib. Quod mulieres non decet indecore agere, et in lib. de mundo, Veterem ait esse sermonem, quod diuinitas in specie humana sæpius apparuit, quæ et ad sui imaginem hominem condidit. Ad exemplar igitur, formam, figuram, et imaginem Christi est factus Adam, secundum corpus et animam.

Quanquam vero cum dicitur, faciamus, et nostram, de angelis ad literam intelligatur, cum et angeli ideam hominis certa ratione contineant: tamen in mysterio semper intelligitur Christus in angelis adumbratus. De eis in persona Christi dicitur, sicut de Dauide et Salomone pleraque dicuntur excellentius, quam eis conuenire possint, propter subintellectum mysterium, dicuntur de eis, sed non propter eos. De angelo ad literam dicitur, Facies mea præcedet te,

det te, exo. 33. cum tamen vera facies sit Christus, qui fuit filius Israëli itineris comes. 1. Cor. 10. Imo ille qui dixit, Faciamus hominem, erat Christus, erat Elohim, persona illa verbi, quæ erat persona Dei. Et ad angelos loquebatur, sicut et angeli passim loquebantur ut dii. Ad angelos dixit, Ecce Adam, quasi unus ex nobis. Et iterum, Venite, descendamus, et reliqua. Per Angelos omnia in lege fiebant, et angeli dicebantur dii. Hinc aliqui supra Deos veteris testamenti, alios Deos esse tradiderunt. Hinc hæresis Simonis magi, Cerdonis, Marcionis, et aliorum, Deum legis negantium esse patrem Iesu Christi; quia Deum legis angelum sinistre intelligebant. Alii imaginati sunt, Deum reipsa esse corporeum ex sua natura innatas habentem formas corporeas, ei tota lege tributas. In qua re Onkelos Chaldæus in sua versione, et Rabbi Moses Aegyptius, in suis libris perplexorum, varie se torquent, ut suas formas a Deo tollant. At pro nobis illa omnia probant, omnis illa perplexitas per Christum facile tollitur. Quia ipse vere est facies, imago, effigies, et figura Dei, habens in se realiter formas corporeas. Ipse est Deus deorum, et angelorum Deus. Considerandum in hac re venit varietatis loquendi scripturarum artificium. Non est sine mysterio quod in veteri testamento, potius quam in nouo, scriptura talia Deo tribuat. Non est sine significatione, quod in veteri testamento, toties in Deo legas manus, oculos, faciem, et pedes, corporalibus oculis visos: et quod nihil horum in nouo testamento reperiatur, sed eius oppositum, nempe Deus spiritus est. Ratio est in promptu: quia tunc Christi apud Deum persona figurabatur. Non erat tunc realis distinctio patris a filio, sed ipse Deo tribuebantur formæ corporeæ, quæ nunc sunt in filio. Eadem ratione angeli in Dei et Christi forma eorum sermonibus miscebantur. Si hoc modo intellexit Cyprianus, antiquam veritatem recte usurpauit, dicens,

quod idem Deus et angelus et Christus ibi loquebatur. Libro enim secundo contra Iudæos, multis ostendit quod idem erat angelus et Deus, et Christus, qui ad Abraham et alios loquebatur, et videbatur. Quod totum vel ex vno loco colligitur, exo. 3. Nam Christus dixit, Ero qui ero: angelus apparens loquebatur et erat vox Dei. Idem notat Paulus ad Galat. 3. Lex inquit data est a Deo per angelos in manu mediatoris. Tanta est Iesu Christi gloria, ut in Deo, angelis, hominibus, agno, vitulo, serpente, ligno, petra, et aliis rebus, eius persona figuraretur. Hæc tanta Christi arcana, si fuissent olim intellecta, non dixissent quidam, angelos creasse mundum, et fuisse Deos veteris testamenti. Nam illi solam Christi umbram in ministerio gerebant: nec id in creatione ipsa, sed in aliis gestis postea sequutis. Alii Deum et ideam duo principia fecere: cum idea fuerit ipsamet verbi species, et forma diuina. Mirifica ratio, mirificum verbum. Deus verbo creauit, et erat Christi persona creans. Deus per verbum creauit, per seipsum creando, scilicet, per quandam sui exhibitionem proferendo factam. Fuit in creatione quædam Dei exhibitio, et communicatio creaturæ facta, ut formam illam Dei aspexerit pure Adam ante peccatum, et spiritum purum acceperit. Post peccatum fuit homini facies Dei occultata sub velaminis cælatura quadam, usque ad Christum non aperienda. Quasi per fenestræ cancellos se in lege conspiciendum exhibebat Christus, non aperte, prouer. 7. et cantic. 2. Hanc velaminis Christi cælaturam esse nobis aperiendam docet Zacharias cap. 3. ubi de Christo ait Deus, Ego cælo cælaturam eius, Ego aperio sculpturam eius. Significat proprie פתח patach, aperiendo cælare, et latentem figuram velut scalpro detegere. Atque ita se Deus aperuit Christum exhibendo. In eandem fere sententiam chaldæus interpretæ aspectum Christi reuelandum, seu aperi-

rien

riendum vertit. Sic enim ibi habet targum Ioanathæ
 אֲנִי הָאֵלֹהִים אֲנִי גֵלֵי חֶזְקִיָּהוּ ha æna gele chezijathaha,
 id est, Ecce ego reuelo, siue ego aperio visionem
 eius. Summa summarum, tam lex, quam omnes pro-
 phetæ, faciem, imaginem, reconditum, absconditum,
 habitaculum, vmbraculum, cum historiis et Christi
 prophetiis sæpissime miscent. Quia illa omnia quæ
 (vt Lucæ 24. et Matth. 11. inquit Christus) de ipso
 in lege et omnibus prophetis scripta sunt, spiritus
 domini artificiose insculpando cælauit, vt sub cæ-
 latura argentea lateat verbum aureum. Quod totum
 arcano Dei consilio, historicis, et cermonialibus typis,
 ceu tectório quodam adumbrabatur, sicut Christus ipse
 in Deo erat adumbratus. Per analogiam ad arcana
 superiora, erat umbra in inferioribus legis mysteriis,
 ad præfigurandum Christum. Vmbræ ergo ratio de-
 super venerat ad inferiora. Erat quidam in Deo lu-
 cidum verbum, in caligine tamen et umbra lucebat.
 Atque initio erat, quasi Christi umbra; tum quia
 Christum præfigurabat, tum quia umbra dicitur lu-
 men diminutum. Erat ibi lumen quasi diminutum, ob
 peccatum Adæ, et quia Iudæis non lucebat, vt nobis.
 Antiqui vocarunt corporale verbum. Erat enim sub-
 stantia lucens in nube, cum effigie rei corporalis,
 quanquam in se non esset materia corporea. Modum
 illum diuinitatis in nube, et generationis Christi rore
 cœlesti, ex sequentibus promte cognosces, cognita
 vniuersali et omniformi Dei essentia. Si credere pos-
 sis, quod Deus hominem filium vere ex se ipso ge-
 neret, facile hæc tunc credes. Plana ergo, et sim-
 plici consideratione est nunc Iesus Christus in Deo
 patre considerandus. In prædicationibus Pauli, et
 aliorum apostolorum, nunquam est aliud auditum,
 quam Deus vnus: qui est pater et Iesus Christus
 filius eius. Differentias omnes, et modos lo-
 quendi, te oportet obseruare; quando dicitur ver-
 bum, et quando filius. Diuersum enim quid illæ
 voces

voces fonant. Si locum mihi aliquem ostendas, quo verbum illud filius olim vocetur, fatebor me victum. Dicam igitur cum scripturis olim verbum, nunc filium. Et olim in verbo personam filii.

Persona filii recte priscis dicebatur: quanquam sophistæ hoc non intelligentes, alio personas detorserint. Metaphysicas ipsi faciunt incorporeas et inuisibiles personas, inepte dictas personas. Parum esset vocabulis abuti, nisi et Deo ipso abuterentur, eum varie secando, discerpando, et dilacerando. Aduerte autem quid de personis scriptura tradat, ut eorum abusum intelligas. Exterior hominis species, facies, et repræsentatio, persona, et in scripturis, et alibi semper vocatur. Ut cum dicimus, esse pulcrum huius personam. Ad hunc modum accipitur persona Rom. 2. Colos. 3. acto. 10. et 1. Petr. 1. Deus non respicit personam, nec respicit exteriora hæc, si quis sit masculus vel fœmina, seruus vel liber, Iudæus vel Græcus, diues vel pauper. Ita sumitur 1. reg. 17. Leuit. 19. Deute. 1. et Iacobi 2. cum docemur, non esse respiciendam personam pauperis, aut vultum potentis. Ad idem 2. Cor. 1. 2. 3. 4. 8. 10. et 11. Sed extra scripturas significatio vocis *προσωπον* Græcis, sicut persona Latinis, est ita per se nota, ut aliquis malus dæmon tritoitis omnibus suggesserit, illas fictas res inuisibiles pro personis nobis obtrudere. Apud Hebræos manifesta res est: quod nobis dicitur persona, eis dicitur facies. Rimare hic lector ab origine causas, quid de verbi persona senserint illi primi Christiani. Scripturis item ea est de persona loquendi ratio, ut vna res dicatur gerere personam alterius: ad quem modum socii Iob. sumpta Dei persona, quasi ipsi essent Dii, volebant loqui et iudicare. Angelus in persona Dei tota lege loquitur. Pseudapostoli in persona apostolorum loquebantur. Satan in persona boni angeli loquitur, cum se transfiguratur in angelum lucis. Sapientia ipsa, angelus, Dauid,

uid, et alii prophetæ, in persona Christi sæpe loquuntur. Ad hunc modum, verbum illud in persona Christi olim fuisse filium dicimus, et Christum hunc olim in persona verbi apud patrem fuisse. Christus persona verbi, et verbum persona Christi, et non est nisi vna persona, et vnus aspectus. Id ipsum, quod in verbo et sapientia relucebat, est ipse Christus. Sicut si me facie ad faciem, et etiam in speculo videas, non vides nisi vnam personam. Ex his plane intelligitur parabola de sapientia, prouer. 8. Persona Christi ibi ostenditur, dicens se esse ab æterno formatam. Figuratio erat Christi, relucencia, expressio quædam. Generatio erat in Deo ipsa cogitatio et exhibitio, ad generationem Christi tendens. Loquitur ibi sapientia in parabola, et figurata loquutione, cum sapientia gereret personam Christi, qui est in Deo ab æterno formatus, expressione quadam genitus, et creatus. Sed creatus dicitur, quia particeps creaturæ. Genitus personaliter, personalis filius: atque ita personaliter formatus.

Cognita verbi persona, et cognito manifestationis ^{De visi-} modo, facilia iam erunt, quæ de visione Dei dicenda ^{one Dei.} supersunt. Visionem Dei, quam nescit mundus, Christo docente, cogor ego ita asserere, vt cæcos eos dicam, qui videntes non vident, et intelligentes non intelligunt Deum. Tu vero, Christiane lector, cognitionem et visionem, quam de Deum veram acquiris, per Christum te acquirere agnosces, et eam totam Christo feres acceptam. Et in se Deus penitus incomprehensibilis, qui nec videri, nec intelligi potest, nisi speciem aliquam in eo consideres, vt docet ipse Christus Ioan. 5. Hoc ipsum, vt iam patuit, est Christi facies, et verbi persona. Magna in ea facie cum ipse volebat, apparebat diuina maiestas, cum in monte, tum in templo, et alibi: vt solus eius aspectus mira efficacia videntes commoueret. Id ipsum in cælo est nunc longe gloriosius, vt in visione Pauli, cum
 sit ho-

fit homo ipse glorificatus ad eam gloriam, quam olim habebat verbum apud Deum. Ioan. 17. Verbum illud, quod erat apud Deum, et erat ipse Deus, erat Iesu Christi persona, per quam Deus gloriæ videri voluit, videtur, et perpetuo videbitur. Vt in corpore ipso solis vides tu lucem, ita in corpore ipso Christi viderunt apostoli lucentem Deum, externis oculis, et eum tu vides internis. Quæ enim alia lux, in facie illa Christi transfigurata, et supra solem lucente, videri potuit, nisi lux ipsa increata? Notitiæ abstractæ, quas de Deo se seorsim habere iactant sophistæ, nihil penitus sunt, aut illusiones potius coram Deo. Quis sanæ mentis Christianus, Turcas Sarracenos et alios Ethnicos, æquales nobis faciat in visione Dei, aut formanda de Deo notitia? Simile ad hanc rem adducit Petrus lib. 2. Clementis, de notitiis, quas ipse de Ierofolyma et Cæsarea formauerat, antequam eas vrbes videret. Qui postea aspectu ipso cognouit, fuisse ea omnia falsa, quæ cogitauerat. Nos, qui Deum per Christum videmus, aliorum falsas de eo imaginationes manifeste experimur. Quid enim potuit vnquam homo de Deo imaginari, priusquam se ille visibilem præbuit? Multo magis est ille absconditus, quam vrbes illæ Petri cogitationibus obiectæ. Mens de Deo cogitans deficit, cum sit ille incomprehensibilis, Oculus eum non videt, cum sit inuisibilis. Auris eum non audit, nec audiuit vnquam, nisi humana voce loquutum. Manus eum non tangit, cum sit incorporeus. Lingua eum non explicat, cum sit inefabilis. Locus eum non capit, cum sit incircumscriptibilis. Tempus eum non mensurat, cum sit immensurabilis. Denique omnia transcendit, omnem intellectum et mentem superat. Per solam abnegationem posse Deum diffiniri, quidam docuerunt. Si enim lucem hanc, aut res alias nobis cognitæ mediteris, dices manifeste, quod Deus non est lux, sed supra lucem: nec essentia, sed supra essentiam: nec spi-

nec spiritus, sed supra spiritum: supra quicquid cogitari potest. Hæc non est vera de Deo notitia, quia non docet, quid sit Deus, sed quid non sit Deus. Nemo scit Deum, nisi qui scit modum, quo se manifestare nobis voluit. Modus iste est nobis per sacra oracula aperte proditus, et eum sophistæ non credunt, quia Deum in Christo videre nolunt. Hæc est tamen certissima veritas doctrinæ Christi, de visione Dei admodum consona: Nec ipsius Dei, nec alterius rei, notitiam veram nos posse concipere, nisi aspectum, seu imaginem aliquam, in ea speculemur. Notitia nulla dicitur, rem aliquam repræsentando, mentem ipsam immutare, nisi quatenus eius rei imago per phantasma quoddam intellectui obiicitur. Ex Aristotele est omnibus notum, necesse esse intelligentem speculari phantasma. Paulus item docet, nos nunc videre per speculum 1. Cor. 13. Videre ipsi est idipsum, quod intelligere, per imaginem speculi. Respondeant nunc Paulo nostri aduersarii, In quo speculo ipsi Deum vident? Dicant nobis, quam imaginem refert, seu quam similitudinem habet phantasma illud, quod ipsi speculantur, quando suam de Deo notitiam formant? Nam certum est, phantasma illud, quodcunque sit, sensibilem speciem seu effigiem præ se ferre. Si a Deo ipso veram philosophiam, imo veram sapientiam, se doceri ipsi paterentur, assuescerent prius visionem Dei vocare, ut sit in sacris et diuinis eloquiis, in quibus de visione Dei sit semper mentio. Visio dicitur, etiam interna, quæ oculo mentis fit: nec est de Deo, nec de angelis, aliqua notitia, quæ eadem non sit visio.

Si quis obiiciat, fuisse in philosophis notitiam Dei: quia Paulus ait, Inuisibilia Dei ex creaturis cognosci, ut potentiam eius, diuinitatem, iustitiam, et alia Deo attributa, Romano. 1. Responsione alia hic non est opus, cum ipsemet Paulus nominatim doceat

doceat, quæ sint inuisibilia illa Deo attributa, et per notiones communes cognita. Certum est, generalia nos de Deo cognoscere, et notitias communes habere. Ex rebus aliis excerptas, ut ipsemet Paulus deducit. Ex facti magnitudine arguimus potentiam factoris, ex regimine iustitiam, et alia similia, quæ in nobis sunt. Ex iis, quæ diuinitatem quandam hic referunt, seu virtutem abditam, arguimus esse quid aliud diuinius, quid aliud sapientius, quid aliud fortius. Hæc sunt inuisibilia Dei communiter gentibus nota, quæ Paulus ibi adducit. Ex effectis syllogizamus, esse vnam primam causam, ex motibus esse primum aliquem motorem, ratiocinamur. Tamen peculiarem, singularem, seu abstractam eius notitiam nunquam habuit Aristoteles. Hæc sunt, inquit Paulus, quæ de Deo cognosci possunt, non tamen quod Deus ob id re ipsa cognoscatur: cum præsertim ipsius certa voluntas ignoretur, imo totus ille de causis, et motibus Aristotelis discursus aliud nihil est, quam quædam in cerebro visibilium phantasmatum transpositio. Per quam dicuntur illi quoquo modo Deum nosse, quia motoris cuiusdam phantasma eo syllogismo sibi imprimebant: et quia prædicata quædam colligebant, quæ Deo vere tribuuntur.

At vero, præter hæc omnia, qui ex diuinis fontibus haurire aquam assueuerit, veritatem ipsam instar luminis inde fluentem, dicto citius agnoscet. Quia Deus per verbum suum manifestari mundo, et videri voluit: qui videt Christum, videt patrem; et nemo eum videt, nisi in Christo. Si Iudæi, Turcæ, et alii pagani, ita Deum nunc vident, sicut nos, quam Dei visionem nobis attulit Christus? Hanc igitur, o lector Christiane, Dei visibilem apparitionem veram *θεοφανείαν*, te agnoscere oportet, ut cognoscas gloriam Dei in facie Iesu Christi 2. Cor. 4. Ita cognoscas tunc Deum, quem nunquam ante nouisti, nec speciem eius vidisti, Ioan. 5.

Quo

Quo loco *εἶδος* speciem, formam, figuram et faciem, Dei sonat: ut ibi doceamur: Deum non posse a nobis, nisi in facie Christi videri. Alludit ibi diuinus præceptor ad id quod scribitur. Exo. 20. et Deut 4. Nam cum populus Israël olim voces audisset, et speciem quandam loquentis multi eorum vidissent per Christum: sequitur, eos, qui Christum ita non agnoscunt, neque Dei vocem audire, neque per speciem eum videre: sicut sophistæ hodie nihil penitus vident vel audiunt. Nam vox Christi est vox Dei, sicut visio Christi est visio Dei. In facie Christi credentibus cognoscitur et videtur Deus, ac si visibili illo vultu, quo Moysi facie ad faciem videbatur, se mihi sine velamine manifestaret. Si faciem illam, quam Moses non vidit, mihi clare monstraret Deus, aliud nihil viderem, quam faciem Iesu Christi gloriosam. Hæc est inuisibilis Dei, per visibile verbum manifestatio: et dicitur visibilis imago inuisibilis Dei. Hac ratione dicitur Christus facies Dei. Vniuscuiusque rei facies dicitur id, per quod talis res videtur, et cognoscitur. Pure igitur et sincere est nobis concedendum, Deum in facie Christi videri, ut ait Paulus, Deus per Christum videtur: qui videt Christum, videt patrem: et nemo eum vnquam vidit, nisi per filium. Ioan. 1, 5, 6, 8, 12 et 14.

Loquimur hic semper de visione Dei, quæ in hoc sæculo potest mortalibus contingere, nam in futuro sæculo aliter Deum videbimus. Tunc videbimus eum sicuti est: nunc videmus eum, sicut se nobis exhibet. Visionem illam futuram nec intellectus nunc assequitur, nec ea in cor hominis ascendit. Visionem nunc internam dicimus non inuisibilem illusionem.

Aduersarii nostri, imaginaria quadam illusionem contendunt, per secundam illam rem nunc videri primam. Quanam id ratione? Quonammodo res illa inuisibilis, et inintelligibilis, quæ est magis ignota, quam pater ipse, ducet nos
h. ad ve-

ad veram cognitionem et visionem patris? Trioitæ nunquam intellexerunt quo tendat Euangelicus sermo, cum totiens fit mentio de visione Dei, qui per Iesum Christum oculo ad oculum videtur, qui nunquam antea visus, vel cognitus est, Qualiter intelligendum erit, Deum in carne esse vere manifestatum? Quid est quod pollicitus est Deus futurum, ut eum omnes oculo ad oculum videremus? Deum in terris visum? Caue tibi lector, ne in alienum sensum traducaris, visionis vocabulo cum sophistis abutens. Considera Christum non sophistam, qui apostolos omnes, iam vidisse patrem ait, Ioan. 14. Idem de reliquis discipulis Ioannes ait, 1. Ioan. 2. Tamen nihil aliud viderant, quam faciem Christi, in qua patris deitas re-
 lucebat. Considera ad quem sensum rudes adhuc Thomas et Philippus patris visionem et ostensionem a Christo postulabant: et Christi responsum ad mentem quærentium Ioan. 14. Quando Christus ibi ait, per se videri patrem, ne putes eum friuole loquutum. Voca hanc visionem intellectus, notitiam, cognitionem, intellectionem, seu quo alio voles modo. Et ad eundem sensum mihi concede, Deum nunquam antea visum, ut ait ipsemet Christus. Alias nihil noui Christus attulisset, et inaniter se iactaret, per se videri patrem. Falsus esset Ioannes dicens, Vidi-
 mus gloriam eius, quem nemo vidit vnquam. Aliud ipsi non viderunt, quam faciem Iesu Christi gloriosam. Per Dei artificium hic syllogismus est validus: Visibili inspectione illius vultus Elohim videbatur olim Deus, et hoc ipsum est nunc facies Iesu Christi: ergo in facie Iesu Christi videtur Deus. Vere adeo et proprie est nunc Christus in Deo substantialiter sicut verbum illud, quod erat ipse Deus, erat apud Deum. Cogita semper qualis in lege fuerit illius vultus inspectio, et ad faciem Christi conferens, dic nunc clarius videri Deum. Caue obliuiscaris. Audi ipsum e cælo nobis nunc clamantem,
 Viden

Videndo me videtis Deum. Videndo me videtis patrem. Erige mentis oculos, et vide. Si potuit Deus signum aliquod in mundo ponere, in quo Dei lux proprie videatur, hoc certe positum est.

Mihi forsan obiicies, Parum prodesse, externam illam faciem videre. Respondeo, Ipsissimam esse beatitudinem æternam, si credendo videas, Ioan. 6. et 17. Vt solus aspectus in serpentem illum æneum, ita solus hic aspectus sanat ab omni morfu diaboli Io. 3. Sed tu indigne in faciem eius aspicias. A qua tamen, postquam credideris nunquam mentis oculos diuertas, et vtile esse cognosces. Nam sola hæc visio te totum in cælum ad se trahet, et lumen vultus eius, tenebras tuas illuminans, te a pernicioso errore purgabit. Aspexerunt, inquit, ad eum et illuminati sunt, psal. 33. Faciem tuam illumina super seruum tuum psal. 118. Eleua super nos lucem vultus tui, psal. 4. Videbis et illuminaberis, Esa. 60. Nonne Christus beatos dicit oculos, qui eum videbant? Prophetarum plerique vidisse dicuntur ipsum Deum facie ad faciem. Ergo plus illi viderunt, quam apostoli, si non in facie Christi videtur Deus. Ac per consequens nugabatur Christus, apostolos hac ratione faciens prophetis beatiores. Vere tamen viderunt apostoli, et videmus nos gloriam Dei in facie Iesu Christi reuelatam, Prophetæ vero viderunt sub angeli velamine et umbra, qua angelus quasi Deus, Christum eis figurabat. Solis externis oculis videre Christum parum quibusdam profuit, quia non credebant in eum, quem videbant. At longe aliud est, faciem ipsam Christi in cælo lucentem internis oculis nunc videre, quod sine fide fieri nequit. Imo intus in se ipsis Christum inhabitantem vident, qui in eo vere regeneriti sunt. Hæc nos interna visio in Christum gloriose transformat,

h. 2.

vt ait

vt ait Paulus 2. Cor. 3. Lux illa faciei Christi est interno homini gloria æterna et beatitudinis fruitio diuina. Hoc salutare Christi est salutare vultus eius, psal. 41. et illuminatio vultus eius psal. 43. Magnam vim habet visio hæc, sed ad eam sequitur mentis illuminatio, si ea ipsa visio est fruitio diuina. Æterna ipsa futura beatitudo est plena fruitio et visio lucis diuinæ, vnio cum Deo. Eius beatitudinis æternæ visio faciei Christi, in nobis existentis, nos iam nunc facit participes. Faciem illam inspicere, in monte gloriose transformatam, qua visa videtur lux ipsa, qua Deus lux est, et qua Christus est lux mundi: quæ etiam lux videntis spiritum illustrat, et instar Christi gloriose transformat.

Ex dictis apparet, quod Christus non solum dicitur imago Dei, sed plus quam imago. Nam imago est, quando sunt duæ res, simili modo figuratæ: quarum vna dicitur imago alterius. At in Christo est quid maius. Si Gabriel angelus ad me veniret, in forma aquilæ volantis, an dicerem, Hæc est imago Gabrielis? Vere, si imago dicitur, plus est quam imago, scilicet, effigies quædam repræsentans, imo continens hypostasim ipsam. Ad hunc modum verbum illud, persona illa, seu vultus ille Elohim, plus erat quam imago. Erat ipsamet facies Dei, ipsemet Deus. Erat effigies quædam, seu forma ipsum esse Dei continens. Simili ratione est nunc Christus plus quam imago, est ipsa essentiæ effigies, vt ait apostolus Heb. 1. Est character hypostasis Dei, sculptura ipsius essentiæ diuinæ. Dauid et Moses, תמונה temunah, ita appellant psal. 16. et deuter. 4. Aduerte in quo sensu ibi dicitur imago, quando ait Moses, eos imaginem loquentis non vidisse: quam imaginem postea Dauid nobis desiderat. Nam si in eo sensu imaginem hic accipias, recte senties. Erat ibi imago ipsamet faciei forma. Imago erat εἶδος, ipsa rei per speciem exhibitio, Ioan. 5.

In eo

In eodem sensu dicitur Christus *εἰκων*, imago Dei, effigies Dei. 2. Cor. 4. et Colos. 1. Item *χαρακτήρ*, expressio quædam, sculptura, figura hypostaseos, id est existentia, essentia, seu substantia Dei. Quia in eo solo subsistit Deus. Ex quibus omnibus visio Dei comprobatur. Nam expressam illam effigiem videns, dicor videre Deum: sicut aquilam illam videns dicerer videre Gabrielem. Alias Deus non posset se nobis visibili forma patefacere. Quis tam insanus sophista potentiam hanc Deo detrahat? quasi sit Deus iners truncus, qui se nec manifestare, nec communicare homini possit? Quod si se homini manifestare ille potuit et voluit, hoc factum est per oraculi inspectionem velatam et faciem Iesu Christi reuelatam. Quemadmodum in medio immensitatis, et inaccessæ lucis, apparet solaris vultus, ita in medio altitudinum et profunditatum Dei, apparuit eius oraculum, Iesu Christi persona. Metaphysicas imagines et inuisibiles characteres, quos inter illas suas res ponunt tritoitæ, hic omitto referre. Nam sunt somnia ridicula scripturis ignota, quæ sensu et intellectu carent.

Hoc illi obiiciunt, quod nullam ego in hominibus ponam Dei notitiam, nec angelorum, nec animarum. Respondeo, Manifestam me ponere, et visionem pelucidam. Notitiæ omnis, quæ in anima nostra est, essentiam veram ostendemus libro sequenti, dicentes eam esse de essentia lucis. Lucem illam, quam nos per spiritus illuminationem in facie Iesu Christi videmus, dicimus esse Deum ipsum, per Christum a nobis visum. Hanc dicimus esse in nobis de Deo claram notitiam, et a nobis videri Deum in Christo. Deus lux est, eam ipsam lucem nos videmus in facie Iesu Christi. An non est hæc vera Dei visio, et cognitio per Christum? Angelorum quoque et animarum substantiam esse de substantia lucis ostendemus, ac in idea hominis videri. Animæ illæ separatæ, quas super altare vidit Ioannes apoc. 6. quomodo videbantur?

Videri nihil potest, nec in hoc seculo, nec in futuro, nisi merito lucis. Videbatur ibi totius hominis figura, in anima relucens, cum contineat anima ipsa veram hominis ideam, et figuram, ut docet Irenæus, lib. 2. cap. 33. 63. et 64. Ad imaginem et exemplar verbi esse animam formatam, docet Philo iam citatus. In idea igitur hominis videri potest anima. Angelus vero et in ea, et in alia facilius consistere, et videri potest, semper merito lucis, sicuti merito lucis videtur Deus in Christo.

Sophistæ autem inuisibiliter vident, loco visionis habent illusiones. Eis factus est Christus ociosus, quia non aliter quam antea Deum vident. Veri autem Christiani sciunt, et scient perpetuo, factam esse ocularem Dei ipsius manifestationem. Nos certo scimus, Deum per Christum videri. Scimus Christum in Thoma et Philippo damnasse sollicitudinem inquirendi Deum per alias vias, visiones, cognitiones, et ostensiones. Omnem viam cognoscendi, et videndi Deum in se esse testatus est, dicens se esse viam Ioannis. 14. Ita Deus ab æterno statuit ac voluit, in solo Christo videri. In eo speculo nos vult continuo speculari et ad id spiritu illuminari, ut eam lucem illuminatus spiritus noster continens, ad eandem Christi gloriam transformetur, factus instar Christi gloriosus 2. Cor. 3. et 4. Hæc est vera Dei notitia, quam per Christum me habere profiteor: qua Deo ipso fruor, qua et spiritu Deum adoro. Non separatim a Christo, sed fruitione eadem, qua Christo fruor, et adoratione eadem, qua Christum adoro. Nam qui fruitur me, fruitur patri: qui adorat me, adorat patrem: sicut qui videt me, videt patrem. Videri debet in spiritu, quod spiritu adoratur: alioqui nobis dicet Christus, Vos adoratis, quod nescitis: sicut sophistæ adorant illum, quem nesciunt, Christus est via et lux, ac via per eum lucente oportet Deo appropinquare, Deum adorare, et
Deum

Deum lucem videre. Sed hanc viam tritoitæ non sunt ingressi. Inuisibili via est eis adoratio ignoti Dei, imo tricipitis monstri. Tricipitem quendam cerberum, tripartitum quendam Deum, quasi tria puncta in vno puncto tres illas res in vna re conclusas, inintelligibiliter somniant. Substantias omnes cælestes ad similitudinem mathematici puncti redigunt. Deum ipsum esse aiunt sicut punctum in eadem planitie pluries repetitum: et in vno simplici puncto tria puncta. Siccine extra Christum Sophistæ Deum vident? Hæccine est notitia, quam se, de Deo habere gloriantur? Si in ipsa facie Christi relucet naturalis Dei splendor, si in ipsa carne Christi est substantia deitatis corporaliter, nonne ibi videtur Deus? Quomodo est Deus, olim in verbo, nunc in carne manifestatus, et oculo ad oculum olim et nunc visus? Vide igitur, et crede lector. Alioqui væ tibi.

Vt autem hæc Dei visio melius in nobis firmetur, de verbi hypostasi est nobis adhuc dicendum. At quam rem satis iam ostendimus fuisse visibile et substantiale verbum, substantialem lucem, et vultum Elohim: quanquam sub nube delitesceret. Erat oraculum quoddam in ignea nube subsistens et splendens, quod et gloria domini dicebatur, et eius maiestas in nube. Hoc ipsum erat illud oraculum, quod angelicis alis erat tectum et obumbratum oraculum per quod Deus Mosi responsa dabat. Erat oraculum illud in recondito domus, sicut Christus in vmbraculo omnipotentis erat absconditus. Hanc oraculi significationem comprobant Hebraica vox. Nam a דבר *da-bar*, quod est λογος, venit דביר *debir*, quod est oraculum illud templi psal. 27. 3. reg. 6. et 2. paralip. 3. 4. et 5. Christus est verum oraculum per quod Dei responsa accipimus. Ipse est propitiatorium, per quem, et in quo est Deus nobis propitius. Coopertorium, nos ab omnibus malis protegens et propter

quem beati, quorum testata sunt peccata. Sicut ipse Christus est nunc oraculum, ita olim in templo, in tabernaculo, et antea persona Christi erat oraculum illud, unde Adam, Abraham, Moses et alii accipiebant responsa. Vide quam pulcre lex tota verbum illud Ioannis exponat, non solum in nubis oraculo, sed et in lumine vultus Elohim, et reliquis omnibus. Ex lege colligitur verbi hypostasis in nube illa, quæ fuit semen genituræ Christi. Substantia ipsa verbi fuit, substantia archetypæ nubis, quæ fuit substantialis ros terreæ materiam irrigans, ut inde germinaret Christus, psal. 71. Esa. 45. 55. 61. Ezech. 17. et Hoseæ 6. Hinc dicitur Christus germen Dei, Esa. 4. Zacha. 3. et 6. et alibi passim. Hypostasim eandem in nubis ratione comprobatur, quod in lege passim dicitur Deum apparuisse, et præcessisse filios Israël in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem. Loco columnæ est dictio Hebraica אֹמֶן amud, quæ stationem et consistentiam significat: a verbo אָמַן stetit, constitit. Inapte ibi dicitur columna et nihil ad rem ibi facit ratio columnæ. Sed apparebat tunc Deus in nubis et ignis consistentia, seu essentia. Substantia eadem erat nubis ignis et lucis: Non inquam creatæ et caliginosæ elementaris nubis, sed increatæ et superelementaris intus lucentis. Erat Deus in igne, et Deus ipse ignis.

Iam sequi dices, Si talis erat verbi hypostasis, siue substantia erat corporea, et diuisibilis. Non sequitur. Si in rebus corporeis est Deus, et res corporeas in se refert, non ob id sequitur, ipsum esse corporeum. Nam Deus ipse essentia sua est mens omniformis. Ut in anima tua sunt rerum corporearum et diuisibilium formæ, ita in Deo: in eo essentialiter, in te accidentaliter. Incorporeus in se Deus, et inperceptibilis, ratione mirabili nobis prolata, per verbum se exhibuit perceptibilem, et in verbo erat spiritus. Hoc non arguit
in Deo

in Deo corpus, sed ineffabilem et omniformem mentis rationem. Ipsi intellectus est hæc mira potentia, ut in eo reluceat corporis ratio. Absque diuisione vel mutatione fitas esse in Deo formas visibiles, sequens liber aperte docebit. Diuisibilis non est Deus, nec diuisibilis est verbi substantia, cum diuisibile sit corruptibile. Incorporeum vero instar imaginarii puncti nihil est in rerum natura, nec ex punctis illis posset quicquam constari, ut docent physici. Angelorum substantia non est instar puncti, sicut nec animarum. Substantia ipsa spiritus Dei, a qua angeli et animæ emanarunt, non erat instar puncti, sed instar substantiæ flatus elementaris, et elementaris huius erat archetypa, in mente Diuina. In Dei substantia, quæ erat verbi et spiritus substantia, orbi exhibita, nec partes sunt, nec partitio dici potest eo modo, quo in creaturis. In Dei substantia partes et partitiones, secundum dispensationis distributionem dicuntur. Diuisit Deus de spiritu, qui erat in Mose, et dedit septuaginta viris portiones suas. In missione quoque spiritus sancti erant dispersitæ linguæ ignis, et singuli portionem acceperunt. In hac spiritus partitione, cuiusque portio est Deus, ut ait scriptura, et diuisio substantiam non destruit spiritus sancti. Ut lux solis crassior distribuitur, continuatione ad suum principium seruata, ita et lux Dei tenuior: at illa destruitur, hæc non destruitur. Quicquid est in mundo, si ad verbi et spiritus lucem conferatur, est crassa materia, diuisibilis et penetrabilis. Usque ad diuisionem animæ et spiritus penetrat lux illa, teste Paulo. Ipsam angeli et animæ substantiam penetrat et implet lux Dei, sicut lux solis aërem penetrat et implet. Ipsam quoque lucem solis penetrat et sustinet intus lux illa Dei, omnes mundi formas penetrans, et sustinens, ut forma formarum. De spiritu et

h. 5.

luce

luce dicemus postea. Nunc fat fuerit, si in verbo dicamus veram substantiam, hypostasim visibilem, quæ hominem referebat, ut sequens liber ideam hanc ad vivum exprimet. Non solum erat in verbo idea hominis Christi, sed substantiale semen generationis eius. Non diceretur homo ille esse vere filius Dei, si cum simpliciter in Maria creasset, non servata generandi ratione de substantia patris. Substantia fuit feminis in verbo, substantia Dei nobis exhibita, et Deus per verbum quodam modo corporatus et humanatus, olim in figura, nunc in veritate. Ioannes evangelista se substantiam illam verbi manibus palpasse tradit. Paulus deitatem corporaliter sitam esse in Christo docet. Prisci Theologi corporale verbum dixerunt modo corporali sensibile, tangibile, visibile. Tangibile dices verbum incarnatum et palpabile, si in rebus aliis dicas, non palpari, nec tangi materiam puram, sed esse potius tangibilem formam, et palpabilem figuram, aut totum ita formatum tangi et palpari. Nemo miretur, si cum Ioanne deitatem in Christo manibus tangi nos dicamus, cum et in aliis rebus eam pene palpari dicat Paulus, act. 17. Nemo miretur, si nos dicamus, corporandum Dei verbum corporalem faciem olim habuisse, cum et spiritum sanctum corporali specie descendisse, testentur evangelistæ. Hoc Deo non est impossibile, qui verbum suum ita exhibere voluit Christum generando. Corporali modo Deus apparere voluit, et potuit. Corporali specie venit Deus, et rectus stetit ante Samuelem 1. Samu. 3. Modus est facilis, ut ostendemus.

Ea ipsa verbi hypostasis ex principio evangelii Ioannis declaratur ex eo quod dicitur, erat: et quia visibilem eam fuisse docet. Videbat Ioannes esse iam olim Iesum Christum hominem, in nubibus cæli speculatore Daniele venientem, quadrigam Ezechielis olim ducentem, inter myrtos Zachariæ equitantem, in folio Esaïæ sedentem, ac omni auro

ni æuo præfidentem. Et cum esset hoc cogitantis et loquentis Dei artificium, dixit esse *λογον*. Erat sermo referens, sicut si ore tuo exspiratus sermo ideam hominis contineat, per quam omnia fiant. Orbi præfidebat olim Christus in cuius persona sapientiam ita præfidentem inducit parabola Salomonis. Idipsum per dictionem Iah nobis declarat Dauid, iubens nos Christum laudare in nomine eius, quod est יהוה Iah, id est existens, essentia, hypostasis. Exaltate inquit, equitantes per inhabitabilia, in Iah nomine eius psal. 67. Et psal. 101. populus qui creabitur, laudabit Iah. i. e. existentem illum qui est, Christum. Eandem hypostasim docet ipsemet Christus, dicens, Ego sum, a principio sum, in Deo existentiam habens princeps æternus.

Vt autem gradus quosdam manifestationis Dei, et gratiam Christi in hoc nobis factam intelligas, lector, cogita primo, Deum in se esse incomprehensibilem, inimaginabilem, et nobis incommunicabilem, in infinitum omnia excedentem. Hinc de ipso notitiam formare, aut eum videre nemo potest, nisi ille sub specie aliqua nostræ capicitati perceptibili se nobis accommodet. Hinc iterum in spiritu nostro eius communicationem non haberemus, nisi ille se instar spiritus nostri modo quodam accommodaret, nobis intus perceptibili. Hic modus diuinus est spiritus sanctus in nobis, de quo dicemus postea. Nunc priorem modum manifestationis, et visionis Dei, solum persequimur: qui fuit proposita nobis quadam specie diuina, ut iam multis ostendimus, et indicat ipse Christus, Ioan. 5. 14. et alibi passim. Cogita secundo, Deum iuxta modum hunc se visibili forma ipsi Adæ admodum familiariter manifestasse. Ob peccatum autem occultatus, se postea sine visione in hominum spiritus varie insinuabat, misericordiam semper exercens in homines, quibus ex innato deitatis halitu legem naturæ indiderat. Per sermonem quoque se aliquan-

do mā

do manifestabat, ac si ego vocem meam inter eos, qui me non vident, audiri facerem. Variis modis excitabat ad se Deus miseram naturam, quæ a fatana tenebatur captiua. Hoc modo est Deus tempore datæ legis toti populo per auditam vocem manifestatus. Eodem modo est multis post Adamum loquutus, usque ad Abraham. In Abraham cæpit alius manifestationis modus, per visionem, genes. 15. post Adamum primo Abrahæ est visus Deus et nemini ante ipsum; ut vel hinc colligas, esse insigne donum visionem illam. Hoc priuilegio donatus est primus patriarcha: et deinde posterius eius, diuini prophetæ, qui ideo videntes dicti sunt. Per visionem eis passim loquebatur Deus, quibusdam in somnio, quibusdam facie ad faciem, se varie patefaciens. Semper tamen erat visio velata, in qua erat umbra quædam per angelum exhibita. Ultimo est nobis citra caliginem lucide manifestatus, et reuelata facie visus. Verbum caro factum est, et vidimus gloriam eius. Vidimus gloriam Dei in facie Iesu Christi. Vidimus Christum, et in eo vidimus patrem. In eo vidimus lucem, Deum ipsum lucentem. Atque utinam in hac visione ita persistamus, ut ad illam æternæ futuræ beatitudinis visionem nos perducatur hæc interna visio, et glorificatio, illius futuræ gloriæ nos iam hic participes faciens, per Iesum Christum dominum nostrum.

DE TRINITATE

DIVINA LIBER QVARTVS,

Nomina Dei, eiusque essentiam omnifor-

mem manifestans, et rerum o-

mnium principia.

Viso iam Christo, et viso in eius facie patre Deo, non abs re fuerit hoc libro quarto, diuinorum nominum significationem exponere, vt nos, qui Christum Deum nostrum profiteamur, in eo diuinam manifestationem melius ostendamus. Essentiam Dei omniformem nunc omnes cognoscemus, veterum sententiis concinne satis explicatam: rerumque principia in lucem proferemus, summis philosophis hactenus incognita. Nomina deitatis insigniora sunt יהוה et אלהים. Et est Elohim pluralis numeri, quo nomine, vt communiore, est primo vocatus Deus. Nomen vero Iehovah, est magis Deo peculiare. Tam nomen Iehovah, quam Elohim, mysteria Christi in se ipsis continent. Iehovah in essentia Elohim in apparentia. Nomen illud Iehovah essentiam significare plerique tradunt, alii potius generationem. Verum Iehovanos et ea, et alia eo nomine comprehendi dicimus, ^{vah.} et essentiam potius: nec essentiam simpliciter, sed essentiantem essentiam, seu esse facientem. Non est Deus instar puncti, sed est substantiæ pelagus infinitum omnia essentians, omnia esse faciens, et omnium essentias sustinens. Cabalisticis sua circa id nomen secreta relinquimus, hoc dicentes, quod, vt iod cum scheua puncto nobis indicat, est futurum piel, significationis actiuae, a radice יהה, seu potius היה, mutando iod in vau, et voces paruas

uas in magnas, vt frequenter fit. Idque potius ibi fit, quia media habet punctum dages quanquam fit piel, cum non accipiatur ibi vau tanquam consonans, sed tanquam vocalis. Quia vocale erat vau, et sine aliqua corporis collisione, omnes illius nominis syl- labæ erant Hebræis proferendæ, ideo nomen illud est eis ineffabile, nec proferri ita potest, nisi seorsum syl- labas proferendo dicas, Ie ho vah. Sed siue eo modo, siue facta vau consonante, vt nos proferimus, dicas Iehovah, siue Ioua, constat esse nomen illud o- lim a multis prolatum. Imo rebus aliis est cum ad- iuncto aliquo nomen illud vulgo impositum, vt appa- ret genes. 22. et exo. 17. vbi locus vnus vocatus est Iehovah ireh, alter Iehova nissi. Ad idem Iere. 23. et 33. Iehovah zidkenu: et iudicum 6. Iehova fa- lom, id est, Deus visio, Deus eleuatio, Deus iustitia, Deus pax, omnia per Christum. Secundum hanc ergo rationem futuri piel, exponitur Iehovah, id est essen- tiabit, esse faciet. Non solum est esse faciens Deus, sed et alium esse facientem faciens: quia pater omni- facientem filium esse fecit, et omnia essentiantem fili- um essentiauit, vt ipse filius sit essentia fons. Hanc esse veram illius vocis significationem, docemur nos autoritate ipsiusmet Iehovah, nomen suum exponen- tis exo. 6. Vbi, quia erat magna facturum, et pote- statem id faciendi homini daturum, ideo ait nomen suum Iehova, quod est nomen tanta facientis, et alium facere facientis, non esse patribus cognitum, quamuis nomina El et Saddai fuerint eis cognita. Ego, inquit, visus sum ipsi Abraham Isaac et Ia- cob, in El Saddai, sed in nomine meo Iehoua non sum cognitus illis. Apparuerat antea Deus ipsis pa- tribus, et se eis manifestauerat sub nomine El Sad- dai, genes. 17. 28. 35. et 48. semper eis dicens, Ego sum El Saddai. Ex quorum nominum signifi- cationibus hoc exodi loco colligitur, longe plura per nomen Iehovah importari. Nomen יְהוָה est
a radi

a radice, **וַשׁ**, quæ significat vastare; et nomen **וַשׁ** est vastitas, vastatio. Hinc Saddai dicitur Deus, quasi vastator, seu omnia vastare potens. Aperte hoc ostenditur Esa. 13, et Ioëlis 1. **וַשׁ מַשְׁרִי** quasi vastitas a vastante. Vbi noster interpret pro vastante omnipotentem vertit. Similiter dicitur El, fortis. Unde El Saddai fortis vastator. Sub quo nomine primum Abrahæ manifestatus est Deus, genes. 17. dicens, Ego sum El Saddai. Quod ideo factum est, ut esset Abraham robustior in non timendo alios, et ut perfectius ambularet coram Deo, cogitans se semper præsentem esse fortissimo Deo. Velut hostibus eius irritatus, talia ipsi Abrahæ protulit Deus, eum confortans, et subdens, Ambula coram me, et esto perfectus. Ait vero nunc ad Mosen dicto cap. 6. Licet ego sim patribus tuis manifestatus sub nomine El Saddai, Licet nouerint me Sodomam et Gomorram vastasse: non tamen eis declaravi, me esse Iehovah, nondum plene nouerunt me essentiantem, seu esse facientem per alium, qui aliis miracula faciendi potestatem tribuo, ut ipsi Mosi nunc faciam contra Aegyptios. Ante Mosen nemini fuerat data potestas faciendi miracula, et ita nemini fuerat cognita significatio nominis id de Deo importantis, quamuis nomen illud esset a patribus auditum. Non satis nouerunt patres, an Christus esset Iehovah, cum tanta potentia omnia essentiandi: seu an Iehova esset Christum, ita potentem essentiaturus. Præterea hoc essentiantis, seu esse facientis perfectum nomen, ex ipsa mundi genesi declaratur, ex illo loco primo, in quo illa vox a spiritu sancto capit proferri. Nam sex diebus operis non est vocatus Deus illo nomine, sicut nec Christus in terris agens, donec requieuit in cælo. Generatione perfecta quiescens Deus, creaturis essentiandi, faciendi, et generandi potestate data, tunc dictus est

Ieho

Iehova esse faciens, seu essentians per alium. genes. 2. Ibi dicitur Deus essentias essentians, ut illæ iterum alias essentient. Ipse est omnis essentiæ fons, fons luminis, fons vitæ, pater spirituum, pater luminum. Cælestes spiritus ille essentiat, ab eo fluunt essentiales diuinitatis radii, et essentiales angeli, qui iterum eius essentiam in res alias effundunt. Deus ipse est in eis, et lux ipsa verbi in eis relucet. Ipse pater hanc essentiandi vim ita Christo totam tribuit, ut ille alias res omnes essentiet. Omnia per ipsum Christum, et in ipso sunt, et consistunt, ut docet Paulus. Ipse fert, portat, et sustinet omnia verbo virtutis suæ, Heb. 1. Omnia in ipso suam consistentiam habent, et cælestia, et terrestria, Colos. 1. Deitatis Christi participes facti sunt angeli, et eam in lege referebant. Per angelos Deus lucem suam mittit, et hoc ipsum est ipsemet Deus: et Christus ipse est eius lucis dispensator, eam de substantia sua mittens, spiritum de substantia sua mittens, cui angeli ministrant. Per angelos spiritum ipse mittit, et hoc ipsum est ipsemet Deus. Semper ibi relucet essentia Dei, spiritus ipse Dei, diuinitas ipsa, lux ipsa Deus. Hac ratione dictus est Iehovah Zebaoth, id est, esse faciens ipsos exercitus, seu essentia militiarum. Omnes cælestes militias et exercitus essentiæ suæ splendore ipse Iehoua essentiat. Quanquam, inquit, sint innumera- biles infinitorum millium, et myriades myriadum, ipse tamen Iehoua est in eis omnibus psal. 67. et Daniel. 7. Hinc est quod diuinitatis nomen semper inest nominibus angelorum, quia eius essentia est in eis. Ea ipsa Dei vniuersalis, et omniformis essentia, homines et res alias omnes essentiat: eius spiritus est nobis ab initio insitus, et postea iterum in nos copiosus effusus. Habet itaque Deus infinitorum millium essentias, et infinitorum millium naturas, non metaphysice diuisus, sed modis ineffabilibus. Vnde concludimus oppositum eorum, quæ trinitarii sophistæ docent. Nam ipsi
meta

metaphysicas tres res inuisibiles in vna essentia et natura ponunt, quasi in vno puncto tria puncta. Nos contra vnā solam rem esse dicimus, et habere infinitorum millium essentias, et infinitorum millium naturas. Non solum innumerabilis est Deus ratione rerum, quibus communicatur, sed et ratione modorum ipsius deitatis. Modi diuini sunt in rebus ineffabiles, in ipso Deo ab æterno præformati. Vt fert tamen fragilitas hominis, eos modos hic aliquatiter explicabimus.

Vnicus est modus diuinus insignis, et principium aliorum. Hic est modus plenitudinis substantiæ, modus diuinus sine mensura, in solo corpore et spiritu Iesu Christi. Modus duplex, vnde et duæ dicuntur personæ. Modus est apparitionis in verbo, et modus communicationis in spiritu, modus corporalis, et modus spiritualis. Modus vterque substantialis, alias res essentians, in corpore et spiritu, fons omnis vitæ, omnis lucis, et spiritus. Hæc est de rebus æterna Dei cogitatio, et ad eum modum exhibitio: hinc alii omnes modi, vt a stipite rami, a radice furculi, a vite palmites. Est modus alius diuinus secundum mensuram dati spiritus, vt in nobis, et alius in angelis; iterum alius spiritus innatus alius per gratiam super additus, et vterque multiplex, subdiuisione quadam per Christum facta. Vltimus modus est in singulis rebus iuxta proprias ideas específicas, et indiuiduales. Hic est omnium postremus, est tamen in rebus diuinitas aliqua. Prædicti sunt in nobis diuinitatis modi secundum præsentem statum, alii multiplices et sublimiores post resurrectionem futuri, quos non attingimus.

Ad præsens vero iuxta postremum, qui nunc est, in singulis rebus modum, essentiam Dei simpliciter enarrantes hoc dicimus, quod rerum omnium essentia est ipse Deus. Deus ipse est comprehensio, et continentia rerum omnium. Ipse Deus

suffinet nos et portat nos, Esa. 46. et 63. Ipse viuificat omnia 1. Timot. 6. In ipso viuimus, mouemur et sumus, acto. 17. Omnia in ipso consistunt, Colos. 1. Omnia ex ipso per ipsum et in ipso. Omnia sunt in ipso, ipse dat esse rebus, et singulis formis ipsum esse formale. In essentia sua rerum omnium ideas continens, est veluti pars formalis omnium, peculiari præsertim in nobis ratione, ob quam nos dicimur participes diuinæ naturæ. Ipse est pars nostra, et pars spiritus nostri, vt non per agrorum terrenam, sed cælestem ac diuinam possessionem, nos merito dicamus: Dominus pars mea, et portio mea psal. 15. et 72. per Christum est nobis decisa veluti portio spiritus diuini, et de plenitudine eius nos omnes accepimus, vt olim in figura est aliis decisa, portio spiritus Moïsis. In reliquis vero creaturis, non per donum spiritus, sed generali alia ratione dicitur esse Deus. Ita ipse essentialiter omnia sustentat, vt creatura quæuis, ab ea sustentatione destituta, in nihilum redeat, sicut est de nihilo. Hoc ipsum veteres Hebræi, et philosophi docuerunt. Ex Hebræis hoc citat rabbi Moïses Aegyptius. lib. 1. perplexorum, capite 68. dicens, inesse creatoris esse omne quod est; ipsumque omnia inesse, iuuare et sustentare, per eum modum, qui vocatur splendor, seu lux quædam secundaria. Id ipsum Aben Ezra in genesim docet, et reliqui omnes cum prophetis ipsis. In eandem sententiam veteres omnes philosophi conueniunt, quos hic audire non erit ineptum.

Ex Pythagora, Anaxagora, et aliis antiquioribus, a Zoroastre, et Trismegisto doctis, citat Plato in Parmenide, Cratylo, et Phædone, vnum quid primum esse, et in vno omnia contineri, ac consistere. Ipsumque vnum et solum per se esse pulcrum et bonum, nec alia pulcra et bona, nisi eius participatione dici: ac tanto pulcriora, quanto ei propius accedunt. Ipsum vero vnum esse mun-
di

δι ψυχῶσιν animationem, esse νοῦν mentem quan-
 dam, omnes in se ipsa mundi naturas ἔχουσιν con-
 tinentem, vt in eo omnia consistant, et διακοσμου-
 σαν exornantem, vnde et κόσμος hic mundus dici-
 tur. Deum vocat Socrates in Cratylo φύσεχην, ef-
 fentiam naturæ, eo quod φύσιν naturam ipsam ὀχεῖ,
 et ἔχει vehit et continet. Naturali ordine omnes
 motus ad vnum primum motorem, omnes naturæ
 ad vnam naturam, omnes vitæ ad vnam primam vi-
 tam reducuntur, per quam et in qua omnia alia vi-
 uunt et mouentur. Deum ipsum, prisci omnes dixere
 ex chao omnia illustrasse, et ex eo materias veluti
 confusas educendo, formas indidisse visibiles et luci-
 das, instar pulcritudinis suæ. Ipse pulcher et bo-
 nus, lucem primam sibi similem fecit pulcram, et
 bonam, deinde reliqua pulcra, et bona, vt habet
 littera geneseos. Dictio enim טוב thob pulcrum et
 bonum ibi significat. Ex antiquissimis citant Iambli-
 chus, Macrobius, et Philo, mentem illam esse matrem
 formarum rerum formales ideas in se continere, et
 suæ deitatis symbola rebus indere, scilicet spiritum
 et lucem. Nam lucem illam in se continet, qua
 res omnes format, et spiritum illum, quem rebus
 inspirat. Idipsum docuerat Zoroaster in Oraculis
 sapientiæ, quæ dicta sunt μαγικά λογία Apollinis
 oraculum a Porphyrio citatum lib. 10. de laudibus
 Philosophiæ, aperte testatur, Deum ipsum esse re-
 rum omnium formam et animam et spiritum: nec ab
 angelis comprehendi, nisi ratione qua se ille visibi-
 lem statuit. Inscriptio sapientiæ deæ apud Aegyptios
 hæc erat, vt in Iside citat Plutarchus, ac etiam
 Proclus. Ego sum omne quod fuit, quod est, quod
 futurum est: velum meum nemo mortalium hæte-
 nus reuelauit. Sapientia est vere omnia in se continens.
 Deus est id totum quod vides, et id totum quod non
 vides, vt ait Seneca, et citat Lactantius. Ad idem
 Plotinus in libro de prouidentia. Mentem æternam

ait, in qua omnia consistunt, eamque immotam cuncta moliri, omnium naturas continere, cuius hic mundus est umbra et imago. Trismegistus veteris philosophiæ pater in Pimandri sermone sacro ita cecinit, Omnium natura est Deus, omnium gloria et principium, et in quo omnis natura consistit. Ad Tatium ait, Deum vnum esse omnia, et esse veluti multicorporeum: quia nihil est in corporibus, quod ipse non sit. Et paulo post ait, Deus est principium, complexus, et continentia rerum omnium: est ipsum esse omnium. Et in libro, Quod in solo Deo sit pulchrum et bonum, Omnia quæ sunt, inquit, sunt in Deo, et ab eo pendent. Ibidem ait, Deum esse omnia, et Deum omnia facientem sibi omnia assimilare, sicut omne agens assimilât sibi passum. In Asclepio, Deum ait esse omnia in omnibus, et omniformes species. Verbum Dei esse ait archetypum mundum, archetypum lumen, et archetypum animæ. In rebus omnibus ait fulgere imaginem quandam Dei. Vnde in Pimandri hymno cecinit, Sanctus est Deus, cuius imago est omnis natura. Ad Tatium filium, ait, nihil esse in rerum natura, quod non aliquam præ se ferat diuinitatis imaginem. Vndique nostris oculis obseruatur seque obicit et inculcat Dei omniformis imago, quæ ipsa est in omnibus lucis imago. Idem docet Paulus act. 17. Deum pene in singulis rebus palpari, cum sit singulis rebus insitus. Ex Arato citat, nos esse progeniem diuinam, et genus quoddam Dei cum Pythagora: quia deitatis semina in nobis ipsis habemus, vere nobis innata, ut est ab origine nobis innatus spiritus diuinitatis. Ibidem ait apostolus, quod nos in Deo ipso viuimus, mouemur, et sumus. In eo spiramus, vita, et halitus noster in ipso est, et ab ipso pendet. Vnde Iouem prisci aërem esse dixerunt: aut esse in aëre ipso, in quo viuimus: quia est in aëre halitus diuinus viuificans. Aratum citat Paulus de Ioue loquentem, qui et Iouis dixit esse omnia

omnia plena. Iupiter est quodcunque vides quocunque moueris. Iouem illi dixerunt, ex antiqua traditione Hebræorum, Deum Ioua appellantium. Ioua indeclinabile, inflexione quadam est versum in Iouem, Ioua autem est dictum pro יהוה Iehova, cum scheua in capite non profertur, et aspirationis prolatio omittitur, vt in ea lingua passim fit. De spiritu vero loquens Trismegistus ad Asclepium, spiritum Dei ait implere omnia, viuificare omnia: et quod mundus nutrit corpora, et spiritus ille nutrit ac sustinet animas. Sermone tertio ait, spiritum hunc qui omnia viuificat, a sancto fonte proficisci. Animam ait continuationem ad suum principium seruire, et dependentiam, sicut a suo fonte dependent lux et calor. Non aliud sensit Dauid cum ait retrahente Deo spiritum suum animas deficere, psal. 103. Deum item esse animam mundi, Platonici omnes affirmant et spiritum vniuersi omnia sustinere, ac viuificare. Sed de hac vniuersali essentia, et rerum omnium ideis, paulo post plura dicemus, si de voce Elohim quædam præmiserimus.

Vt autem de nomine Elohim certiora tradamus, Elohim.
videndum nobis est, quid in Deo apparuerit, vt nomen Elohim conforme sit inde sequutum. Hebræorum antiquiores in Breschit rabbæa, seu in genesi magna, fuisse hæc ab initio mundi tradunt, Messiam, folium gloriæ Dei, ciuitatem Ierusalem, hortum paradisi, spiritus iustorum, legem, et Israëlem septem hæc. Vere est ab initio, cum ipso Messia, ille ab Esaia visus thronus deitatis, siue folium maiestatis excelsæ, Esa. 6. Id nobis ostenditur Deut. 33. Iere. 17. psal. 92. et 102. vbi semper dicitur folium, et sedes Dei ab initio constans. Idipsum est locus sanctificationis nostræ ab initio paratus, vt ibi ait Ieremias. Idipsum est hortus cælestis paradisi et ciuitas Ierusalem cælestis. Ab initio est nobis regnum paratum, vt ait Christus, sicut ab initio est ignis ille pæ-
i. 3. narum

narum, quo sunt mali puniendi Mat. 20. et 25. et Esa. 30. Aduerte, In quo sensu Hebræi dixerunt, Messiam ab initio esse. Non trinitariorum sophistarum more, sed quia eius persona, et forma visibilis, erat in Deo subsistens. Hinc rabbi Ijzhac Arama super Genesim dixit, Antequam crearetur sol, subsistens erat nomen Messiae, eratque iam sedens in folio Dei. Vtinam hunc sensum tenerent nostri sophistæ. Legem etiam ab initio esse in dextra Dei, probant Hebræi ex loco illo Deut. 33. et quia dicitur scripta digito Dei, et in libro Dei: atque ita desuper in terras delata. Israëlem quoque ab initio esse contendunt, quia dicitur ille populus seculi, seu populus æternus, et ab initio constitutus, Esa. 44. et in Deo sculptus. Esa. 49. Eodem modo terrestrem illam Ierusalem ab initio conditam probant ex 4. reg. 19. Esa. 37. 49. et psal. 86. Sed quia illa fuerunt umbra alterius veritatis; quia nos sumus Christo substantialiter per spiritum æternum infiti, verius nos dicimus, Christi participes esse modo peculiari in eo ab æterno. Horum in Christo regnitorum Spiritus sunt in Christo substantialiter, in libro gloriæ descripti. Aeternitatem hi habent, seu participationem æternitatis spiritus Christi, cum spiritus illius substantialem habeant portionem, seu substantialem halitum. Ad hunc modum decuit, solum illud Christi regale suis ab æterno electis ornari, et associari. Huc extenditur quod apostolis ait Christus, Vos ab initio mecum estis, Nomina vestra scripta sunt in cælis, Vos estis populus seculi, in Deo sculpti, Sedes vestrae sunt ab initio. Non diceretur fuisse olim cælestis ciuitas, nisi essent in ciuitate ciues. Ecce quanta est vis æternitatis Christi et, quanta æternæ illius deitatis sit in nobis communicatio, secundum speciales formas et spiritus. Non solum vero spiritus iustorum, sed et aliorum hominum et rerum

rerum omnium lucidæ formæ sunt ab æterno in Deo, ut de ideis mox dicemus. Peculiaris vero electi, in ipso Christo prædestinati, qui sunt numero duodecies centum quadraginta quatuor millies millia millium, apoc. 21. Quibus totidem sunt ab æterno paratæ sedes, mansiones, et suus cuique in Deo spiritus præparatus. In Deo quoque realiter erant ab initio, et circa illud maiestatis solium videbantur, cherubim et seraphim, et singularum prouinciarum cum suis thronis cælestes potestates, principes, et gubernatores, ut cum Daniele ait Paulus. Spirituum quoque adstantium, et angelorum ministrantium innumeræ legionum myriades, ut ait Daniel. Hæc in Deo vidit Ezechiel cap. 1. et 10. ubi dicit se vidisse visiones Deorum. Similia fere vidit Micheas 3. reg. vltim. et David 2. reg. 22. Vox verborum Dei audiebatur, ut vox castrorum teste ibidem Ezechiele, et ut vox multitudinis, teste Daniele. cap. 10. Hæc tanta maiestas multitudinis numero visa, et audita in qua relucebant splendores facierum Christi, ut habet Hebraismus, splendores facierum ab angelis exhibiti, facies variæ cherubim et seraphim, tot ibi micantibus oculis et deitatis formis. Hæc inquam, tam multa in cælis visa et audita ab Adamo, Abrahamo, et aliis speculatoribus aliter nominari non debuerunt, quam Elohim dii, Adonim domini, Adonai domini mei. Hanc pluralitatem in Deo vidit, et notauit Iacob, dicens, reuelatos sibi esse Deos genes. 35. Et Abraham ait, peregrinari me fecerunt dii, genes. 20. Ex his iam apparet, quod Elohim in se plura continebat. Elohim re ipsa erat Deus, forma ipsa erat Christus cum angelorum multiplici ministerio. In summa, Elohim, est habens diuinitates, ceu speciosas formas: est dii diui, seu vultus Deorum. Primum tribuebatur id nomen Deo, deinde aliis illustres formas

ostendentibus. Quando angeli in ministerium mittebantur, induebant personam diuinam, atque ita dicebantur Dii, sub persona tamen Christi.

Circa nomen hoc trinitarii mire hallucinantur. Nam de illis tribus rebus aiunt eam vocem dii prædicari, quasi illæ sint tres dii, quod ipsimet negant. An erant tres illi dii, qui peregrinari fecerunt ipsum Abraham, et visi sunt ipsi Iacob? Si fatentur, tres esse, et esse Deos, sequitur tres esse Deos. Iudæi item tres illas res in Deo nunquam concessuri, ut hanc pluralitatis in Deo rationem subterfugerent, linguæ consuetudini illam vocis pluralitatem tribuerunt, nullum aliud hic admittentes mysterium. Sed si verum Messiam agnoscant, clarum in voce Elohim esse Dei et Christi et angelorum mysterium agnoscent, tota lege comprobatum. Nam illa pluralitatis consuetudo non temere caput, nec oriri in lingua sancta potuit, sine mysterio. Eo magis quia passim adiunguntur aliæ voces pluralis numeri, ut locis citatis, Dii peregrinari fecerunt, Dii apparuerunt. Dii sancti dicuntur Iosue 24. Dii viuentes, dii viui, Iere. 10. et 23. Dii iudices, psal. 57. Et 2. Samu. 7. ierunt dii ad redimendum, id est, cælestes potestates, Deus Christus et angeli. Nunc vero cum Christus solus, illam totam, et suam, et patris, et angelorum maiestatem in se contineat, ut ipsemet testatur Lucæ 9. merito ille dicitur nunc Elohim, habens diuinitates omnes.

An autem nomen Iehova Christo tribuatur, potest dubitari. Non dubium enim, quin in lege Angelus vocaretur Iehovah. Ergo multo fortius ipse Christus: cum præcipue sit in figura Christi nomen illud angelo tributum. Sicut olim idem erat Elohim et Iehova, quia Deus erat verbum, ita et nunc, quia ad pristinam illam gloriam est Christus glorificatus. In terris tamen agenti Christo nomen illud non est a prophetis tributum: et ipsemet Christus

Quia vero in idearum sermonem pluries incidimus, ^{Ideæ} et quia ad vberiore cognitionem Christi, imo ad ^{seu for-} vberiore essentia Dei et nominum eius declaratio- ^{mæ om-} nem, earum cognitio facit, de ipsis nunc est nobis ^{nium in} aliquid dicendum. Ab æterno erant in Deo rerum ^{Deo.} omnium imagines, seu repræsentationes, in sapientia ipsa, in verbo ipso Dei, vt in archetypo mundo vere lucentes. Nam Deus in seipso, in lumine suo omnia videbat, rerum omnium ideas, velut in speculo lucentes sibi insitas habens. Hæc fuit de sapientia Dei ab origine mundi recepta doctrina, sacris litteris prodita, quam ex maiorum traditione, Chaldæi et Aegyptii Græcos docuerunt. Ex sacris hoc docuerunt, Iob, Moses, Dauid, Salomon et alii. Id ipsum docuerunt Zoroaster et Trismegistus, a quibus ab Orphæo ad Platonem Græci omnes didicerunt, maxime a Trismegisto. Is tam in Pimandro, quam in Asclepio rerum omnium lucidas formas, in primo illo mundo exemplari verbo Dei contineri docuit. Ac primum illum mundi architectum insitam quandam habuisse sapientiam, plenam ideis originibusque rerum.

Quæ verba de eadem sapientia in ipso Deo scripta, qua Deus singulas res aspicit, sub omni cælo videt, et singula disponit, antea docuerat Iob. cap. 28. De eadem sapientia res omnes ab initio apud Deum delineante, vide apud Salomonem prouer. 8. Eodem modo de ipsa loquitur Baruch cap. 3. et latius Iesus Sirach, siue Ecclesiasticus et liber sapientiæ: vbi sapientia dicitur spiritus vnus et multiplex, omnia continens. Omnium artifex docetur esse sapientia, instar architecti ideam futuræ

i. 5. domus

domus in se prius continentis. Sapientia ipsa ait dicto ca. 8. Ego coram Deo eram multitudo, et eram delectationes singulis diebus. Multitudo idearum, delectationibus ipsis singula producens. Sapientia erat omne quod fuit, quod est, quod futurum est. Ea ipsa erat λογος, erat ratio mirifica, in qua omnia visibiliter relucebant. Ille ipse Dei sermo est eius sapientia, et ea ipsa lux faciei Christi est nobis lux intellectus, et rerum omnium idea. Est sermo Dei visibilis et audibilis, in sensu simul et intellectu. Ex sermone nostro nunc hanc, nunc illam ideam auditus concipit, sicut oculus ex visione. At sermo Dei omnia simul continet, quæ videntur et audiuntur, et intelliguntur. Imo et quæ aliis sensibus percipiuntur. Verbum ipsum Dei priscis dicebatur mundus omniformis, mundus archetypus, mundus intellectualis. Trismegistus post sermones ad Aesculapium et Tatium filium, a mente docetur, in Deo esse mundum omniformem, ad cuius similitudinem est factus hic inferior mundus: et in Deo esse mundi ideam, quæ formas per singula corpora exprimit: qua ratione omnia in Deo sunt et continentur. Orphæus essentiam Dei esse dixit omniformem, omnes in se formas habentem. Quod hac ratione nobis ostenditur. Nam ille omnium formas sustinet et ita sustinendo, eas in se ipso videt, in sua luce apparentes. Quas apparentias nos vocamus ideas. Alia item ratione, quia Deus ipse rerum species et ideas mentibus hominum indit. Ad imaginem enim Dei species rerum concipit homo. Quam rem citato loco ita familiariter docet mens Trismegistum. Contemplare, inquit, te ipsum multa intelligentem: deinde contemplare Deum omnes in se ipso intelligentias habentem. Nisi enim te ita Deo assimilaberis, Deum non intelliges. Nam simile a suo simili cognoscitur. In Deo ergo sunt rerum species et ideæ, si in nobis sunt, et nos assimilamur Deo. Seneca ad Lucilium

cilium ait, Exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numeros et modos: plenus est figuris, quas Plato ideas appellat immutabiles.

Sed ne longius de hac re probationes petamus, ex sacris litteris hæc omnia fatis probantur, cognita nobis per Christum ipsa lucis Dei proprietate, qui omnia apparere, et lucere facit. Singulorum vita lucens erat in verbo Ioan. 1. In mente Dei erant rerum creandarum ideæ, antequam res ipsæ crearentur. Species rerum cognoscebat Deus, et eas in sua luce secum discernebat, dicens, Producat terra animalia secundum species suas, et germinet terra plantas secundum species suas. Ad eundem modum, nos domum, urbem, aut res alias facturi, ideas mente concipimus: quæ ipsæ sunt a luce Dei, seu instar lucis Dei. Hæc ratio Timæum Locrum, Archytam, et Platonem maxime mouit. Cogitamus nos de rebus, communicata nobis diuina sapientia, quæ ut ait Philo, est in nobis emanatio quædam claritatis Dei, candor lucis æternæ, et speculum sine macula, in imagine nobis omnia referens, Sapi. 7. Iesus quoque filius Sirach, euolutis maiorum libris, quod nec paruæ, nec contemnendæ doctrinæ fuisse ait, sapientiam quandam in Deo docet, in qua velut in lumine suo Deus ipse vidit, et dinumerauit creata omnia, omnes pluuiæ guttas, et omnem arenam maris: et sapientia eadem nobis infusa, rerum claram cognitionem nobis dari. Manifesta est hæc Hebræorum traditio. Ex lege probat ideas Philo in allegoria legum, exponens illud Mosis ad Deum, Dele me de libro tuo. Vbi ita ait, Librum vocat Moses verbum Dei, in quo descriptæ, et impressæ sunt omnium rerum existentia. Ad idem pulcre facit psal. 138. qui est Hebræis. 139. vbi ita ad Deum ait Dauid propheta. In libro tuo hæc omnia scripta erant, cum adhuc nullum eorum extaret. Cogita quid illud sit, in libro Dei esse scripta omnia antequam sint. Et psal. 55. migrationes meas numerasti, in libro tuo omnia sunt. Et psal. 49. ait ipse deus, Omnia cogno.

cognoui, et vniuersitas agri mecum est. Apud vniuersorum regem omnia semper esse, ex veteribus scribit Plato ad Dionysium. Ioannes in Apocalypsi docet, esse libros Dei aperiendos, in quibus scripta sunt omnia, vt de singulis iuxta scripturam illam iudicetur. Ingens profecto idearum et scripturarum liber. Idipsum de ideis senserunt primi ecclesiæ discipuli. Irenæus fuisse ait in Deo rerum omnium præformationes, Deum in se ipso omnia præformasse, exemplum et figurationem omnium a se ipso accepisse, lib. 2. cap. 3. et 21. Et lib. 4. cap. 37. ait, Deum a se ipso accepisse substantiam creaturarum, exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum. Verbum Dei ibi ait habere velut lincamenta rerum. Tertullianus aduersus Praxeam ait, ante creationem mundi in ipsa Dei sapientia fuisse omnia secundum rationes suas disposita et facta: solum hoc eis defuisse, vt coram in materia cognoscerentur, et tenerentur. Similia de sapientia, rerum omnium species continente, retulit contra Hermogenem, Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 4. et 5. de ideis sermonem probans, ideam definit esse *λογον θεού* verbum Dei. Esse ait regionem Dei captu difficilem, quam appellauit Plato *χώραν ιδεών* regionem idearum, a Mose ipso doctus, esse eum locum, qui omnia et vniuersa continet. Mentem Dei ait esse locum idearum, ob idque hominem ideas contemplantem effici fere Deum: quemadmodum animæ separatae sunt dii visibiles, cum diuinis formis, seu ideis conuersantes. In oratione ad gentes. Nos ait ab initio esse, in Deo ipso genitos, quoniam in verbo erant omnia. Nimirum igitur, si verbum genitum dicat, nos ibi quodam modo genitos dicens. Personali similitudine dicebatur ibi generatio. In eandem sententiam lib. 7. Stromatum. Ante omnia quæ sunt genita, inquit, est verbum patris maxime principale, magister eorum qui sunt in ipso formati. Origenes in cantica canticorum,

rum, homilia tertia, in cælestibus fuisse ait omnium exemplaria, vt sicut Deus hominem ad imaginem suam fecit, ita et alias creaturas, ad alias cælestes imagines: fuisseque visibilia hæc omnia mundi in Deo antea inuisibiliter, Heb. 11. Homilia in cap. 1. Ioannis. Vitam, lucem, et speciem omnium, ait fuisse in verbo quemadmodum in semine sunt species futuræ. Ecce veram doctrinam, primis Christianis notam, sicut veteribus Hebræis, et summis philosophis. Quin et Augustinus ipse lib. 83. quæstionum, quæst. 46. et plerisque locis librorum de ciuitate Dei, ideam ait esse λογον, mentis rationem, imaginationem. Atque ita erat in Deo vere λογος idealis ratio, imago repræsentans.

Hanc præterea idearum in Deo rationem probat visio Ezechielis Cap. 1. et 10. Nam erant ibi rotæ plenæ oculis viuientibus, et videntibus, sicut et animalia, et variæ facies in eis relucebant. Tametsi quatuor tantum facies mysterii ratione ibi viderit propheta, tamen et reliqua omnia in Deo semper relucet. Ipse Deus est plenus oculis, quibus contemplatur omnia, quæ sunt, fuerunt, et erunt, sibi omnia præsentia. Oculi sunt infiniti, et fontes infiniti, in vna Dei essentia. Imo iuxta vim Hebraicæ dictionis, ipsi oculi Dei sunt fontes viui, in quibus omnia visa vt in speculo referuntur, qui in omnia influunt et in quibus omnia consistunt. Hic est liber scripturæ Dei, continens ipsas rerum existentias, vsque ad capillos capitis, vt ait Christus. Sed visionem illam Ezechielis obiter declaremus, quia male hætenus intelligitur. Est ibi ignea quadriga, ab aquilone ad exurendam ciuitatem, et Iudæos in Babylonem celeriter deuoluendos, a Deo per Christum missa, vt exponitur cap. 10. et 43. Eos in Babylonem cum impetu et afflictione deuoluendos indicat iratus Deus: idque per igneos currus, partim ab hominibus, partim a bobus, partim a leonibus et aquilis actos. Vario genere afflictionis indicantur affligendi,

gendi, ab hominibus, a iumentis, a feris, et auibus. Rotæ ipsæ ibi vocantur deuolutiones, seu transmigrations, ad transnigrandum illum populum missæ. Vox audiebatur, ut vastatorum, vox castrorum. Erant ea omnia plena oculis, diligenter intuentibus, ne quis captiuandorum euaderet. Fulgorem clarum emittebant, ne noctu fugiens delitesceret rex ipse Zedechias, aut suorum aliquis. Rotæ cum animalibus se quoquouersum celeriter mouebant, ne quis posset via aliqua fugere. Irati Dei erat terribilis visio contra impios, sicut in Antichristi sectatores ostenditur iratus Deus visione simili, apoc. 4. Reliquis autem sibi gloriam dantibus est placatus, et eos angelica quadriga in cælum euehit. Sunt ibi quoque animalia plena oculis, diligenter intuentibus electos Christi, ne quis eorum pereat. Imo ab omni nocumento hominum, bestiarum, auium, et ferarum nos ea animalia custodiunt. Oculi illi omnes sunt semper in Christo, in quibus omnia refulgent, sed peculiarius electi, in peculiari vitæ libro descripti, et in peculiari regno regnantes.

Aliis item rationibus hæc exemplaris in Deo ratio probatur. Nam si ad exemplaris alicuius imaginem fecit Deus microcosmum, iam erat in Deo exemplar. In microcosmo autem continentur omnia, quæ sunt in toto vniuerso: ergo vniuersi erat in Deo exemplar. Imo ipsum vnum hominis exemplar omnia continebat, sicut omnia in Christo consistunt, et sicut in vna anima est multarum rerum exemplar. Item quando Deus res aliquas facere iubebat, earum expressam formam, in se ipso visibilem ostendebat, Exo. 25. Num. 8. Ezech. 40. et 1. paralip. 28. In ipsa Dei luce hæc omnia radiare videbantur, quando se ipsum Deus aperiebat, aut modo aliquo proferebat. Non est hoc difficile, sed est Deo naturale et proprium, ratione lucis omnia ad viuum referentis. Ad gloriam
Christi

Christi fuerunt hæc, et reliqua omnia, in verbi Dei luce figurata. Cum præsertim nullæ aliæ sint in Deo, nec in Christo ipso notitiæ. Aduersarios hic lubens rogarem, An in anima Christi putent nunc esse notitias illas, quas ipsi qualitates vocant? In futura beatitudine nullæ aliæ erunt nobis qualitates, seu notitiæ, quam ipsa charitas Dei, res ipsas in propriis formis ad viuum nobis referens. Hoc enim eius lucis est maxime proprium. Hæc ratio est efficax, si bene cogites, si bene intelligas, qualiter angeli in Deo futura videant, sine laruis aliis inter Deum et angelos ponendis. Ita angelos in verbo videre concedunt omnes theologi, atque ita in verbo esse rerum ideas. In Deo vidit Samuel, dictus videns, ea quæ Saul de præteritis quærebat, et ea quæ ei in futurum euentura erant. 1. Samu. 9. et 10. Vidit in Deo Micheas ea quæ erant in bello futura, dispergendum Israël et interficiendum Achab. 3. reg. vlt. In visionibus Dei, in spiritu et in ipso Deo, vidit Ezechiel, in Babylone existens, ea omnia, quæ fiebant in Ierusalem, Ezech. 8. In visione Dei vidit Balaam ea, quæ erant nouissimis temporibus futura, Num. 24. Ad idem Iere. 1. Ezech. 1. Amos. 1. et alibi passim. Nam prophetæ, ob id videntes dicti, in se ipsis in spiritu, in Deo futura videbant, in eius luce apparentia: idque aliquando interna, aliquando externa visione, vt declarat ipse Deus, Num. 12. Lux hæc tam late diffunditur, vt notitiæ ipsæ, quas nos intellectu concipimus, sint quædam lucis scintillæ, et radiantes imagines, mentem ipsam lustrantes, et instar lucis diuinæ omnia nobis referentes. Nam sine luce nec formari, nec repræsentari nec videri quicquam potest.

Aliud hic vide oculatum testimonium, quod lucis ideas euidentissime probat. Species illæ visibiles, a re quauis in speculum missæ, et deinde in oculum reflexæ, sunt quædam lucis scintillæ, præ se ferentes ipsam formam et rei ipsius imaginem
in spe

in speculo visam. Magno Dei artificio res non ita corporalis, continet in se lucidam imaginem, formam, et effigiem rei corporalis: vt est in ipsa vere incorporeali luce Dei, in qua omnes res mundi relucent. Non sunt in Deo membra corporea, sed veluti radii rerum omnium corporales formas referentes, vt in speculo referuntur. Absque reali Dei partitione, aut diuisione sunt in immensitate lucis eius infiniti radii, infinitis modis relucentes. Imo hæc tota radiorum, et repræsentationum specularis ratio, desuper habet originem.

Vt autem familiari exemplo percipias, qualiter in ipso Deo possit aliquis res futuras videre, est tibi hæc similitudo notanda. Si tu, postquam rei alicuius notitiam formasti, te iterum, supra illam notitiam intus reflectas, velut in speculo mentis tuæ, diceris rem illam etiam absentem vel mortuam videre: eo scilicet quia lux illa mentis tuæ naturalem rei imaginem in se continet, sicut et lucis species illa, in speculo reflexa. Naturalem inquam imaginem, et naturalem cognitionem, vt ex naturali, et substantiali rerum ipsarum forma mox intelliges. Eam ipsam rerum imaginem et ideam continet lux ipsa verbi diuini, in cuius luce nos videmus lucem, vt ait propheta. Ea ipsa verbi lux Trismegisto dicitur archetypa lux, et archetypus animæ, idque rectissime. Quia non posset esse in anima nostra lux aliqua, imaginem rerum continens, nisi instar illius exemplaris lucis, a qua et animæ ipsæ emanarunt, ideam habentes illius corporis, quod erant formaturæ. Non solum vero animæ ipsæ, sed et rerum aliarum substantiales formæ ideam totius continent, quam ad speculum mittunt, exemplarem illam primam lucem imitantes, in qua hæc omnia relucebant, et perpetuo relucent. Si cui daretur, palam videre ipsam Dei essentiam, aut totum ipsum Christi splendorem, videret in eo omnia, quæ sunt, fuerunt et erunt, omnia in eo formaliter relucencia. Sed

ria. Sed hoc nec angelis datur, nisi in parte, et instar notitiæ reflexæ, quæ in solo Christo est directæ. Ad hunc modum potest vnus angelus plura in Deo, quam alter videre, et alterum de futuris instruere, vt ex Danielis et Ioannis visionibus apparet.

Ex his omnibus sequitur, In ideis tam diuinis quam humanis, non solum esse exemplares, sed substantiales formas: cum in ideis sit naturalis referendi et consistendi ratio, et cum forma substantiali naturalis cognatio. Non solum in luce omnia repræsentantur, sed et in luce omnia consistunt. Verbum illud, in quo omnia consistunt, lux est. Io. 1. et Colos. 1. In se ipso Deus omnia videns sustinet et per singulorum ideas sustinet, vt post Trismegistum et Anaxagoram docet Plato. Hinc Plotinus, et Proclus Platonis interpretes, non solum exemplares, sed essentielles formas in diuinis ideis ponunt, a quibus creata omnia pendent. In ipsa luce Dei sunt originales rerum vires, deinde in luce creata et elementis. Ipsa lux creata, velut primæ lucis simillima propago, et seminarium, continet rerum formales proprietates, et virtutes ipsis substantialibus formis insitas. In anima quoque est seminarium symbolum a luce. Eiusdem lucis et ideæ ratione continet semen quoduis, quandam nascituræ rei formalem proprietatem: sicut verbum Dei, quod erat Christi semen, eius in se formalem rationem continebat, ac rerum omnium feminales vires. Id ipsum est primum elementum, primum semen, a quo in elementa et femina omnia vis disseminatur. Hinc ait Trismegistus in Pimandro, Voluntas Dei verbum continens, pulcrumque in se intuita mundum, ad ipsius exemplar elementa naturæ, et reliqua omnia, sui ipsius elementis, vitalibusque feminibus exornauit. Non possent tales plantæ, et talia animalia, cum suis formis, tam inuariabili via ex tam exiguis illis feminibus ita specificè prodire nisi esset in eis

k. præexistens

præexistens diuina quædam idealis, ac formalis ratio, Non posset anima, sui in seipsum conuersione veritatem generare, nisi esset ei innatum diuinum veritatis seminarium. Ergo et in anima, et in rebus aliis est insitum quoddam lucis seminarium, a substantiali illo verbi semine, in quo erat lux et vita omnium. Verbum ipsum Dei, quod erat semen generationis Christi, sui symbolo quodam, quasi semen in terram iactum, omnia generat et germinare facit, spiritu et luce omnia viuificans. Admiranda est omnium analogia, ad vnicum verbi semen. Sicut generantia omnia prius in se ipsis semen concipiunt, quam ad fœtum extra se mittant: ita erat in Deo semen verbi priusquam in Maria filius conciperetur. Argumentum hoc efficax est, cum ipsa Christi generatio sit aliorum generationum omnium specimen et prototypus. Deductionem a priori, a causa ad effectum fecit ipsa prima causa, tametsi nos a posteriori, velut a sensibilibus, ab effectum ad causam reducamus. Hæc fuit eius prior deductio: Quod, sicut in Deo fuit prius semen generationis, quam esset factus realis filius Dei, ita in aliis generationibus hunc ordinem seruari voluit creator. Vere fuit in Deo substantiale semen Christi, et in eo rerum omnium seminales rationes, et exemplares formæ. Substantiales ipsæ rerum formæ sunt a luce creata, et formale symbolum habent lucis increatæ. Quemadmodum in luce omnia consistunt, corporalia et spiritualia, Ita in luce omnia externe videntur, et in luce intellectus omnia interne concipiuntur. Quod et de luce creata verum est, iuxta suam analogiam, et secundariam rationem. Hinc pulcre dictum est a Platone in Timæo, Notitias ipsas, siue rationes intellectus, cognationem quandam naturalem habere cum rebus ipsis, quas exprimunt. Est vero ea lucis cognatio, formas rerum a luce esse docens. Hæc est naturalis
cogna

cognitionis ratio, et naturalis imaginis. Formæ rerum sunt a luce, a qua imagines ipsæ in seculo apparentes, et in oculum vsque ad animam missæ, sunt eiusdem formalis lucis radii ad ipsum intellectum, qui etiam lux est, per medium lucidum penetrantes, et ibi lucidam ipsam externæ rei imaginem imprimentes: quæ imago rem ipsam naturaliter refert, ob naturale et formale lucis symbolum cognitionem et participationem. Lux illa mentis tuæ, qua me intus vides, cognitionem habet cum forma hac mea a te visa. Et hæc mea forma stigma suum in animam tuam impressit. Lux est, quæ cum corporalibus spiritualia connectit, omnia in se continens, et palam exhibens ipsis oculis intuenda. Imagines in anima sitæ, sunt natura lucidæ, naturalem lucis cognitionem habentes cum externis formis, cum externa luce, et cum essentiali ipsa animæ luce. Et ea ipsa essentialis animæ lux habet earum imaginum originale seminarium, ex symbolo deitatis, et verbi lucis, in qua est omnium exemplaris imago. Hinc imagines illæ in anima sitæ, se ipsas ipsi animæ naturaliter repræsentant, quotiens anima se super ipsas reflectit, nec noua alia notitia est opus. Imo ex propria ipsius animæ et adueniente luce vna lux conflatur, vt in aliis passim lumen cum lumine coit. Separatio quoque fieri potest, seu alterius destructio, altero manente, vt in rebus aliis forma destruitur manente materia. Quamquam imagines ipsi animæ aduenientes mutantur, mens tamen eadem permanet, seu prima ipsa animæ substantia. Res temporales, vt ait Parmenides, sunt æternarum participes idearum, per quas referuntur: eis tamen mutatis mens diuina non mutatur. Non magis est hoc difficile, quam in Christo naturam humanam esse vnum cum diuina, et humanam olim transmutari, eadem semper diuina manente. Imo ex eo ipso quod formarum et corporum huius mundi est tam fluxilis transmutatio, vt nunquam in eodem esse permaneant,

colligit Timæus, super ea quæ mancum, et per partes suum esse imperfectum habent, esse oportere alia, quæ in integro et puro esse permaneant: et secundum ea perfecta debere hæc imperfecta indicari. Hinc paradoxon illud Platonium sequitur, Corpora non vere esse et in corporibus veritatem non esse. Si hoc esse Socratem dicas, antequam finem orationis facias, hoc quod demonstrasti, iam non est, et esse desiit: ergo hoc tunc non est, quando tu esse Socratem profers: Veritas item in corporibus non est: mutaretur enim corporibus mutatis. Est ergo in sola mentis idea veritas, et solus Deus veritas. Illud quoque Timæi sequitur, Mundum intelligibilem esse semper, fieri nunquam: mundum vero sensibilem fieri semper, esse nunquam. Nullum enim tempus datur, in quo dicere possis, Hic mundus est. Nam antequam finem orationis facias, mundus mutatus est. Vanitas ergo vanitatum hic mundus est, et res, quæ non est: ac alterius rei existentis, scilicet intelligibilis mundi simulacrum et umbra. In re autem, quæ non est, veritas nulla est. In hoc ergo mundo veritas nulla est, et qui veritatem habet, non est de hoc mundo, si quæ vero in rebus his videtur esse veritas, est potius veritatis simulacrum et umbra transiens. Nam veritas est, naturæ cuiusvis constans, et immaculata puritas. Hæc est veritas in re, res ipsa, quæ est. Alia est veritas in sermone, veritas in mente, conformitas ad rem, quæ est. Veritas est sermo Dei æternus, cum æternis exemplaribus, ac rerum omnium rationibus. Vtroque modo Christus veritas est.

Ex dictis hoc quoque sequitur, esse ideam in idea, velut rotam in rota, oculum in oculo, lucem in luce. Vna huius hominis idea infinitas in Deo ideas continet, velut vnus lucis radius infinitas scintillas, quibus Deus omnia, quæ huius hominis sunt, ab æterno considerat, sessionem, stationem, accubitus, motus omnes et partes omnes vsque ad capillos ca

los capitis. Quæ omnia ita in Deo considerans Dauid admirabilem esse dixit huius rei speculationem, supra captum hominis, dicto psal. 138. Deo autem id non esse difficile, hæc sola ratio conuincit. Nam si in anima nostra sunt singulæ partium, mutationum, et actionum huius hominis ideæ potentialiter, et per diuersa tempora actualiter: quare non dicemus, esse eas omnes in Deo semper actualiter? Eo magis, quia non sunt in Deo res distinctæ, sed in eius luce relucent facies infinitis modis infinitæ, entia omnia. Et singula in ea ipsa lucis idea consistunt, in qua relucent, omnia Deo præsentia, et ei insita.

Hæc de exemplaribus fufius tractaui, vt sine aliqua Dei mutatione factum intelligas, lector, quod in essentia eius ab æterno reluceret, primum Christi exemplar, caput et princeps omnium, exemplar viuens, et fons omnis vitæ. Insignis ille erat, et primus diuinitatis modus substantialis, intelligens, viuens, et vitam rebus influens. Eo ordine, quo nunc sunt omnia in Deo, erant ante creationem naturaliter ordinata. Solus ille princeps filius hæres, cuius solius est ex Deo generatio. Non solum erat ordine primus in Deo Christus, sed et Christum solum Deus substantialiter exhibuit, in eo solo se manifestauit, eum solum ita vt proposuerat, ex seipso generans, cum omni deitatis plenitudine inde ad alios effluente. Omnibus modis, quibus tu cogitare potes, esse in hoc Christi corpore omnem plenitudinem deitatis, eisdem est tibi illa deitas olim seorsim consideranda, cum eadem hominis forma viuens: et eam dic, esse Iesum Christum, qui fuit olim in forma Dei. Sicut in anima tua sunt rerum aliarum ideæ: ita erat olim sapientia in Deo, velut anima Christi, rerum omnium ideas continens. In Christo erat vita, et in eo aliarum rerum vita relucebat. Ioan. 1. In Deo erat prima Christi relucencia, sola princeps omnium: deinde reliqua, per ipsam, in ipsa, et ex ipsa, secunda-

rio modo, suis ordinibus dependentia. Sapientiam hanc dicimus principem, ac mundi præsidem, quam in creatione manifestavit Deus, verbum visibile angelis et hominibus exhibens, ac per illam sui exhibitionem omnia creans. Per deitatem, quæ est nunc in re quavis, potest Deus nunc novum mundum creare, et per illam hypostatice apparere, quanto magis per deitatem Christi? Si de seipso Deus accepit figuram, et substantiam omnium creaturarum, ut nuper citavimus, quanto magis accepit figuram et substantiam Christi? Sine sui mutatione se potest hic nobis Deus visibilem exhibere, et palpabilem, in quavis forma: cum ille in se ipso formas omnes, et corpora omnia essentialiter contineat. Illam tamen Christi formam ab æterno cogitans primam constituit, vitæ scaturiginem, quam in creatione, et incarnatione patefecit, mysterium magnum. Cogitatio illa Dei erat huius filii generatio. Non erat tunc realis filius, a patre distinctus, sed erat naturalis scientia Dei, vitam iam agens. Ut speculo naturalis est rei propositæ reluctance, ita ratio illa Dei erat naturalis reluctance, ipsum Christum naturaliter referens, et essentialiter continens. Hoc proprium lucis est, non solum ideam naturaliter exprimere, sed formam substantialem essentialiter continere. Si credere potes, quod Deus ex se ipso hominem generet, credere poteris, ex Deo esse ab æterno substantiam et formam rei, quæ generatur. Quis negabit hanc primariam formam in Deo, qui secundarias alias in eo concedit?

Principia rerum naturalium.

Nondum satis gloriam essentiæ Christi et lucis eius explicuimus, nisi et principia rerum naturalium ex ipso deducamus et ipsum esse omnium principium ostendamus. Ad quam rem est repetendum quod diximus. Verbum illud, in quo omnia consistunt, esse lucem, lucis eiusdem ratione omnia in Christo consistere, eius virtute omnia portari et fuisse

sustineri Ioan. 1. Colos. 1. et Hebr. 1. Hæc per analogiam ad increatam lucem conueniunt quoque creatæ. Deus formans lucem in luce esse voluit formam et vim alia formandi. Si ergo omnia per lucem consistunt, et lux est quod dat esse rei, lux est forma rei. Præterea, Terrea illa materia dicitur thou et bohu, informis et inconspicua, quia nondum facta particeps lucis, Genes. 1. Vnde iterum concludis, esse formam a luce. Non solum formæ et existentia rerum sunt a luce, sed et animæ et spiritus: quoniam lux est vita hominum et vita spiritus. Lux est rerum omnium huius mundi et alterius mundi pulcherrima. In ea ipsa lucis idea res quæuis consistit, in qua relucet. Lux sola et cælestia, et terrestria, et spiritualia, et corporalia, informat et transformat: et ab ea est tota hæc mundi forma et ornatus. Lucidas formas rebus indidit creator, ne essent amplius sub informi illo et tenebroso chao. In omnibus generabilibus et corruptibilibus accessus solis ad nos est causa generationis, recessus, causa corruptionis. Solaris radius elementa ita contemperat, ut una relucens formæ perfectio conspiciatur. Non posset res aliqua ex se ipsa, lucis formam et naturalem illam imaginem in speculum vel oculum mittere, nisi in se ipsa lucem formaliter contineret. Magna est huius rationis vis, si bene cogites. Omnium rerum lux est forma visibilis. Omne quod apparet, lux est, Ephes. 5. Lux ipsa terream materiam et aqueam in splendentes lapides, lucidas margaritas, et alia per lucem formaliter omnia visa, varie transformat. In regeneratione est lux, spiritum nostrum informat, et transformat, ut et corpora nostra in finali resurrectione lux substantialiter transformabit. Quæ ratio similitudinem arguit regenerationis cum generatione, ut utraque sit substantialiter a luce. Similitudo quoque Christi id efficaciter probat. Nam corpus ipsum Christi est luce verbi Dei in generatione substantialiter informatum, et in resurrectione substantialiter transformatum: sicut in monte visa est Christi transformatio per lucem facta. Si hoc nouisset Aristoteles, intelligere tunc

potuisset, formale principium rerum naturalium esse lucem: et species diuinas esse in rebus, ut priora principia. Principia rerum omnium sunt in Deo, in Christo ipso, qui est alpha et ω . Intelligere hic potuisset Aristoteles lucem in spiritali substantia esse animæ *ενδελεχειαν*, actum, seu agitationem continuam, et viuificantem energiam: quoniam lux est vita hominum, vita spiritus nostri tam in generatione, quam in regeneratione. Forma ignis est lux: forma aquæ est splendor, aëri quoque infusus. Solaris corporis forma est lux ipsa, unde et alia formam accipiunt. Forma corporis Christi gloriosi est lux diuina nobis quoque communicanda Philip. 3. Sed Aristoteli et sophistis omnibus, quibus ignota est verbi et spiritus Dei lux et ignota Christi generatio, ignota est etiam rerum aliarum propagatio. Nam per analogiam ad Christum omnia propagantur, generantur, et producuntur. In semine Christi erant elementa seminis nostri, vita nostra, et spiritus noster. Ipsi lucido Dei verbo inerat, et inest spiritus vita et forma rerum aliarum. Omnia per lucem constiterunt, et sine luce extitit nihil. Non est aliqua creatura, quæ creatorem non referat, et in qua non reluceat creatoris lux: id quod etiam nouit Iob. cap. 25. Et Trismegistus ad Tatium filium ait: Cum per Deum ipsum cuncta clarescant, per omnia rursus atque in omnibus ipse relucet. Et postea: Deus lux ita omnia fabricauit, ut eum in omnibus fulgentem cernamus. Ex vetustissima Phænicum sententia citat Iulianus in libro de sole, Lucem hanc esse veram endelechiam et actum purum, instar diuinæ intelligentiæ per cuncta porrectum, qui deitatem ipsam in omnibus manifestat. Hanc suam lucem perpetuo voluit Christus esse nostris oculis conspicuam, ut in omnibus ipsum ibi lucentem cernamus. Nam est lux hæc propagatio quædam lucis verbi Dei, ei insita, eius symbolum in rebus seruans, ut vnum cum ea faciens. Viuificam
ab ea

ab ea prima luce vim accipit hæc Soli communicata lux. Ea ipsa solis lux varie dispensatur, sicut lux Christi. Orphæus et reliqui veteres verbum Dei vocarunt *φαντα* apparentem Deum, qui ex infinito primus apparuit. Quod nomen est postea soli quoque tributum. In immensitate Dei apparuit primus Christus, sicut in medio creatæ lucis apparet sol.

Varietas formarum est a luce varie commixta. Ex luce diuina et animæ acquisito splendore fit vna lux, vnde sunt spirituales in nobis formæ. Ex luce solis, et elementis innato splendore, fit vna lux, vnde sunt corporum formæ. Superiorum quoque elementorum substantia cum ipsa terra facit vnam rebus materiam. Hæc sunt rerum naturalium principia, generationis et corruptionis principia. Calidum, et frigidum in rebus agunt, sed a luce et splendore deducuntur. Lucem intelligo solarem calfacientem, et splendorem aqueum infrigidantem, qui in astris quibusdam concretus infrigidandi vim auget. Sicut a mediocri solis luce est vitalis calor, ita a Luna Saturno, et quibusdam aliis astris, ac cæli partibus, est passim humida putredo et frigida mors: sicut a Marte est exuperans quidam feruor. Alia est claritas solis, alia claritas lunæ: alius est ignis, alius aquæ splendor. Hæc ita in luce disposuit ille mundi architectus Christus, qui ipse est primum principium, in quo omnia consistunt, cælestia et terrestria, corporalia et spiritualia. Ipse elementorum materias creauit, et eis mixtis lucidas formas substantialiter indidit, de thesauris suis lucem ipsam educens.

Ex dictis primo infertur. Nihil nunc amplius sine subiecto creari, sed virtute lucis fieri rerum ex rebus propagationes formales generationes et corruptiones, Formamque ipsam in lucis et elementorum symmetria sitam, a lucis, et elementorum actione substantialiter produci, ac elementa ipsa vi

cælestis lucis misceri et contemperari. Omnes ergo actiones et transmutationes, a luce fiunt principaliter, tam in corporalibus, quam in spiritualibus, tam in Christo, quam in nobis. In spiritualibus energia omnis est a luce, lux spiritualis omnia essentians illustrat, et luci est potestas dæmones fugandi, qui tenebrofi tenebras amant, et lucem odiunt. Lucem ait Pimander esse in mente diuina primam speciem infinito imperio præualem. In corporalibus quoque lux est omnium substantialis forma seu formarum origo, in omnibus principaliter actiua: caliditatem produciens, maxime efficacem et actiuam, siccitatem maxime tenacem et passiuam. Frigiditas quoque et humiditas a luce sunt, seu a creato aquæ splendore etiam astris communicato. Colores a luce sunt in his inferioribus, ut a luce in iride repræsentatur. Aquæ ablutione res dealbari videmus. Albedinem videmus esse aliquando in corpore frigido, esseque aquæ splendorem concretionem quadam auctum, ut in niue et grandine: aliquando in calido, quasi ex integra adustione relictum ignis candorem, ut in calce et cinere. Lucis extinctione, seu suffocatione generatur nigredo, ut in fuligine, carbone, pice. Per quem violatæ lucis modum, in peccato, et dæmone ipso, est nigredo seu obscuritas contracta. Simili ratione est de aliis coloribus iudicandum: qui omnes in ipsa rei substantia continentur, sicut et ipsa lucis forma. Formæ ipsius pars quædam sunt colores licet mutantur, sicut partes mutantur et elementa, tam in anima, quam in corpore. Caliditas et frigiditas, humiditas, et siccitas, substantiæ sunt Hippocrati, et totius compositionem intrant. Substantiæ sunt formales, sicut et colores, tametsi quando accidunt, accidentia dicantur. Materiæ insunt, et cum priore forma vnam formam faciunt.

Secundo sequitur, Deum in principio, vere ex nihilo et sine præsupposita materia, creasse duplex cælum
vni

unicam terram, et lucem, ut habet littera geneseos. Reliqua omnia creata postea dicuntur, Colos. 1. et apoc. 10. quia sunt vere, de non esse ad esse producta. Non tamen sunt creata prima illa creatione ex nihilo et sine præexistente materia. Vere est tunc aqua creata. Ex aqua vero sunt cæli, ex aqua per euaporationem est aër. Ex aëre tandem cocta materia et luce est ipse ignis, qui et aëre fouetur. Imo flamma ipsa est aër accensus. Luminaria die quarto non creavit Deus, sed fecit ex concreta cæli materia. Nam facere verbum ibi est פשוט, quod Hebræis non significat ex nihilo facere, sed adaptare, et ex præexistente materia formare, ut ibi notant rabbi Salomon, rabbi Abraham, et reliqui omnes. Ad eundem modum, ut ait psalmista, sunt facti cæli, seu cælestes orbium distinctiones, ait Iob capite tricesimo septimo extendendo factos esse cælos fortes, ut speculum fustum. Septem ultra stellatum cælum sunt planetarum orbes, septem corporalis mundi gubernatores, quorum dispositio a quibusdam sinistrae dicitur fatum. Sed huius rei non meminit Moses, ne rudis populus in eorum gubernatorum idololatriam incideret, aut fati necessitatem crederet.

Tertio sequitur, Thaletem illum Milesium, qui Mosis et Trismegisti doctrinam in Syria et Aegypto didicit, et primus omnium apud Græcos naturalia docuit, non male dixisse, ex aqua esse omnia: cum terra de se sit inepta, et quia forma terræ est ab aqua. Ex aqua esse cælum, præclare docet Petrus ex Mose. Cælum, inquit, olim ac terra erat ex aqua, et per aquam consistens verbo Dei. 2. Pet. 3. Id ipsum docet aqueus splendor ipsi lunæ et reliquis communicatus. Docet hoc Hebraicæ dictionis etymologia. Nam cælum Hebraicè dicitur מַיִם idem quod aquæ. Ex aqua esse factum firmamentum, Hebræis est indubitatum. Ex aquis spiritu euaporatis fecit Deus rem

Deus rem extensam, aëream. Extendendo fecit Deus cælum, vt ait Dauid, idque ex aqua, et eius fundamentum est aqua, psal. 103. Ex eo fundamento tota cæli latitudo est producta, et in eo sita. Hinc fundamenta cæli concuti dicuntur, quando procellosum quid euenit. 2. Samu. 22. et Iob. 26. Extensione factum esse cælum, docet Esaias cap. 40. et Ieremias capit. 50. Hebraica vox רָקִיעַ rakija expansionem seu extensionem significat. Expansione enim, seu extensione quadam, ex aqua fit aër. Illam aëream expansionem vocauit Deus cælum, iubens eam diuidere aquas ab aquis, aquas pluuias ab aquis terræ adiacentibus. Aquæ supra cælos sunt aquæ vaporales, in nubibus supra montes suspensæ, quod et psalmista docet citato psal. 103. Aqua itaque quamuis respectu terræ sit veluti forma, superioribus tamen elementis suppeditat materiam, et ab eis vice versa, formalem vim accipit.

Quarto iam constat, esse prius factam terram, quam cælum. Ob dignitatem præmittit Moses cælum, genes. 1. Alio loco terram præmittit inquit, Cum faceret Deus terram et cælos genes. 2. Ex primo item capite ibi constat, esse post terram factum firmamentum, quod est ipsum cælum. Centrum est natura prius, quam circumferentia. Hebræi ita docent, Deum primo terram fundasse, instar facientis circulum, qui centro firmato circumferentiam deinde metitur, vt ait Salomon prouer. 8. In eam sententiam psal. 101. ad Deum ait Dauid, Tu prius terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Prouer. 3. ait Salomon, Dominus sapientia fundauit terram et cælos prudentia condidit. Capite 48. apud Esaiam ait Deus, Manus mea fundauit terram, et dextera mea mensurauit cælos. Vbi terra semper præmittitur, et fundamentum ponitur. Si ex aqua factum est cælum, iam sequitur, aquam esse cælo priorem, ac perinde terram, quæ cum aqua est eodem momento creata.

Quin

Quinto sequitur expositio eius, quod Paulus dixit esse tertium cælum diuinum. Duplex est cælum creatum, et tertium increatum. In principio creauit Deus duos cælos, vt indicat dualis numeri vox 𐤀𐤍𐤔. Duos cælos ad literam accipimus aëreum et aqueum. Ad sensum demonstrat Moses hos duos cælos, aëreum firmamentum, et aquarum regionem. Nihil ibi de angelis loquitur. Quia tamen eo loco angelorum creatio continetur, potest cælum aliqua ratione dici cælum angelorum, chorus angelorum: qui sunt cælestis seu ætherea substantia, in qua thronus Dei, sedes Dei, cherubim, et seraphim. Ita cælum secundum apud Clementem exponit Petrus, cælum primum vocans hoc quod apparet, simul aëreum et aqueum. In eandem sententiam cælum docet Christus aperiri, quando descendunt angeli, qui dicuntur militia cælestis. In hoc cælo facta est pax, adueniente Christo: et ab eo cedit satan, sicut fulgur. Siue ergo cælum dicas id totum sursum visum firmamentum, siue angelorum coronam, vtrunque est cælum multiplex. Omnia creata, etiam angeli includuntur nominibus cælorum et terræ: cum præcipue creaturæ omnes sunt cælestes aut terrestres. Hoc item indicat articulus א qui ex prima et vltima litteris, quasi *α.* et *ω.* est articulus totius comprehensiuus, addita adhuc *he*, littera demonstratiua. Quasi dixisset, In principio creauit Deus totos hos cælos, et totam hanc terram, et quicquid eis comprehenditur. Ita creationem omnium exponit ipse Deus exo. 20. Hinc cap. 2. geneſeos exercitus angelorum comprehenduntur, in creatione duorum cælorum, sicut et psal. 32. Verbo domini cæli facti sunt, et spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Vere ibi indicantur duo cæli, præter angelos, qui sunt ornamenta cæli, vt ait Iob. cap. 26. Quia vero angeli sunt exercitus cælestes, et ornamenta cæli, nomen cæli accipiunt. Ob id etiam, quod sunt substantia quædam similis aëreæ cælesti: atque simul

crea

creati per spirationem illam Dei, vt citatis locis colligitur. Tertium vero, vltra hæc omnia est cælum diuinitatis, lux inaccessa, quam pater inhabitat, quod dicitur cælum cælorum. In hoc tertium cælum raptus est Paulus. Hoc cælum inhabitat Christus, et ab eo splendorem accipiunt angeli longe inferiores, qui hoc tantum vident, quod eis per Christum datur. Hoc luminosum et igneum cælum est verbi fulgor, rerum exemplar vniuersale, deitas ipsa per Christum facta accessibilis: sicut inuisibilis in se Deus est per Christum factus visibilis etiam angelis. 1. Timot. 3. Sub velamine videbant angeli Deum, vt docet Esaias cap. 6. Adhuc supereest alius visionis absolutissimus modus post finalem resurrectionem, quando videbimus Deum, sicuti est, in abditissima illa luce, nemini vnquam visa, nec angelis ipsis, nec beatis animis, sed soli Christo. Adhuc sunt nobiscum magis beatandi boni angeli, sicut mali magis puniendi. Sed quia hæc præsentem statum, ac omnem mentem humanam excedunt, ad ea, quæ per Christum sunt iam præstita, redeamus. Deum in verbo cogitemus, et cælum ipsum quod intra nos est. Hoc cælum ad nos adduxit Christus, in eo nos reges faciens, vt in cælestibus regnemus. Hinc regnum cælorum passim dicitur. Hoc tertium est vere igneum cælum, alii duo aërei et aquei, cum ignis aliqua participatione. Tertiæ cæli in creatione non meminit Moses, sicut nec ipsius ignis, magna mysterii ratione. Tertiæ cæli, magna emphasi meminit Paulus, de tantis arcanis loquens. Ignis, in creatione non meminit Moses, tum quia alia elementa cum ipsa luce ad rerum propagationem sufficiebant: tum quia potentia quadam ibi est ignis, vbi est eius materia et lux. Aliam rationem adiungemus, vbi de Adæ peccato dicemus, ad quod sequuta est ignis ultio. Est et alia ratio, Quod regenerationem Christi, et ignem eius verum animales Iudæi non nouerunt: sed erat a Christi in

sto in terram mittendus ignis, qui veterem illum mundum innouaret. Hac eadem ratione Moses tertii cæli non meminit. Tertium cælum non habet peculiarem locum, intra nos est et instar ignis omnia penetrat. Eius tertii cæli typus est ignis hic, qui peculiarem non habet locum, ut alia elementa. Locus eius est ubi pabulum habet, sine quo subsistere nequit. Inter alia elementa est ignis, ut in ea agens, ea purificet, et in cælum sursum erigat, ob vim cælestis lucis in aërea leui substantia. Ignis omnia innouat, purificat, et transformat, coinquinari nequit, semper purus existens.

Sexto ex prædictis infertur, aquam aërem et ignem habere cælestem aliam materiam, distinctam a terrea materia. Hoc inter Hebræos olim docuit rabbi Eliezer maior. Post quem rabbi Moses Agyptius ait, esse secretum de secretis, arcanum arcanorum legis, quod sciri fecerunt maiores sapientum Israëli. Idipsum ego multis rationibus nunc ostendam: quia est res philosophis omnibus ignota, et cognitioni Christi coniuncta. Primo quod alia sit cælestium, alia terrestrium materia. Probat ipsa mundi creatio, et perpetua cæli a terra distinctio. Seorsim est ibi a Deo creata materia terræ, et seorsim materia aquæ, et a materia aquæ est aër et cælum totum. Secundo id probat aperte ipsa Christi generatio, infinitam inter ea elementa distinctionem ostendens. Nam sunt in Christo superiora tria elementa de substantia patris. Sicut paternum nostrum semen est aqueum, aëreo et igneo spiritu plenum: ita in Christo nubes illa oraculi Dei, velut aquea, aërea et ignea, fuit ros naturalis genituræ Christi, nihil in se terreum continens. In summa, nihil in factibus est a patre terreum, sed a matre, ut postea latius ostendemus. Tercio id probat vis Hebraicæ dictionis מים nam ab aqua dicuntur cæli. Cæli autem nihil habent

bent terreum, ergo nec aqua. Quarto id probant citatæ aliæ scripturæ, quæ substantiam cæli aqueam esse docent, non terream. Quinto eam elementorum differentiam probant, quæ de cælesti ex tribus elementis generatione, in libris de baptismo dicemus. Nam in baptismo ex aqua spiritu et igne denuo generamur. Matth. 3. Lucæ 3. et Ioan. 3. vt per ea efficiamur cælestes, qui antea eramus terreni, ex terra nati. Sexto idipsum probant, quæ de anima dicemus, in qua sunt superiora tria elementa. Septimo id probatur ex ratione trium cælorum, instar trium elementorum seclusa semper terra. Octauo quia spiritus sanctus, sicut et cælum, per superiora tria elementa in scripturis significatur, nunquam autem per terram, quæ cælo et spiritui est semper contraria, sicut terrestria cælestibus, et carnalia spiritualibus semper aduersantur. Nono, quia aqua pura potest in vaporem et aëreum spiritum tota abire, quasi in cælum sursum. Terra vero nunquam, sed in cinerem reuertitur, et perpetuo deorsum. Hinc Esaias, cap. 51. cælum in fumum dissoluit, et terram in puluerem. Et Ecclesiasticus cap. 40. ait, quod terreum est in terram redire, et aqueum in aquam. Decimo, aqua est cum suo splendore creata, et terra informis. Undecimo terra luci renititur, et quasi tenebrosus dæmon, est lucis incapax: aliorum vero elementorum commixtio eam transformat, et lucere facit. Duodecimo, et soni et spiritus est terra incapax, non alia tria elementa. Decimo tertio, sola terra est in Adam maledicta, et serpenti in pabulum data. Decimo quarto, ex Chymistarum sublimationibus euidenter ostenditur terream materiam ab aliis semper fecerni. Decimo quinto, in reliquis omnibus id probat ipsa experientia. Quia nunquam visum est, terram in aquam verti, nec aquam in terram, quoquo modo illas misceas. Semper enim vnumquodque reuertitur ad originem suam. Hoc non intelligentes Auerroistæ, elementa omnia dicebant, manere integraliter in mix

in mixtis: cum in eis maneant materiæ duæ.

Concludamus iam, esse rerum naturalium quatuor principia, duo materialia, duo formalia. Materialia sunt duæ materiæ iam dictæ, terrea, et aquea. Formalia sunt, solaris lux calfaciens et ficcans, et aqueus splendor infrigidans, et humectans. Quatuor ita sunt vocatæ qualitates primæ, et quatuor elementa. In solis vero duobus elementis sunt illæ qualitatum origines et excellentiæ. Principes in igne qualitates sunt, caliditas et siccitas, in aqua frigiditas et humiditas. Earundem sunt in cælo duo cælestia fomenta, Sol et Luna. Ignis lux est fere, vt solis, calfaciens et ficcans: aquæ infrigidans et humectans, quod et facit Luna, cui data est contraria Soli potestas. Soli data est potestas diei, potestas calfaciendi et ficcandi. Lunæ data est potestas noctis, infrigidandi et humectandi ex absentia solis, et ex innato, quem habet, aquæ splendore: adiunctis etiam aliarum cæli partium et stellarum proprietatibus. Terra est in se sine temperie creata. Ab aquis autem discoperta, est luce formata, desiccata, et vocata arida: ob sui quoque densitatem impressum ab aquis frigus potenter retinens. Forma itaque substantialis terræ, sicut mixtorum omnium, est ab aquæ splendore et cælesti luce. Aër quoque est fere in se qualitatum expers. Nam ab aqua euaporatus, eius frigidam et humidam temperiem seruat, qua et innatum nostrum calorem spirando refrigerat. Sed a calido fit euaporatio, a quo et facillime aër calât, atque ficcatur, in arente præsertim solo, cum ab aquilone disceditur.

Vltimo ex præmissis comprobatur vetus illa sententia, omnia esse vnum. Quia omnia sunt vnum in Deo, in quo vno consistunt. Omnia esse vnum, in Asclepio, et ad Tatium filium, passim docet Trismegistus. Melissus vniuersitatem hanc in vno esse dixit immutabili et infinito. Ad illud immutabile alia mutabilia in vnum ita reducuntur,

Qualitates, seu accidentales formæ, cum priore forma vnam formam faciunt. Quæ a luce sunt orta, in vnum cum luce coeunt. Siue calor, siue color, siue quæ alia forma, corpori a luce formato superueniat, in vnum cum priore forma coit, cum luce ipsa, quæ est mater formarum. Notitiæ quoque ipsi animæ superuenientes in vnam cum anima lucem coeunt, et spiritus in vnum cum spiritu. Singula hæc in vnum cum spiritu et luce coeunt: spiritus et lux sunt vnum in Deo, ergo et alia sunt vnum in eo, vniuersali quadam ratione. Rerum ideæ, in quibus res ipsæ in esse vno consistunt, sunt vnum in Deo, res alias eo medio vnum cum Deo esse facientes, in vmbra eius veritatis, qua Christus sine medio est hypostatice vnum cum Deo. Meminisse semper oportet, in omnibus esse analogias ad caput ipsum Christum. Meminisse item, esse varios diuinitatis modos, et subordinationes. Parmenidis ergo et Melissi de vnico principio sententiâ, hoc modo vera erit. Hoc Xenophanes Parmenidis præceptor aperte declarauit, principium illud vnum dicens esse Deum. Anaximander quoque dixit esse vnicum infinitum cunctorum principium. Democritus et Anaxagoras multorum principiorum substantiam vnam esse dixerunt, sed formas diuersas. Quod in diuinis ideis locum habet. Trismegisti doctrinam, veritati fere propinquam, hi omnes nouerunt, quam Aristoteles ignorauit. Vnicum est principium, vnica verbi lux, lux omniformis, et caput omnium, Iesus Christus dominus noster, principium creaturarum Dei.

DE TRINITATE

DIVINA LIBER QVINTVS,

in quo agitur de Spi-
ritu Sancto.

De spiritu sancto sermonem distulimus, donec esset cognita hypostasis verbi prolatione patefacti: quoniam relationem ad verbum hic passim faciemus, in verbo spiritum cognituri. Quemadmodum Dei essentia, quatenus mundo manifestatur, est verbum: ita quatenus mundo communicatur, est spiritus: estque manifestationi annexa communicatio. Quemadmodum in verbo erat idea princeps creati hominis, ita in spiritu erat idea princeps creati spiritus. Erat spiritus in archetypo, spirationis constitutio certa, sempiternae in Deo constans, et inde velut exiens. Prodebat cum sermone spiritus, Deus loquendo spirabat. Sermonis et spiritus erat eadem substantia, sed modus diuersus. Ad quam rem sunt aliquot similitudines, si hoc bene prius cogites, Deum immensum, qui creaturis vniuersis est essentialiter conformatus et exhibitus, se homini multo magis conformasse, et essentialiter exhibuisse, per sermonem, et spiritum. Ob idque sermonis et spiritus Dei imago ab initio fuit sermo et spiritus noster, seu sermo et halitus noster. In sermone nostro est spiritus, et re ipsa non differt a sermone spiritus, sed dispensationis modo, ita in Deo. Si virtute Dei fieret, ut me loquente tu in voce mea hominem videres, id videres, quod vox ipsa significat, diceres, in sermone meo visibili esse spiritum inuisibilem, auditu perceptibilem. Diceres quoque, in spiritu esse sermonem, in substantia spiritali situm. Ad eundem modum in sermone Dei erat spiritus,

1. 2. in spiri

in spiritu sermo: sermo visibilis, spiritus perceptibilis. Vt in Deo erat homo, ita in Deo spiritus hominis. Totum verbi et spiritus arcanum erat fulgens Christi gloria. Christum spirans Deus, per ipsum omnia spiravit, et omnia implevit, ipsius spiritus plenitudinem iam patefaciens. Secunda ad verbum et spiritum Dei similitudo talis est. Imago verbi illius cælestis, seu nubis oraculi, est elementaris hæc nubes, quæ est substantia flatus, in flatum tota passim abiens. Ita Deus erat verbum est spiritus, verbum et spiritum varie dispensans, in corpus et animam. Tertia eius rei similitudo est genituræ semen, quod est substantia spiritus: sicut in Christo erat verbi semen, et substantia spiritus ab vna deitate. Similitudines has scripturæ docent: docet et ipsa rerum natura, a creaturis nos ad creatorem ducens. Quid mirum, si se homini ita conformauit Deus, cum sit creaturis vniuersis conformatus? Essentia illa omniformis, in essentia spiritus se nobis conformat. Essentia illa omniformis se talem exhibere potuit, qualem voluit. Ille spirationem continens exhibitus, ille spirando prolatus sermo, erat vere sermo referens in nube, erat semen generationis Christi, in se spiritum substantialiter continens. Lux semper communis consideratur verbo et spiritui. Nubes illa verbi et spiritus Dei, in substantia sua interna, erat huius aqueæ, et aëreæ nubis archetypa, et erat lucida nubes, velut ignea. Idque totum in vna substantia, sicut horum trium elementorum est vna prima substantia, corporalis, et spiritualis, et splendens. Secundum modum dispensationis vnum, elementaris hæc nubis substantia fit tangibile solidum corpus, secundum alium fit venti spiritus, in eadem substantia, innatam semper lucem habente. Secundum modum vnum apparebat Deus verbum in nube, secundum alium ibi spirabat, secundum vtrumque semper lux: vere, sine præstigio. Secundum modum vnum est verbum in carne, se

ne, secundum alium est spiritus in anima, secundum vtrumque semper lux: vere substantialiter. Sicut Deus erat verbum, spiritus, et lux in nube, ita nunc est verbum, spiritus, et lux in Christo. Illa omnia coniunxit Deus in Christo, hypostatice et substantialiter, in carne et spiritu. Lucem suam increatam cum creata luce coniunxit Deus in Christo, et fuit vna forma: sicut ex solari et aquea luce fieri diximus vnā formam. Superioribus quoque archetypi mundi elementis substantialiter coniunguntur inferiora, in vnius Christi generatione. Omnium in Christo recapitulatio in summa ita colligitur. Verbo diuino quasi rore genituræ Christi cum elementis his creatis simul se terræ miscente per actionem spiritus Dei, extitit ipsum Christi corpus Diuino, et humano halitu eius animæ infitis et coalescentibus extitit hypostasis vna spiritus eius, quæ est hypostasis spiritus sancti, veram ipsam spiritus sancti hypostasim declarans, quæ fuit semper halitus diuinus. Lux eadem et corpori et spiritui communis erat, ac humana de Maria sumpta elementa, in vnā cum Deo hypostasim glorificabat. Ecce omnia vnum in Christo.

Hoc animaduerte, quod licet in archetypo idem essent verbum, spiritus, et lux, et esset nubes eadem, simul aquea, aërea et ignea: tamen in genesi prius referuntur verbum et spiritus, quam lux: prius aqua et aër, quam ignis. Deus sermonis et spiritus dispensationibus prius vsus est, quam lux appareret. Gen. 1. quia lux Christi erat postea manifestanda. Aqua ibi et spiritus referuntur, non ignis, qui ex spiritu et luce mox constitit. Duos cælos, aqueum et aëreum nouerunt Iudæi, non tertium igneum, quod intra nos est. Apud Iudæos non erat regeneratio baptismi, ex aqua spiritu et igne. Christus lux mundi veram lucem, Iudæis occultatam nobis patefecit. Non est igitur sine mysterio, quod ignis a Mose sit omissus, et ignis ad nos missus.

Non est sine mysterio, quod verbi et spiritus dispensationibus prius vteretur Deus, quam lucem manifestaret. Sermonem et spiritum Deus semper homini dedit, non manifestam lucem. Per sermonem se tunc Deus homini manifestavit, et per spiritum communicavit, quasi lucem Christi tunc occultans. Ea omnia fecit Deus per Christum, qui in sermone, et spiritu, et abscondita luce erat tunc apud Deum: qui et postea veniens per sermonem et spiritum nos regenuit, lucem ipsam patefaciens, et ea nos illustrans, ut gloriæ et gratiæ Christi erga nos magnitudo appareat. Quemadmodum in prima generatione, præ aliis animantibus, dedit homini Deus sermonem et spiritum, ita postea nos per euangelium sermone et spiritu regenuit, instar Christi per sermonem Dei a spiritu sancto geniti. His duabus dispensationibus ab initio utens Deus, verbo corpora creavit et spiritu vivificavit: sicut verbo eius facti sunt cæli, et spiritu eius omnis virtus eorum. Verbo eius creata est hominum materia, et spiritu inducta anima. In resurrectione quoque verbo seu voce Dei coniunguntur corporis partes, et spiritu inducitur anima. Ezech. 37. Hæc Deus ita discrevit, et nos ita discernimus. Eiusmodi erant olim in Deo verbi et spiritus rationes, dispensationes et modi, qui idem erant quod Deus. Postea vero per Christum, reuelatis Dei arcanis, apparuit latior distinctio, ob vberiore deitatis manifestationem, Ob res item adiunctas, in carnis corpore, et creato spiritu apparentes. Per Christum est creatori adiuncta creatura, complasmata, ei mixta, et vnita, tam in carne, quam in spiritu, hypostatice vnum cum Deo. Hoc est mysterium magnum, et substantialis nostra vnio cum patre per filium.

Quod autem illa spiritus dispensatio fuerit idem quod Deus, non res tertia metaphysica, demonstrauimus iam circa finem libri primi contra Lombardum, et nunc iterum ita demonstramus. Nam sicut ea, quæ Deus verbo fecit, per seipsum

ipsum fecisse dicitur, quia Deus erat verbum: ita quæ
 per spiritum eius facta refert scriptura, per Deum
 ipsum facta refert, quia Deus spiritus est. Sicut spiri-
 tus sanctus loquutus est, ita Deus loquutus est per os
 sanctorum et prophetarum, acto. 3. et Heb. 1. Ipsi
 ergo Deo ea, quæ sunt rationis spiritus sancti, modo
 quodam tribuuntur. Accipere spiritum sanctum est su-
 perueniente cælesti nuncio virtutem ab alto accipere,
 Lucæ 24. et acto. 1. Spiritus sanctus est vñctio Dei,
 Deus ipse nos vngit, et Deus spiritus est. 2. Cor. 1.
 et 3. Ipsummet Deum esse spiritum sanctum in nobis,
 docet apostolus, dicens, spiritum Dei esse in nobis, quia
 dixit Deus, Inhabitabo in eis, et quia dixit, Templum Dei
 estis 1. Cor. 3. et 6. et 2. Cor. 6. Habitaculum Dei in
 spiritu sancto. Ephes. 2. et Esa 57. Deum contemnit
 nos contemnens, quia dedit spiritum suum in nobis 1.
 Thess. 4. Qui mentitur spiritui sancto, non hominibus
 mentitur, sed Deo acto. 5. Item, quod spiritus sanctus sit
 modus deitatis, eiusque in Christo et per Christum dis-
 pensatio, ex eo probatur, quod dicitur spiritus Christi,
 et spiritus filii. 1. Pet 1. et Gala. 4. Similiter ad Rom.
 8. Spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem spiritum
 Christi non habet, hic non est eius. Quod si spiritus eius
 f. patris, qui suscitavit Iesum etc. Propter quæ verba
 Hilarius lib. 2. et 8. de trinit. per spiritum sanctum ali-
 quando patrem, aliquando filium, aliquando rem tertiam
 importari dicit, metaphysice f. de inuisibili reali filio
 loquens. Similia de triplici illarum trium rerum spi-
 ritu refert Athanasius in principio dialogorum. At mi-
 hi sine metaphysicis rebus sunt omnia facilia, sicut et
 illud, quod spiritus Dei dicatur augeri vel minui, et
 quasi diuidi, vt ait Deus ad Mosen, Segregabo seu scin-
 dam de spiritu tuo, et ex eo impertiar septuaginta vi-
 ris. Et iterum, Segregans, seu decedens de spiritu,
 qui erat in Mose, et dans septuaginta viris. Num. 11.
 Sine huius diminutione datur illi portio spiritus, per mo-
 dum distributionis diuinæ. Hanc spiritus Dei parti-
 tionem, augmentationem, et diminutionem, iuxta modos

diuinitatis dicimus esse accipiendam, ac etiam iuxta adiuncta, quæ vere diuiduntur. Secundum variam dispensationem sunt diuisiones ministeriorum et operationum 1. Cor. 12. Secundum dispensationem dicitur, quod spiritus amplior erat in Daniele, quam in aliis Dani. 6. et quod apostoli pluries replebantur spiritu sancto, acto. 2. et 4. Dare spiritum Dei est idipsum, quod dicitur, Dabo eis cor, intellectum et mentem. Salomoni data est sapientia, quæ est spiritus sanctus, spiritus sapientiæ. Datur spiritus sapientiæ, consilii, scientiæ, pietatis, et reliquorum donorum.

Non solum ob talia dona, sed eo solo, quod animam in nos spirat, Deus dicitur dare nobis spiritum suum, Genes. 2. et 6. Anima nostra est lucerna quædam Dei, prouer. 20. Est vt scintilla spiritus Dei, imago sapientiæ Dei, creata quidem, sed spiritali illi sapientiæ simillima, ei insita, innatum habens lumen diuinitatis, sapientiæ illius primæ scintillam, et spiritum ipsum diuinitatis. Spiritum diuinitatis esse homini insitum, etiam post Adæ peccatum, testatur ipse Deus dicto capit. 6. Vitæ nostræ dispensatio ab eius halitu per gratiam datur et sustinetur, vt ait Iob. cap. 10. 32. et aliis sequentibus. In nares Adæ inspirauit Deus animam, vna cum aëreo flatu, et inde ipsa pendet, Esa. 2. et psal. 103. Ipse Deus spiritu suo nobis halitum vitæ sustinet, dans flatum populo, qui est super terram, et spiritum calcantibus eam, vt in eo viuamus, moueamur et fimus. Esa. 42. et acto. 17. Adducente Deo a quatuor ventis ventum, et a quatuor flatibus flatum, reuiuiscunt cadauera Ezech. 37. Ab aëreo ipso flatu inducit ibi Deus hominibus animas, quibus innata est spirati aëris vita. Hinc anima Hebraice sonat idem quod spiratio. Ab aëre inducit Deus animam cum anima ipsa aërem inducens, et scintillam ipsius Deitatis, quæ aërem implet. Orphæi dictum verum est, Animam ferri ventis, et ex toto ingredi respiratione, vt in libris de anima ci

ma citat Aristoteles. Ex substantia elementari animam aliquid habere, docet Ezechiel, et ex substantia sanguinis, docet ipse Deus. Quam rem ego hic fusius explicabo, ut inde intelligas ipsi Spiritus sancti substantiæ essentialiter adiunctam creati spiritus Christi substantiam. Aërem voco spiritum, quia in lingua sancta non est aëris aliud peculiare nomen. Imo ea res indicat, diuinum halitum esse in aëre, quem spiritus domini replet.

Vt vero totam animæ et spiritus rationem habeas, lector, diuinam hic philosophiam adiungam, quam facile intelliges, si in anatome fueris exercitatus. Dicitur in nobis ex trium superiorum elementorum substantia esse spiritus triplex, naturalis, vitalis et animalis. Tres spiritus vocat Aphrodisæus. Vere non sunt tres, sed denuo spiritus distincti. Vitalis est spiritus, qui per anastomoses ab arteriis communicatur venis, in quibus dicitur naturalis. Primus ergo est sanguis, cuius sedes est in hepate, et corporis venis. Secundus est spiritus vitalis, cuius sedes est in corde, et corporis arteriis. Tertius est spiritus animalis, quasi lucis radius, cuius sedes est in cerebro, et corporis nervis. In his omnibus est vnius spiritus et lucis Dei energia. Quod a corde communicetur hepati spiritus ille naturalis, docet hominis formatio ab utero. Nam arteria mittitur iuncta venæ per ipsius foetus umbilicum: itidemque in nobis postea semper iunguntur arteria et vena. In cor est prius, quam in hepar, a Deo inspirata Adæ anima, et ab eo hepati communicata. Per inspirationem in os et nares, est vere inducta anima: inspiratio autem ad cor tendit. Cor est primum viuens, fons caloris in medio corpore. Ab hepate sumit liquorem vitæ, quasi materiam, et eum vice versa viuificat: sicut aquæ liquor superioribus elementis materiam suppeditat, et ab eis, iuncta luce, ad vegetandum viuificatur. Ex hepatis sanguine est animæ materia, per elaborationem mirabilem,

lem, quam nunc audies. Hinc dicitur anima esse in sanguine, et anima ipsa esse sanguis, siue sanguineus spiritus. Non dicitur anima principaliter esse in parietibus cordis, aut in corpore ipso cerebri, aut hepatis, sed in sanguine, ut docet ipse Deus genes. 9. Leuit. 17. et Deut. 12.

Ad quam rem est prius intelligenda substantialis generatio ipsius vitalis spiritus, qui ex aëre inspirato, et subtilissimo sanguine componitur, et nutritur. Vitalis spiritus in sinistro cordis ventriculo suam originem habet, iuuantibus maxime pulmonibus ad ipsius generationem. Est spiritus tenuis, caloris vi elaboratus, flauo colore, ignea potentia, ut sit quasi ex puriori sanguine lucidus vapor, substantiam in se continens aquæ, aëris, et ignis. Generatur ex facta in pulmonibus mixtione inspirati aëris cum elaborato subtili sanguine, quem dexter ventriculus cordis sinistro communicat. Fit autem communicatio hæc non per parietem cordis medium, ut vulgo creditur, sed magno artificio a dextro cordis ventriculo, longo per pulmones ductu, agitur sanguis subtilis: a pulmonibus præparatur, flauus efficitur: et a vena arteriosa, in arteriam venosam transfunditur. Deinde in ipsa arteria venosa inspirato aëri miscetur, expiratione a fuligine repurgatur. Atque ita tandem a sinistro cordis ventriculo totum mixtum per diastolem attrahitur, apta supellex, ut fiat spiritus vitalis.

Quod ita per pulmones fiat communicatio, et præparatio, docet coniunctio varia, et communicatio venæ arteriosæ cum arteria venosa in pulmonibus. Confirmat hoc magnitudo insignis venæ arteriosæ, quæ nec talis, nec tanta facta esset, nec tantam a corde ipso vim purissimi sanguinis in pulmones emitteret, ob solum eorum nutrimentum, nec cor pulmonibus hac ratione seruiret: cum præsertim antea in embryone solerent pulmones ipsi aliunde nutriri, ob membranulas illas, seu
valuu

valuulas cordis, vsque ad horam natiuitatis nondum apertas, vt docet Galenus. Ergo ad alium vsum effunditur sanguis a corde in pulmones hora ipsa natiuitatis, et tam copiosus. Item a pulmonibus ad cor non simplex aër, sed mixtus sanguine mittitur, per arteriam venosam: ergo in pulmonibus fit mixtio. Flauus ille color a pulmonibus datur sanguini spirituoso, non a corde. In sinistro cordis ventriculo non est locus capax tantæ, et tam copiosæ mixtionis, nec ad flauum elaboratio illa sufficiens. Demum, paries ille medius, cum sit vasorum et facultatum expers, non est aptus ad communicationem et elaborationem illam, licet aliquid resudare possit. Eodem artificio, quo in hepate fit transfusio a vena porta ad venam cauam propter sanguinem, fit etiam in pulmone transfusio a vena arteriosa ad arteriam venosam propter spiritum. Si quis hæc conferat cum iis, quæ scribit Galenus lib. 6. et 7. de vfu partium, veritatem penitus intelliget, ab ipso Galeno non animaduersam.

Ille itaque spiritus vitalis, a sinistro cordis ventriculo, in arterias totius corporis deinde transfunditur, ita vt qui tenuior est, superiora petat, vbi magis adhuc elaboratur, præcipue in plexu retiformi, sub basi cerebri sito, in quo ex vitali fieri incipit animalis, ad propriam rationalis animæ sedem accedens. Iterum ille fortius mentis ignea vitenuatur, elaboratur, et perficitur, in tenuissimis vasis, seu capillaribus arteriis, quæ in plexibus choroidibus sitæ sunt, et ipsissimam mentem continent. Hi plexus intima omnia cerebri penetrant, et ipsos cerebri ventriculos interne succingunt, vasa illa secum complicata, et contexta seruantes, vsque ad neruorum origines, vt in eos sentiendi et mouendi facultas inducatur. Vasa illa miraculo magno tenuissime contexta, tametsi arteriæ dicantur, sunt tamen fines arteriarum, tenden-

tendentes ad^o originem neruorum, ministerio meningum. Est nouum quoddam genus vasorum. Nam sicut in transfusione a venis in arterias, est in pulmone nouum genus vasorum, ex vena et arteria: ita in transfusione ab arteriis in neruos est nouum quoddam genus vasorum ex arteriæ tunica in meninge: cum præsertim meninges ipsæ suas in neruis tunicas seruent. Sensus neruorum non est in molli illa eorum materia, sicut in cerebro. Nerui omnes in membranarum filamenta desinunt, exquisitissimum sensum habentia, ad quæ ob id semper spiritus mittitur. Ab illis itaque meningum seu choroidum vasculis, velut a fonte, lucidus animalis spiritus veluti radius per neruos effunditur in oculos, et alia sensoria organa. Via eadem, vice versa, aduenientes extrinsecus sensatarum rerum lucidæ imagines, ad fontem eundem mittuntur, quasi per lucidum medium intro penetrantes.

Ex his fatis constat, mollem illam cerebri massam non proprie esse rationalis animæ sedem, cum frigida sit et sensus expers. Sed esse veluti puluinum dictorum vasorum, ne rumpantur: et custodem animalis spiritus, ne diffletur, quando neruis est communicandus: et esse frigidam ad temperandum igneum illum intra vasa contentum calorem. Hinc quoque fit, vt prædictis vasis communem membranæ tunicam in interna cauitate seruent nerui ad fidam spiritus custodiam: idque a tenui meninge, sicut et externam aliam tunicam habent a crassa. Illa etiam ventriculorum cerebri spatia inania, quæ philosophi, et medici admirantur, nihil minus continent, quam animam. Sed prima ratione facti sunt ventriculi illi ad expurgamenta cerebri recipienda, veluti cloacæ, vt probant excrementa ibi recepta, et meatus ad palatum et nares, a quibus defluxiones morbosæ nascuntur. Et quando ventriculi ita opplentur pituita, vt arteriæ ipsæ choroidis ea immergantur, tunc subito ge-

bito generatur apoplexia. Si partem obstruat noxius humor, cuius vapor mentem inficiat, generatur epilepsia, aut morbus alius, iuxta partem, in quam ille expulsus decumbet. Ibi ergo dicemus esse mentem, ubi eam affici manifeste percipimus. Ex immoderato illorum vasorum feruore, aut meningum inflammatione, fiunt manifesta deliria et phrenitides. Vnde ex accidentibus morbis ex situs et substantiæ ratione, ex caloris vi, et eum continentium vasorum artificiosa pulcritudine, et ex ibi apparentibus animæ actionibus, semper colligimus, esse vascula illa præferenda, et quia eis reliqua omnia seruiunt: et quia sensuum nerui eis alligantur, vt inde vim accipiant. Postremo quia nos ibi laborantem intellectum percipimus, in forti meditatione arteriis illis vsque ad tempora pulsantibus. Vix intelliget, qui locum non viderit. Secunda alia ratione facti sunt ventriculi illi, vt ad spatia eorum inania penetrans per ossa ethmoide inspirati aëris portio, et ab ipsis animæ vasis per diastolem attracta, animalem intus contentum spiritum reficiat, et animam ventillet. In vasis illis est mens, anima, et igneus spiritus, iugi flabellatione indigens: alioquin instar externi ignis conclusus suffocaretur. Flabellatione et difflatione, instar ignis, indiget non solum, vt ab aëre pabulumumat, sed vt in eum suam fuliginem evomat. Sicut elementaris hic externus ignis, terreo crasso corpori, ob communem siccitatem, et ob communem lucis formam, alligatur, corporis liquorem pabulum habens, et ab aëre diffatur, fouetur, et nutritur: ita igneus ille noster spiritus et anima, corpori similiter alligatur, vnum cum eo faciens eius sanguinem pabulum habens: et ab aëreo spiritu inspiratione et expiratione diffatur, fouetur, et nutritur, vt fit ei duplex alimentum, spirituale et corporale. Hac loci et spiritualis fomenti ratione conueniens admodum fuit, eundem nostri spiritus lucidum natura locum spiritu a-

æ

lio fan

lio sancto, caelesti, lucido, afflari, idque, per oris Christi expirationem, sicut a nobis inspiratione in eundem locum trahitur spiritus. Decuit eundem nostri intellectus et lucentis animæ locum, caelesti alterius ignis luce denuo illuminari. Nam Deus primam in nobis lucernam illuminat, et subortas ibi tenebras denuo vertit in lucem, ut ait David psalm. 17. et 2. Sam. 22. Idipsum docet Elihu apud Iob. cap. 32. et 33. Idipsum docuerunt Zoroaster, Trismegistus et Pythagoras, ut mox citabo. Vasorum quoque formatio et temperies bona ad mentis bonitatem facit, ut illis sit anima melior, quibus sunt illa melius disposita. Sicut vero a bono spiritu insita illa lux magis et magis illuminatur, ita et a malo obscuratur. Si in vascula illa cerebri, cum animali nostro lucido spiritu, tenebrosus et nequam spiritus intrudatur, tunc dæmoniacos furores videbis, sicut per bonum spiritum lucidas reuelationes. Vascula autem illa facile impetit spiritus nequam, qui sedem habet vicinam in abyssis illis aquarum et lacunis ventriculorum cerebri. Spiritus ille nequam, cuius potestas est aëris, una cum inspirato a nobis aëre lacunas illas libere ingreditur et egreditur, ut ibi cum spiritu nostro, intra vasa illa, velut in arce collocato, iugiter dimicet. Imo cum ita undique obsidet, ut vix illi liceat respirare, nisi quando superueniens lux spiritus Dei malum spiritum fugat. Ecce quam decenter loco illi conueniat, mentis, spiritus, reuelationis, et intellectus ratio, et insita et superueniens, et tentationum superiorum pugna, ut alias nunc tentationes omittam. Simili inspirationis ratione charitas Dei in corde per spiritum sanctum accenditur. In corde, ultra vitæ principium, est voluntatis imperium, et post tentationes intellectus, ac carnis stimulos, prima peccati origo, ex consensu Matth. 15. Sed ea, quæ in cerebro sunt, absoluiamus, priusquam ad cor progrediamur. Variæ pro illorum cerebri vasorum diuersitate sunt mentis actiones, quemadmodum sunt

sunt varia organa in variis ventriculis, quos nunc ita expono.

Animali illi, et igneo spiritui, in illis choroidis vasculis contento, communicatur inspiratus aër parte exigua, per ossa dicta ethmoide, tendens ad priores duos cerebri ventriculos, in syncipitis dextra et sinistra constitutos. Ibique capillares illæ choroidis arteriæ aërem illum dilatatæ hauriunt, ad ventillandam animam. Ad easdem etiam nerui duo optici, concursu factò, visorum lucidas imagines deferunt, sicut et auditorii et aliorum sensuum nerui, tegumento communis membranæ semper seruato, ad fidissimam et tutissimam omnium custodiam. Si enim in spaciis illis inanibus, vagarentur species et spiritus cum anima, emungendo foras omnia emitterentur, aut saltem per sternutationem. Si ibi esset anima, iam non esset in sanguine, cum sanguis non sit extra vasa. In vasis ergo choroidum est mens tutissime sita. Tutissimum est tegumentum: et ad dicta vasa, parte quadam in prioribus ventriculis sita, tendunt sensorii principes nerui, vt sit ibi initium sensus communis, exteriorum sensuum in commune lata apprehensio, seu imaginatio, vt conferri inuicem et commisceri apprehensa ibi incipiant.

Ille deinde inspiratus in cerebrum aër a duobus ventriculis anterioribus fertur ad medium, siue ad meatum quendam communem, concursu sub psalloide factò, vbi lucidior et purior est mentis pars: quæ diuinitus innata sibi idearum semina exerens, ex semel iam apprehensis imaginibus potest res novas similitudine quadam cogitare, siue componere, imaginata commiscere, ex aliis alia inferre, inter ea discernere et puram ipsam veritatem colligere, lustrante Deo. Minor est ibi ventriculus et excellentior intellectus ratio: quia arteriæ choroidis sunt ibi copiosiores, quæ suum igneum spiritum diastole reficiunt, et communis sensus apprehensiones in ratiocinationem magis et magis luculentam adducunt, luce ea spiritali intro per vasa penetrante, et Deitate ipsa ibi refulgente.

gente. Spatium inane non tantum ibi est, quantum in aliis ventriculis, ut meatum potius, quam ventriculum dixeris, seu longam et anfractuofam scrutinii viam. Quod factum sapienter est, ob scrutinii difficultatem. Minor ideo est ventriculus, quia ubi est purior, et lucidior mentis pars, non tot congeri debuerunt excrementa. Et quæ ibi generantur, in subiectam recta choanam facile dilabuntur, ne mentis lucernam extinguant, aut ei sint impedimento. Plura sunt ibi vasa circa conarium, plures arteriarum pulsus, potentior ibi mentis, et ignei spiritus actio. Nos quoque potentius ibi iuxta tempora pulsare laborantem intellectum exterius et interius deprehendimus, ut hoc solo experimento, ad ipsum mentis locum manuducamur. Adde quod ei loco est propinquior sensus auditus, qui est sensus disciplinæ. Miraculum maximum est hæc hominis compositio. Multi et longi ibi anfractus, usque ad cerebellum, ut longo scrutinio anfractuofæ quæque res possint inuestigari, et tenebræ illuminari: adiuuantibus etiam, per comminiscendi facultatem, iis, quæ in memoria fuerant antea recondita. Ibi quoque a ianitore scolicoide, et sinuosis glutiis cum intenditur cogitatio, retinetur quodammodo augeturque inspirati aëris fomentum, donec ab eo flabellatis et impetu pulsanibus omnibus mentis arteriis, sit scrutinium perfectum, et lucide omnia illustrata. Menti ergo, quæ ignea est, et lucis Dei particeps, apprime cohæret locus ille igneus, et iam parta notitia, quæ etiam lucis est radius, et luminosa quædam imago. Externæ etiam rerum sensibiles species in oculum missæ, luminosæ sunt, et ab obiecto luminoso, seu lucis formam habente, per medium luminosum missæ. Vnde et mens ipsa magis et magis illustratur.

Non solum a visu, qui plures rerum differentias nobis ostendit, intellectus ornatur, sed et ab aliorum sensuum obiectis, quæ omnia cum lucido nostro spiritu cognitionem aliquam

aliquam habent. Cognatio est ex omnium substantiali forma, quæ lux est, et ex spiritali ipso in singulis agendi modo. Sonus et odor instar spiritus sunt, instar spiritus percipiuntur, et instar spiritus in nobis agunt. Auditorum perceptio fit externo spiritu ad auris membranam feriente ipsum internum spiritum, in quo sita est lux animæ, et spiritalis harmoniæ concentus, diastole et systole ordinatus. Odoratorum similis est fere ratio. Quæ autem gustantur et tanguntur, quanquam corporea magis sint, tamen vires habent, ad immutandam animam aptas, illa per humiditatem, hæc per renixum: ex lucis item communi forma, ex eius varia in spiritum actione. Lucis ratione substantia hæc tota in animam agit, cum totius ideam in ea imprimit. Substantias ipsas nunc vident Sophistæ, qui antea docebant, nihil videri, nec in Deo, nec in nobis, nisi qualitates et fucatas laruas. At nos in Christo videntes substantialem lucem, in aliis quoque veræ lucis visionem prosequimur.

Ab omnibus prædictis in medio ventriculo illustratis, ad quartum in parencephalide ventriculum, permittente ianitore, spiritus ipse tendit, et luminosa conflata imago, in ipsius animæ lumine sita. Ibi vero velut in cerebri fundo, vasa illa suum memoriæ thesaurum tenaciter obseruant, et quæ sunt sensu, et ratiocinatione inventa, recondunt: non parietibus affixa, sed in ipsa animæ substantia, velut in materia quadam. Habet ibi anima retenti spiritus fortiora vasa, ne tam facile memoria diffluat. Omitto quod ea via, per spinæ magnos nervos, motrix totius corporis facultas ad musculos mittatur, animali illo spiritu veluti radiante. Sunt itaque in cerebro ventriculi quatuor, et sensus interiores tres. Nam priores duo ventriculi sensum vnum communem faciunt, imaginum receptorem. Media est cogitatio, et extrema memoria. Hæc de spiritali in cerebrum ducta portione, cerebri organis, atque potentiis.

Parte illa maiore inspiratus aër per tracheam arteriam ad pulmones ducitur, vt ab ipsis elaboratus ad arteriam venosam transeat, in qua flauo et subtili sanguini miscetur, ac magis elaboratur. Deinde totum mixtum a sinistro cordis ventriculo diastole attrahitur, in quo fortissima et viuifica ignis ibi contenti virtute, ad suam formam perficitur, et fit spiritus vitalis, multis in ea elaboratione expiratis fuliginosis recrementis. Hoc totum veluti materia est ipsius animæ. Ultra totum hoc mixtum, duo in anima supersunt: quid viuens spiratione creatum, aut in sua materia productum: et spiritus ipse, seu diuinitas ipsa spirando insita, omnia vnum, et anima vna. Id medium, quod principaliter anima dicitur, halitus est et spiritus, vtrinque cum spiritu essentialiter iunctus. Substantia est ætherea, illi archetypæ superelementari, et huic quoque inferiori similis: naturalis anima vna, vitatis et animalis. Ecce totam animæ rationem, et quare anima omnis carnis in sanguine sit, et anima ipsa sanguis sit, vt ait Deus. Nam afflante Deo, inspirata per os et nares, in cor et cerebrum ipsius Adæ, et natorum eius, illa cælestis spiritus aura, siue idealis scintilla, et spiritali illi sanguineæ materiæ intus essentialiter iuncta, facta est in eius visceribus anima. Gen. 2. Esa. 57. Ezech. 37. et Zacha. 12. Hoc modo tam dissimiles substantias posse coire, post Chaldaeos docuerunt Academici, qui Aetheream quandam a Deo auram elementari aëri coniungi dixerunt, vt eo medio in densum hoc corpus diuina mens immitti posset. Docent id clarius sacrae literæ, halitum Dei, et elementarem flatum passim vocantes. Plato in Timæo aperte docet, substantiam animæ esse elementaris et diuinæ substantiæ commixtionem quandam. Esse tertiam quandam substantiam mediam, vtriusque participem. Nam continet anima symbolum Deitatis et mundi elementorum. Alioquin non posset anima vna vires illas intelligibilis mentis habere, et viuificas has rectrices corporum

porum facultates. Hinc quoque fit, ut anima sensibus passim auscultans, corpori blandiatur, eius cognationem amans. Aliquando in altum ascendens, superna cognatione magis afficiatur, priore neglecta. In Cratylo dicitur anima $\psi\upsilon\chi\eta$, quasi $\alpha\nu\alpha\psi\upsilon\chi\eta$, spirando refrigerans, et esse nihilominus a mente in homine diuina. Sicut anima corpus, ita Deus animam spirando viuificat. Esaias docet, spiritum qui est a Deo, inuolui flatui, et ita Deum spiracula fecisse, animas aëre vestitas. Zacharias formatione quadam ait in hominis visceribus fingi animæ spiritum. Idipsum probat litera Geneseos. Nam non simpliciter dicitur halitus ille Dei esse anima: sed inspirato illo halitu facta est intus anima viuens. In elementis corporis, sicut in semine, esse eliciendæ animæ substantiale symbolum, ultra iam ostensa adhuc ostendemus. Duo sunt in semine, quæ sunt de essentia animæ, quæ et faciunt animam nati assimilari animæ patris. Ea sunt, formalis seu formatrix facultas, et spiritalis materia. Formalis et formatrix facultas est lux ipsa et idea. Ex semine manifeste eliciuntur animantium aliorum animæ, ac etiam humanæ, accedente ipsi homini diuinæ mentis halitu, in ea idea, quam seminis exigit ratio, ad quam anima formatur. In faciem hominis per os et nares, in cor et cerebrum fit Dei spiratio, ut ita in idea hominis anima formetur. Ita Deus, quasi figulus, dicitur formator animæ, Zach. 12. Singulorum animas in cordibus ipse fingit, psal. 32. Dicitur Deus formator lucis, Esa. 45. Rerum enim substantiales formas in luce ipsa realiter format, sicut ideas in mentis luce. Ita Deus in luce animam formauit, sicut in luce postea anima ipsa alia simulachra format et fingit. Denique dicitur Deus formator omnium. Iere. 10. quia nihil creauit, cui certam formam non dedit. Etiam angelis, et animis, certam formam dedit Deus, formator omnium. Deus nos intus et extra formauit, etiam antequam essemus, artificio mirabili, et multiplici ratione, psal. 138. Primo res omnes mente concipiens Deus, eas in suæ lucis idea exemplariter ab æterno formauit. Deinde in externo

Zac.
12.1.

esse singula produciens, ut ea præformauerat, format. Si secundaria ratione in nobis hoc factum intelligas, intelliges Christum primario habuisse in Deo formam suam, a qua nos accepimus, in externa hac creata luce formati. In ipsa creata luce realiter et substantialiter omnia format Deus, lucis suæ, seu ideæ symbolum omnibus communicans, et homini præterea mentis divinæ spiraculum influens. Illud a Deo nobis immisum animæ spiraculum, est lucerna quædam, siue lucis scintilla. Deut. 4. 24. Deus ipse ignis est, et Deus spiritus est, a quo est in igneo nostro et aëreo vitali spiritu ignea et spiritalis anima. In luce est prima animarum et aliarum rerum idea, et in luce est naturalis vita, ut ait Ioannes. Lux ipsa Dei est, qua naturaliter illuminatur omnis homo natus in mundo, Ioan. 1. In lucido ipso Dei verbo est fons animæ, et in eius luce nos videmus lucem, psal. 35. Pulchre secundum hanc rationem cohæret animæ nostræ spiritus sanctus in regeneratione datus, veluti lumen cum lumine, et ignis cum igne. Alioqui non diceretur regeneratio spiritus, nisi ad illius primæ generationis et spirationis Dei similitudinem: et noua illuminatio veteris ratione excellentior. Chaldaeus hæc docuit Zoroaster in Oraculis sapientiæ. Ibi a luce Dei in nos demissam animam, ad eam lucem ait denuo aspirare, ab ea illuminari, et ignem denuo fieri. Ascendendum, inquit, tibi est ad lumen ipsum, et patris radios, vnde infusa est tibi anima, multo mentis lumine circumfusa, quæ per potentiam patris fit ignis splendidus. Trisnegistus in Pimandro ait, Lux et vita Deus est pater, a quo natus est homo: si ergo comprehendis te ipsum ex vita et luce constare, ad vitam rursus lucemque transcendes. Pythagoras in carminibus ait, Tu autem confide, quoniam diuinum genus est hominibus, quibus sacra natura lucem proferendo omnia monstrat. Occulta nobis est lux, quæ in maiorem aliam lucem se profert lustratione Dei. Ab illa ipsa vi-

ipsa vitæ Christi luce processit nobis vita animæ in generatione, et vita spiritus in regeneratione. Modus est alius, sicut in ipsomet Christo fuit alius, et nouus spiritus. Ille ipse, qui erat olim spiritus Elohim, est nunc spiritus oris Christi, generans et regenerans, psal. 103. Aliter tamen, et aliter. Regeneratio differt a generatione, sicut spiritus gratiæ differt ab innata anima. Spiritus iste est Deus, anima non est Deus, et per hunc efficitur anima Deus. Animæ spiritus vitalis, et eius elementa, sunt corruptibilia. Spiritus noui elementa sunt incorruptibilia, qualia in cælo nunc habet vitalis ipse Christi spiritus. Anima omnis carnis ex Dei præscripto ita diffinitur. Anima est originalis quidam in sanguine vitalis vapor. Anima hominis est originalis quidam in sanguine mentis halitus. Spiritus autem regenerationis sanctus est cum innouatis regenerationis Christi elementis nouus Deitatis halitus.

Non est quod verearis dicere, et animam nostram, et ipsum Christi spiritum sanctum sibi essentialiter iunctam habere eiusmodi elementarem substantiam, sicut verbum sibi iunctam habet carnem. Inseparabiliter eam substantiam contingit ignis animæ nostræ, et ignis spiritus nostri, ac ea fouetur et nutritur: vt ignem videmus liquore et aëre foueri et nutriri. Quibus deficientibus, sicut extinguitur ignis, ita in nobis velut extinguitur anima, vitalibus actionibus priuata. Imo seclusis his mundi elementis, sola in se considerata illa a Deo veniens animæ substantia, velut elementaris est, sicut et angeli substantia. Nam spiritus ipse Dei, qui est spiritus generationis Christi, a quo angeli et animæ emanarunt, talem elementarem, seu superelementarem substantiam continebant in archetypo mundo. Eam ipsam simul cum humano spiritu continet nunc spiritus Christi humanati. Eam ipsam continet spiritus regenerationis nostræ, quando ex aqua, spiritu, et igne de cælo ge-

neramur. Ibi in ipsis creatis simul intelliguntur increta. Et ea omnia in vnam animæ et spiritus substantiam coeunt. Considera, qualem Christus in cælo hodie continet substantiam, qualis sit eius halitus, qualis vitalis spiritus, qui ipse est spiritus sanctus, in se hæc elementa continens, sibi hypostatice vnita. Nam sicut verbum Dei est hypostatice homo, ita spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis. Per potentiam tamen resurrectionis sunt omnia corporis et spiritus eius elementa innouata, glorificata, incorruptibilia facta: et ea omnia Christus nobis communicat in baptismo et cœna, se totum nobis communicans. Spiritus sanctus est ipse oris Christi halitus. Ioan. 20. Quemadmodum simul cum aëre flauit Deus animam, ita simul cum aëre flat Christus spiritum sanctum.

Illud in summa est hic cogitandum, quod sicut secluso aëre vel igne, seorsim intelligitur anima, et cum illis anima, totum anima vna, idea vna, ens vnum: ita seclusa halitus creatura, seorsim intelligitur spiritus sanctus, modus diuinus, et id totum spiritus sanctus, spiritus vitalis Christi, vnus spiritus sanctus. Adiectio Deitatis in rebus ipsis, seu adiectio rerum in Deo ipso, nomen non mutat, Deitas in lapide est lapis, in auro est aurum, in ligno lignum, secundum proprias ideas. Excellentiore iterum modo, deitas in homine est homo, in spiritu est spiritus: sicut adiectio hominis in Deo est Deus, et adiectio spiritus hominis in eo est spiritus sanctus.

Non solum vero in halitu Christi consideratur spiritus sanctus, sed et in angelo. Ideo videndum, an angelus sit spiritus sanctus, et quis sit ille alius paracletus. Angeli ministerium est effusioni spiritus sancti adiunctum, quando visa est columba, et linguæ ignis, Matth. 3. et acto. 2. Eadem ratione dicitur ibi angeli ministerium, sicut ea, quæ verbo Dei in lege fiebant, per angelos fiebant. Angelus in persona Dei apparuit Mosi in igne rubi, exo. 3. et acto. 7. Per angelum facta est vox Dei ad Mosén, Ego sum Deus patrum tuorum. In apparitione angeli erat ibi substantia

tia Dei in verbo, sicut in Iordane, et super apostolos, erat substantia Dei in spiritu. In persona Dei loquutus et visus est angelus ipsi Abraham, genes. 18. et 22. et ipsi Agar, genes. 16. et 21. et ipsi Iacob genes. 31. et 32. Ad idem Iosue 5. et 6. et Iudicu. 2. et 6. Rationem huius reddit Deus, quia erat diuinitas seu nomen Dei in angelo, et audita voce angeli audiebatur vox Dei, exo. 23. Ergo sicut per angelum facta est vox, de cælis dicens, Ego sum Deus patrum tuorum : ita per angelum facta est vox, de cælis dicens, Hic est filius meus. Hæc autem est vox spiritus sancti. Mat. et Lucae 3. Tertia illa res non potuit dicere, Hic est filius meus. Ergo spiritus sanctus non erat tertia res, sed erat dispensatio Deitatis per Angelum. Hinc Christus postquam descendit spiritus sanctus, dixit, Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis, Ioan. 1. Vno loco dicitur, angelos descendentes, alio spiritum descendentem, alio spiritum sanctum descendentem. In actis ca. 8. primo loco vocantur angelus, secundo spiritus, tertio spiritus domini. Isidorus eo quod de paraclete dicitur, annuntiabit vobis futura, infert fuisse angelum, quia angelus interpretatur nuncius, et quia per angelos multa nunciat spiritus sanctus. Omnes angeli sunt administratorii spiritus. psal. 102. et Heb. 1. Facit Deus angelos suos spiritus, et ministros igneas flammæ, psal. 103. Multa bonis prophetis per angelos bonos reuelauit Deus, sicut per malos decipere malos voluit. 3. reg. 22. et 2. par. 18. et Ezech. 14. Angelus quasi spiritus ingrediebatur animam prophetæ, vt in Ezechiele et Zacharia. Angelus dicitur spiritus mendacii, spiritus veritatis, spiritus Dei. Angelus loquebatur centurioni vt vir, Petro et aliis vt spiritus sanctus, acto. 10. 11. et 13. In Centurione Christum nesciente dici non poterat spiritus sanctus. In homine autem regenito omnia dicuntur esse a spiritu sancto, intus operante. Hinc ca. 16. vocatur spiritus, et spiritus sanctus, et in visione viri Macedonis ostenditur angelus. Separatim in scripturis fit mentio de angelo et spiritu: re ipsa idem est, sed est differentia in modo, vt inter verbum et spiritum. Modo huma-

no apparens erat verbum et angelus: spiritali modo spiritus. Nec mirum, quod dictum vel factum angelici spiritus diceretur esse spiritus sancti: cum dictum vel factum apostoli, dicatur dictum vel factum spiritus sancti. Non ergo proprie dicitur angelus esse spiritus sanctus, nisi eo modo, quo olim angelus dicebatur esse Iehouah. Quæ verbo Dei in lege fiebant, per angelum fiebant: nec ob id angelus dicitur esse verbum Dei, nisi in vmbra et ministerio, nec esse Deus, nisi in vmbra et ministerio. Multo minus nos deitatem talem angelo tribuimus, quam Iudæi, a quibus angeli vt dii adorabantur. Vnde concludimus, quod nec in Christo, nec in nobis, dici proprie debet angelus spiritus sanctus, sed ad ministeria spiritus sancti minister.

Consolator ergo ille spiritus sanctus, quem Christus apostolis pollicetur in eis futurum, qui et datus est acto. 2. non intelligitur principaliter angelus, quamuis angelus ibi in ministerio cooperaretur. Sed vice sui externi consolatoris pollicetur Christus apostolis internum alium eis consolatorem futurum s. spiritum nouum, qui tunc non erat, post resurrectionem dandum, et ministerio angeli gloriose communicandum.

Alius a filio ille vere dicitur, multis rationibus etiam secluso angeli ministerio. Primo quia tantum differt a filio spiritus, quantum ab homine flatus, imo secluso creato halitu, substantia spiritus sancti realiter differt a substantia filii. Alius, et aliud a Christo ille dicitur, nisi vox aliud dissonantiam tibi notet. Nam tunc non concedam, consolatorem spiritum esse aliud a filio. Imo vnum sunt, sicut Christus et pater vnum sunt, quia concordant, et quia vna eadem est Deitas. Alius tamen et alius Deitatis modus. In lege no talis datus est spiritus, essentia tali, distincta ac visibili, in vnam cum humano spiritu hypostasim perpetuam coeunte. Ideo magis nunc fecernitur, et alius dicitur. Spiritus sanctus ante humanationem verbi in se erat vere
modus

modus deitatis substantialis, spiritui hominis non ita hypostatice vnitus. Nunc substantialem habet adiunctionem perpetuam humani spiritus Christi. Alium item a se vocat Christus spiritum illum cum ipse eum tunc non haberet, sed a patre promissum. Ipsemet Christus accepturus erat in resurrectione, nouum spiritum gloriæ, eum postea apostolis communicaturus. Alium vocat propter sublimem eius gloriam, nunquam antea visam. Alius erit a spiritu, quem vos apostoli iam accepistis. Alius erit a me ipso. Imò ego ipse ero alius, et homo nouus. Longe alius erit in eo gloriæ gustus, quam nunc. Ideo ait, Ille me glorificabit. Tanta post resurrectionem est Christi glorificati, et noui spiritus eius sancti gloria, vt in eam angeli, teste Petro, desiderent prospicere, et velut stupefacti admirentur. Quia angeli ipsi Iudæorum dii, nunquam talem deitatis dispensationem in lege viderant. Per Christum est angelis data noua cognitio spiritus sancti, sicut noua cognitio Dei. De regno Christi quædam didicerunt angeli, quæ antea nesciebant. Ephes. 3. Regnum Christi nobis datum, est regnum spiritus, in spiritu dicuntur nobis omnia manifestari, omnia fieri, et ita a spiritu sancto fieri. Tanta gloria pater filium decorauit, vt non solum sit ipse Deus de Deo, sed et sit Deus, de quo Deus alius procedat. Quod si te offendat dicere alium Deum, dic alium consolatorem, et aliam Deitatis personam. Christus est Deus, a quo dii alii procedunt et generantur. Nos enim sumus dii ab ipso procedentes, et ex Deo geniti Ioan. 1. Sed quare de spiritu sancto ait Christus, Non a se ipso loquetur? Quia nihil absconum a verbo Dei suggerit alicui spiritus sanctus. Didymus libro secundo de spiritu sancto, ita exponit, Non loquetur a semet ipso, hoc est, non sine me, sed ex mea et patris voluntate erit modus spirationis diuinæ.

Ad ipsam Christi originem est nobis hic paululum ascen-
m. 5. den-

dendum, vt per ipsius donum ex ipso fonte aliquid hauriamus. Hoc tibi statue lector, Deum in se, si seorsim sine Christo consideretur, ita esse abditum, et omnia transcendere, vt nihil habeat nobiscum commune, nec cum spiritu angelico, quem in infinitum excedit. Statue tibi, Nec angelos ipsos Deum videre, nec eius spiritus communicationem habere, nisi quatenus per Christum datur. Quia nemo videt patrem, nisi solus ipse, et cui vult ipse reuelare. Nemini etiam Deus spiritu communicatur, nisi per ipsum. Esse vero ad eam visiopem et communicationem modos diuinos, quibus pater se mundo manifestat, et communicat per solum Iesum Christum. Et vt eos ille nunc nobis exhibet, ita eos ab æterno in Christi sapientia præformauit. Modus diuinus et substantialis est spiritus sanctus, modus æternus in Deo et eius plenitudo in Christo. Modus æternus in Deo erat, in mente præformatio quædam. Præformatio spiritus Christi in Deo vel hinc ostenditur. Si portio illa, aut scintilla, aut mensura, aut halitus, aut modus spiritus, qui erat in Petro vel Paulo, fuit olim substantialiter in Deo: quanto magis plenitudo ipsa Christi? Quando Petro et Paulo datur spiritus sanctus, non fit mutatio in Deo, nec ab eo nouum quid realiter deceditur: sed ipsi mutantur, ea quæ ipsis erant parata, suscipientes per vnionem et assumptionem de ipsis factam. Spiritus, qui eis datur, de Christo accipitur, et in Christo erat eis præparatus. Immensa præparatio et ineffabiles modi. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ sint hæc nobis præparata. In apostolis quidem erat vera substantia spiritus sancti, ad certam mensuram data, eis ab æterno ita parata. Dicuntur vero impleri spiritu sancto, acto. 2. et 4. Quia id quod in eis erat, ita eos tunc implebat et mouebat, vt in actiones miras erumperent. Non tamen erat in eis tota plenitudo spiritus sine mensura, sed in solo Christo, Ioan. 3. Rom. 12. 2. Cor. 10. et Ephes. 4. Sub mensura itaque dicimus esse in hoc
alium

aliū spiritum, in isto aliū, in illo aliū, et omnia esse vnum spiritum. Ne mireris ergo, si Christus aliū paracletum dixit, et aliū spiritum, cum et tu hic aliū, istic aliū, et illic aliū dicas. Si realitates sophisticas tollas, erunt omnia facilia.

Vt omnia summatim concludamas, spiritus sanctus ita paucis diffinitur, Spiritus sanctus est substantialis modus diuinus, spiritui angeli, et hominis accommodus. Quamquam spiritus sanctus substantialiter vnum faciat cum ea, quæ est in Christo, spiritus creatura sanctificata, nihilominus in se pura deitas intelligitur. Secundum dispensationis modum est ex Deitate Deitas, sicut in ramulis, foliis, et floribus est deitas ex deitate seminis et radicis: sicut in palmitibus est deitas ex deitate vitis, successione quadam distributionis diuinæ. Vere ergo est spiritus sanctus modus substantialis, a patre et filio distinctus, procedens, sensibilis, subsistens, aliud hic, aliud ibi loquens et agens. A Deo patre discernitur spiritus sanctus, vt dicamus esse Deum in spiritu sancto, sicut erat Deus in verbo, Deus in lumine. Spiritus sanctus ex Deo nascitur, sicut ex Deo nobis nascitur lumen. Deus est pater spiritus sancti, sicut pater luminis, pater gloriæ. Figura eadem dicitur Deus pater sapientiæ, pater verbi, si sine homine hæc olim intelligas. Deus in spiritu habitat, et Deus est spiritus, Deus in igne habitat, et Deus est ignis. Deus in luce habitat, et deus est lux. Deus est in mente, mentem inhabitat, et Deus est ipsa mens.

Nobis forsan obiicies, Cum spiritus ille Dei ab æterno contineret solam hypostasim diuinam, seu diuinitatis modum illum substantialem, quasi elementaris flatus in Deo primam ideam: et nunc habeat humani spiritus Christi elementa, incarnatione ei in vnam essentiam adiuncta: non videtur esse nunc maior eius gloria, quam olim, esto post resurrectionem sit maior, quam fuerit Christo in terris agente. Respondeo, Gloriam Dei in se nec augeri, nec minui: in nobis esse tanto maiorem, quanto magis nos ille glorificat. Tantam suam potentiam et gloriam in resurrectione Christi manifestauit Deus, vt ex elementis humanis corruptibilibus faceret incor

incorruptibilia, et ad gloriam nostram ea suæ deitatis in similibus elementis ita gloriose coniungeret, ut simul cum Deo vnum spiritum substantialiter faciant, qui est spiritus sanctus. Quicquid est in Christo, est substantialiter vnum cum Deo, quemadmodum ipse ait, Ego et pater vnum sumus. Sicut corpus Christi est ita adglutinatum Deo, ut substantialiter sit vnum cum eo: ita spiritus eius, et spiritus hominis per eum, adglutinatur et adhæret Deo, ut vnus cum eo spiritus sit, 1. Cor. 6. Per Christum solum datur spiritus, et est spiritus Christi humanati, nobis ita iunctus. Ipse vitalis Christi spiritus æternus, nobis substantialiter iungitur, sicut caro ipsa Christi. Sed hæc in libris de baptismo et cæna perspicacius intelliges, quam hic possint referri. Nunc sat fuerit, si substantiam spiritus sancti esse intelligas diuinam substantiam, spiritui nostro per se coniungibilem, per Christum, cognatione quadam, ac spiritum nostrum ita sanctificantem.

Cognita essentia spiritus sancti, ac sanctificationis nostræ munere, aliud quoque munus est hic paucis attingendum. In qua re dictum Christi exponemus, Ioan. 16. Spiritus paracletus arguet mundum de peccato ipsorum, de iustitia mea, et de iudicio in hostem. Ecce præclarum munus spiritus sancti. Spiritus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me, spiritus euidenter arguet, esse insigne peccatum, non credere in eum, qui a prophetis et signis cæli demonstratus, tot et tanta pro nostra salute fecit miracula, tot et tanta pro nobis passus est, tot et tanta mysteria compleuit. Euidenter arguet mundum de iustitia mea, iustum me declarans, quem esse iniustum, mundus calumniabatur, et impostorem. Docabit spiritus, me iuste omnia fecisse, quia ad patrem recipior, non recipiendus, si essem iniustus. Non solum recipior, sed et ibi perpetuo manebo, ut post-hac non videatis me. Hæc est iustitia mea, vobis quoque com

que communicanda, qua et vos ad patrem transferam. Arguet item mundum de iudicio rite in fatam peracto, et ab eis non intellecto. Docebit me iure vicisse et deiecisse hostem, qui mundum opprimebat, et in inferno captivum tenebat. Magna est huius iuris iudicialis virtus. Videbatur enim dæmon iure hominem captivum tenere, ex sententia Dei, Morti traditum: qui et factus erat servus peccati, quia peccauerat. At spiritus docebit Dæmonem inique in omnibus egisse, et inique semper agere, imaginem Deo dilectam tot seductionibus traducendo. Hominem vero iuste a Deo olim punitum, ob misericordiam Christi iuste nunc liberatum. Declarabimus hæc omnia latius in libro de peccato originali, cum hic non sit commodus locus, ubi de spiritu sancto agitur.

Illud vero est nunc magis dicendum, se frustra plurimos torquere, qualiter spiritus sanctus a patre procedat, aut a patre et filio. At ego ita facile declaro, Spiritus veritatis, qui a patre procedit, id est, quem pater dat. Ipse enim est originalis fons, et dat spiritum bonum petentibus se. Aduerte autem, in quo sensu ibi dicitur, procedit, ne tu sinistre occuperis ex imaginaria significatione. Procedit ibi græce est ἐκπορεύεται, id est, proficiscitur, egreditur. Non est metaphysica rerum intus emissio, sed est egressio ad opera Dei. Non fuit intrinseca realis processio, qualem fingunt sophistæ, sed fuit æterna in archetypo mundo præformatio, qualis fuit exhibitio. In creatione fuit exhibitio insignis et prima, verbi et spiritus. Substantiales erant diuinitatis modi, ad substantiarum omnium originem et Christi generationem. Vere ante creationem nec erant Dei in se ipsum motus, nec erat actio, nec passio. Nec realis generatio, nec emanatio, nec sufflatio, nec spiratio, nec productio. Nemo spirabat, nemo spirabatur. Omnia nomina hæc sunt species motus, actionis, et passionis. Seclusis ergo in
trin

trinfecis illarum trium inuisibilium rerum agitationibus, nos dicimus, dispensationem Dei esse, qua spiritum hominis sibi vnit. Hoc vere est spiritum dare et mittere, quando hominem ad se assumit, et eius spiritum sibi vnit. Et quia per Christum id facit Deus, a Christo vere spiritus procedit: cum præsertim sit in ipso originalis tota plenitudo. Ex deitate procedere deitatem diximus, secundum modum distributionis diuinæ. Per dispensationem creaturæ, et modum quendam, nos ea missionum nomina Deo tribui, concedimus. Spiritus sanctus dicitur visibiliter proficisci, moneri, et descendere, ad motum angeli, Matth. 3. et acto. 2. At non propterea mouetur substantia ipsa Dei, quæ erat in angelo. Spiritus Dei omnia implens hunc vel illum illustrat, ita mouens, vt ipse non moueatur. Ab ore Christi spiritus sanctus procedit, proficiscitur, et egreditur: quia per halitus sui distributionem nos Christus hoc munere donat. Spiritus sanctus a patre et filio procedit, et a patre per filium. Effundit in nos Deus spiritum sanctum per Iesum Christum ad Titum. 3. Promissione spiritus sancti accepta a patre, effundit in nos Christus donum hoc, acto. 2. Dona accepit Christus a patre, ascendens in altum, et dedit ea hominibus, psal. 67. et Ephes. 4. Accepit hæc Christus in resurrectione, quæ antea non ita habebat, cum nondum esset glorificatus. Spiritus hic regenerationis sanctus, hominem glorificans et innouans tunc non erat. Ioan. 7. Ille ipse spiritus, qui a patre est, a Christo est, proprius ipsius factus ei essentialis et naturalis. Proinde ait Christus, Quem ego mittam vobis a patre, Ioan. 15. A patre mittens Christus, a se ipso mittit: et a se ipso mittens, a patre mittit: quia pater est in ipso. Primo dedit Christus honorem patri, dicens a patre dandum spiritum. Postea seipsum adiunxit, dicens, se daturum. Quamquam talem non haberet tunc Christus, tamen dixit, Ego mittam, de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quæ habet pater, mea semper sunt. Propterea dixi, quod de meo accipiet, i. e. de substan-

tia mea, et deitate mea. Characterem substantiæ meæ et ideam filii a me acceptam in vobis inprimet et præscriptum iam ordinem docebit, vt non a se ipso loquatur. Adeo illum de substantia mea vobis communicabo, sicut animam meam pro vobis pono. Errant ita Græci, nolentes spiritum sanctum a filio esse: cum sit Christus vnicus fons, vnde spiritus sanctus emanat. Est vere spiritus sanctus vita, anima, et sensus Christi. Est spiritus Christi, per quem nos sensum ipsum Christi ita tenemus, vt vita ipsa Christi viuamus. Imo non viuamus iam nos, sed viuat in nobis Christus. In nobis est spiritus Christi ex intima eius substantia, et intimo eius corde, magno amore datus, qui ob id dicitur charitas Dei in cordibus nostris. Ro. 5. Ex intimo cordis est nobis datus, vt per eum Christus in corde nostro vere formetur, et nos ad ipsius imaginem vere transformemur. Valida ratione, quia ille est spiritus filii, nos per eum effici filios, Paulus Galatis ostendit. Imprimit enim in nobis ipsam filii Dei filiationem, vt tanquam fratres Christi abba pater clameamus. Ipsemet spiritus continet ideam filii: sicut anima corporis: filii impressionem in nobis facit, filium in nobis format dictus vere spiritus *ὑιοθεσίας* spiritus filiationis, nos regenerans. Additur deinde corpus ipsum, sanguis, caro, et ossa, in cæna domini. Hoc nunquam alicui in lege, nec ante resurrectionem Christi datum est. Nemo tunc dictus est frater Christi, nec eius regni tunc cohæres. Quia spiritus talis regenerans, et glorificans, Christo nondum glorificato, nondum erat. Ioan. 7. Hinc Christus ipse post resurrectionem nos fratres vocat. Matth. 28. Ioan. 20.

Ex dictis ratio redditur, quare vsus vocis spiritus sanctus est tam frequens in nouo testamento, et non in veteri. Ratio differentiæ est, quia in lege erant sanctificationes carnis, non sanctificatio hæc spiritus. Erat quidem tunc spiritus, sed non qualis nunc: ideo nec spiritum sanctum illi sciebant, nec an sit spiritus sanctus, audierant, acto. 19. Vox noua, aut eis non ita con

confueta, et virtutes nouæ indicabant esse aliquid nouum, sicut vere erat spiritus nouus. Quanquam spiritus ille, qui fuit in prophetis, fuerit spiritus Christi, alius tamen erat tunc spiritus, alia erat deitatis dispensatio, et aliter in illis agebat, quam in nobis. Quamuis spiritum hunc sanctum per prophetas loquutum, nos dicamus, quia est æternus: vere tamen aliter illi, quam nos sanctificabantur: et alium seu aliter agentem spiritum hauserunt: Quia Iesus Christus nondum erat glorificatus Ioan. 7. Illi acceperunt spiritum seruitutis in timore, nos spiritum filiorum Dei, Ro. 8. et Gal. 4. Eos ob id vocat Christus seruos, nos amicos et fratres, Ioan. 15. et 20. Nouo igitur fœdere datus est spiritus nouus, et hæc est ratio nouitatis vocis. Apud Iudæos agebatur de materiali quadam sanctificatione, quæ per exteriores vnctiones et tactus fiebat, vt res, quæ tangeret, sanctificaretur. Exo. 29. et Leuit. 6. Immundum tangendo, eorum sanctitas polluebatur. Leuit. 5. et 11. Caro apud Iudæos sanctificabatur, nunc spiritus est sanctus. Vnctio, quam à Christo accipimus, est vnctio spiritus. 2. Cor. 1. et 1. Ioan. 2. et Acto. 10. Agunt veri Christiani de interiori vnctione, et sanctificatione, quæ in spiritu et a spiritu fit. Ideo sanctum dicimus spiritum, et in nomine spiritus sancti Iudæis ignoti ideo baptizamur, vt legi mortui, et carne sepulti, de sola spiritus sanctificatione semper memores simus. Nullus Iudæorum fuit renatus ex aqua et spiritu sancto. Aliquando ibi legitur spiritus sanctitatis spiratio certa a re sancta, spiratio temporalis, non spiritus regenerationis, sanctus spiritus nouus, cum elementis incorruptibilibus. Si quando in lege dicitur, esse in aliquo spiritus Dei, non fumitur pro spiritu regenerationis sancto, vt in nobis, sed pro intelligentia aliqua, prophetia vel fortitudine, Exo. 28. 31. 35. Num. 24. 34. et Iudicum 14.

Venti etiam flatum vocarunt sacræ literæ spiritum Dei
magna

magna efficaciae ratione, et iuxta literam, et iuxta spiritum. Nam erat in eo ipso aëris flatu viuificans energia, et mysterio indicabatur, vera spiritus sancti substantia: ipseque Christi halitus diuinus viuificans. Ventum hac ratione dicitur Deus educere de thesauris suis, psal. 134. Iere. 10. et 51. Spiritus Dei dicitur ventus ille, qui agitationem faciebat super aquas, Genes. 1. Tum quia erat magnus et vehemens, ad exsiccandas aquas, et eas velut in cumulum cogendas, psal. 32. item ad aërei firmamenti expansionem, euaporatione illa producendam. Dicitur ibi spiritus Dei multiplici ratione mysterii, in ipso Deo iam præsens, et in Christo futuri: quod Hebræi quoque nouerunt. Energiam spiritus Dei, omnia viuificantem, agitantem, et implentem, ipsi nouerunt. Spiritus Dei aquas ibi viuificabat, ut illae iterum terram viuificarent ad rerum generationem. Latius quoque de spiritu illo inquirentes in Breschit Rabbæa, dixerunt spiritum illum, qui aquas agitabat, esse ipsum spiritum Messiae, omnia ab æterno agitantem et viuificantem. Ita ipsi probe intelligebant, sine trinitariorum nostrorum somniis, nemini vnquam cognitis. Ex lege et prophetis docti illi sciebant futurum, ut spiritus ipse Dei super Messiam requiesceret, et eum ipsum spiritum ab initio esse, et in rebus semper agere.

De hoc spiritu Christi sancto aliud hic superest obseruandum, quod quamuis in nobis non sit corporalis sanctificatio, tamen in corpore Christi est peculiare, ut dicatur de spiritu sancto, et a spiritu sancto genitum, Matth. 1. De substantia ipsa spiritus sancti, sicut de substantia verbi. Substantia ipsa spiritus Dei in archetypo mundo continebat, et continet nunc elementa eadem verbi, quæ diximus superiora tria, seu ipsorum exemplar substantiale. Substantia verbi et spiritus erat in Deo eadem substantia, Deus ipse ita se exhibens. Nunc quoque, quamuis caro et spiritus Christi

vere differant, tamen in elementari substantia, participationem veram habent, sicut caro et spiritus noster, ita colligati. Caro Christi, ut erat in sepulchro, suam seorsim habebat diuinam substantiam, in cælestibus elementis et substantiali lucis forma. Spiritus ipse Christi, quem moriens Deo commendauit, seorsim continebat et continet elementa regenerationis nostræ, quæ eadem sunt elementa verbi. Atque ita sunt superiora tria elementa corpori, et spiritui communia, quasi commune vinculum, per quod anima terreo corpori alligatur, tam in Christo, quam in nobis. At in nobis sunt solum elementa creata ex creaturæ generatione. In Christo sunt creata et increata ex creatoris, et creaturæ substantiali propagatione. Ratione igitur illius communis et substantialis vinculi, inter carnem et animam, aperte cognoscimus, ipsam Christi carnem esse de substantia spiritus sancti in Maria genitam. Quicquid est in Christo, sanctum est: in eo est sanctitas corporis et spiritus, et immaculata caro. In solo Christo facta est per substantiam spiritus Dei ipsa carnis sanctificatio, ac generatio, et substantia spiritus Dei ipsi carni substantialiter communicata. In eo igitur superius citato paradoxo, quod corporum huius seculi non sit veritas, non comprehenditur ipsum Christi corpus, quod est ipsa veritas. Imo corpus ipsum est vere cibus spiritus, et spiritui nostro in vnam substantiam vere vnitur, spiritu regenerationis ita colligante. Caro Christi vere est cibus longe verius quam externus hic cibus. In hoc communi cibo non est veritas, ut ait paradoxum: sed in illo cibo est veritas, in quo est constans et immaculata puritas. Ille est cibus verus vitæ cuiusdam semper viuētis, quæ in nobis est.

Possent hic quispiam dubitare, Si in solo Christo erat originaliter spiritus sanctus, quomodo in eum descendit

scendit spiritus sanctus in Iordane? Respondeo, Christus ante resurrectionem nondum obtinuit totam Dei gloriam, et potentiam. Dispensatione quadam Dei hoc resurrectioni seruabatur. In Iordane fuit indicata noua regenerationis baptismi virtus, et gloria, sicut Christus in sua regeneratione nouum gloriæ spiritum accepit. Per incarnationem fuit diuinæ supremæ formæ ad seruilem infimum habitum deiectio, et per resurrectionem fuit glorificatio. Totam ergo nunc verbi et spiritus gloriam solus Christus hypostatice continet. In eo solo, et ab eo solo, est vere spiritus sanctus, ei substantialiter insitus, et deinde in nobis per gratiam ipsius, atque ita sumus nos substantialiter vnum cum ipso, sicut ipse est vnum cum patre.

Dubitare iterum quis potest, Si in vnam cum anima nostra substantiam coit spiritus sanctus, quid illud totum est? Respondeo, Est anima, et est Spiritus sanctus. Deitatis illa positio nec speciei nec indiuidui nomen mutat. Est anima in spiritu sancto, et spiritus sanctus in anima. Sicut Deus est in Christo, Christus in Deo, et Christus est Deus manens homo: ita anima sublimi regeneratione, per hypostaticam vnionem fit spiritus sanctus, et manet anima sicut homo fit Deus, et vnum cum Deo. Quod autem illud totum vna substantia sit, velut ignis cum igne, lumen cum lumine, vltra iam dicta intelliges manifeste, si vitalem ipsum totum spiritum Christi consideres, in quo est anima et spiritus sanctus, ens vnum. Quin et aër ipse, quem nos inspiramus, substantialiter vnum efficitur cum anima nostra, postquam vitali nostro spiritui essentialiter adiunctus est, intus in corde. Formas superuenientes ostendimus esse vnum cum priore lucis forma. Notitias quoque superuenientes diximus esse essentialiter vnum cum anima, veluti lucem cum luce et spiritum cum spiritu.

Sicut Christus est vnum cum Deo, ita ait nos effici vnum cum eo per spiritum sanctum. Imo vnum aliud maius. In nobis generatur nouus internus substantialis et immortalis homo, ex carne et ossibus, qui est substantialiter vnum cum anima. Hoc in baptismo et cæna videbis, non enim friuola est cum Christo cænandi, et carnem eius manducandi ratio, nec friuola est tam sublimis spiritus regeneratio. Vitalem suum spiritum æternum nobis substantialiter communicat Christus, sicut carnem suam. Se totum ille nobis vere communicat.

Iam ratio vera redditur, quare dixit Christus, spiritum hunc nouum perpetuo in nobis mansurum et vitam ipsam immortalem. Iudæis olim ad tempus dabatur spiritus in elementis animæ incorruptibilibus. In nobis post regenerationem iugiter manet spiritus Christi cum elementis æternis, qualia sunt in ipso resuscitato, sicut in nobis manet caro eius æterna. Non ita ante incarnationem cohærebat Deus cum homine, sicut nunc cohæret spiritus Christi humanati. Quod per eius aduentum in gratiam nostri factum est, ut ita nobis spiritus cohæreat humanatus spiritus. In regeneratione nostra, accedit animæ nostræ vera incorruptibilis et cum interno incorruptibili homine perpetuo, et inseparabiliter manet spiritus sanctus. Incorruptibile dicitur in nobis semen Christi, et incorruptibilis internus homo. 1. Pet. 1. et 3. Incorruptibilis est homo, qui non ex sanguinibus, nec ex voluptate carnis, sed ex Deo genitus est Ioan. 1. et 3. et 1. Ioan. 3. Vnde Infert Ioannes, tales nos esse in mundo hoc, qualis est Christus in cælis. Ioan. 4. Dii vere nos efficimur, participatione Deitatis Christi, facti vere participes diuinæ naturæ, ut ait Petrus. In huius veritatis umbra olim dicebatur, Ego dixi dii estis. Internus noster homo est Deus, de cælo et de substantia

stantia Dei. Sed cognita regeneratione diuina, regeneratione superna, hæc omnia melius cognoscentur. Tunc cognoscetur internus cælestis homo, tunc noua progenies cælo mittetur ab alto. Diuina quædam nascetur Christianorum progenies, quam admiratur Esaias. Homines nascentur nunquam amplius morituri.

Antequam huic libro finem imponamus, spiritum verbo, vt olim habebat, et nunc habet, quasi dicta colligentes, denuo conferamus. Substantialis in mundo fuit Dei manifestatio, sicut substantialis communicatio. Sicut Deus logos, ita Deus spiritus. Verbo mandat vt res fiat, spiritu viuificat. Verbo creantur cæli et terræ corpora, spiritu viuificantur, et lucis forma simul rebus inditur. Nulla res sine verbo fit, nulla sine spiritus et lucis energia virtutem aliquam habet. In verbo ipso est spiritus et lux. Prodit cum sermone spiritus, et Deus loquendo spirat, sicut nos non possumus proferre sermonem sine respiratione. Ob id dicitur spiritus oris, spiritus labiorum. Sicut substantia verbi manifestata et visa est in Christi corporalibus elementis, et eam substantialiter continet naturale corpus eius: ita substantia spiritus Dei visa est in Christi spiritualibus elementis, et eam substantialiter continet naturalis spiritus eius. Sicut verbum Dei, cum ipsa hominis substantia est in Christo substantialiter vnum corpus. Ephes. 2. ita et spiritus Dei, et spiritus hominis est vnus spiritus 1. Corin. 6. Deus habitat in filio, et filius est Deus: Deus habitat in spiritu sancto, et spiritus sanctus est Deus. Ipse spiritus noster est Deus, a Deo proficiscitur, et nascitur: sicut Christus est Deus, a Deo profectus et natus: ipse primario, nos secundario per ipsum. Ab ipso ore Christi proficiscitur in nos spiritus regenerationis. Sublimi hoc dono substantiæ suæ et corporalis et spiritualis, vltra Iudæos Christus nos donat. Nulla ante Christi aduentum visa est spiritus hypo-

n. 3. stasis

stasis. Sed voluit Christus eam in suo baptismo prius, deinde post gloriam resurrectionis suæ, in apostolis manifestari: vt effecta inde melius perpendamus, et gratiam aduentus eius. Viso, et audito Christo, visus mox et auditus est spiritus sanctus, ac interne in nobis cognitus consolator. Non solum spiritum columbam, et ignem vidimus, sed per modum auditus, Ioan. 3. et intrâ nos ipsos percepimus. Io. 14. Hinc acto. 2. videbantur linguæ ignis, vehemens sonitus audiebatur, et efficacia intus percipiebatur. Hanc præterea similitudinem habet incarnatio verbi cum missione spiritus, et in hoc nos assimilamur filio Dei. Verbum descendens facit Christum de cælo descendisse, sicut per spiritum descendantem nos de cælo descendimus. Ascendimus item cum Christo. Nam Christus ipse dicitur verbum Dei, quasi oraculum illud recesserit a Deo, et venerit ad hominem, quando caro factum est. Vere tamen non recessit, sed Christus ascendit ad Deum. Ad eundem modum spiritus quasi recessit a Christo, quando ad Apostolos missus est, acto. 2. Vere tamen non recessit, sed nos ascendimus ad ipsum Christum, cum eo sedere incipientes in cælestibus. In quibus nos iam cum ipso regnamus, et vtinam semper regnemus. Amen.

DE TRINITATE

DIVINA, QVOD IN EA NON

fit inuisibilia trium rerum illusio

sed vera substantiæ Dei mani-

festatio in verbo, et commu-

nicatio in spiritu.

DIALOGI DVO.

Primus agit de legis umbris, et Christi complemento angelorum, animarum, et inferni substantia.

MICHAEL. PETRVS.

Elohim ille apud Mosen initio creans, et Ioannis verbum, quod initio erat apud Deum, ad vnâ Christi personam referuntur. PETRVS. En adest, Seruetus est, quem ego quærebam. Heus, heus. Quid hic solus tecum loqueris? MICHAEL. Video Christum a Christianis ignorari. Video Christianos dici, qui nesciant, in quo Christianismi fides consistat. Et videns ingemisco. Si Christus hodie veniens, iterum prædicaret, se esse filium Dei, iterum eum sophistæ nostri crucifigerent. Res vna est Christus vnus, ens vnum, filius vnus. Ipforum suppositum supposititium est, idioma sophisticum et inuisibilis illusio. Præstigiola est eorum salus et præstigiola mors illius inuisibilis rei. Sacrilega sunt idiomatum sophismata, per quæ dicitur angelus intra pellem asini mo-

ri, et spiritus sanctus in nullo mori. PET. Et tu semen generationis in Deo ponis, nubem et elementa? MICH. Omnia in Deo et origines omnium. In Deo generante dicitur semen generationis, sicut in Deo loquente dicitur sermo. In Deo erat semen, sicut Christus dicitur semen Dei, et sermo ipse dicitur semen: cum præsertim in eo ipso sermone omnia semina continerentur. Non dicitur proprie generatio, si ea, quæ sunt generationis substantialia, non observantur. Eo magis quia est Christi cognatio generationum omnium excellentissima, specimen eximium, et prototypus verus. Quod in aliis generationibus accipiunt filii a patribus, accipit Christus a Deo. Hic a creatore, illi a creaturis. In scriptura Christo tribuitur semen generationis, germen, ros genituræ, et reliqua. Alioqui quo modo dicis, esse de substantia Dei generationem? Si in Deo ipso erant aliæ res, in Deo erat quoque semen, vera omnium origo. Si in Deo cognoscis fuisse omnia, in archetypo fuisse supercælestes aquas, in empyreo ignem, in æthere spiritum, euidenter cognoscas. Hoc nunc memineris, fuisse exhibitionem diuinam, sicut erat præformatio. Instar aërei flatus dicimus spiritum, Elohim, in Deo dicimus ignem, aqueam gloriæ Dei nubem, fluuium igneum, verbi pluuiam, rorem, et irrigationem, ad generationem veri filii Dei Iesu Christi; non sine mysterio facta est talium in Deo manifestatio, nec suos prophetas Deus solis inanibus spectris deludebat, quando gloria illa et maiestas Dei declarabatur in aqua cælesti spiritu et igne. Semper ibi in nube apparebant cælestes aquæ, flatus, spiritus et ignis splendor, ut in aliorum generationibus et nunc in æthere apparent. Analogiam ad verbum esse veram, ostendimus in semine generationis nostræ in nube aërea, in sermone et halitu nostro. Erat substantia diuina, Deus ipse ita se exhibens et proferens gloriam Christi patetefaciendo, Deus creator ita se per Christum creaturis con-

ris conformare voluit. An non essentia illa omniformis se talem exhibere potuit, qualem voluit? Si grauaris tu, in Deo dicere semen, dic fuisse Deitatem ipsam, quæ egit vice feminis. Granum hoc aut guttula hæc non dicitur semen ratione materiæ, sed ratione formalis ideæ, quæ ipsa est in Deo verissimum semen. Verbum erat in Deo semen, feminalis artifex, *σπερματικός τεχνικός*, vt ait Philo in lib. de rerum diuinarum hærede. Si grauaris quoque in Deo dicere nubem, dic fuisse deitatem intra nubem. Sapientia ipsa de se ait, Ego sicut nebula cooperui terram, Eccles. 24. Sicut nubes lucens in nube, in caligine nubis, in lucida nube, Exo. 19. et Matth. 17. Nunquam fuit nubes aliqua creata quin fuerit eius in archetypo exemplar verum, nubem referens. Potuit ergo Deus exemplar tale hominibus exhibere, vt passim exhibuit, quanquam esset et ibi nubes alia creata. Ego lubens concedo, et iam multis docui, fuisse in illis gloriæ Dei apparitionibus nubem creatam, sed in ea ipsa dico fuisse superelementarem aliam nubem increatam, intus lucentem, Deitatem ipsam, se ita exhibentem. Deus erat in apparente luce intus vera lux, erat Deus in aëre aër, in igne ignis, in nube nubes, sicut in flatu Christi verus spiritus sanctus. PET. Aliud asseris non receptum, Quod verbum illud non amplius supersit, aut quod fuerit vmbra. MICH. Tantum abest, vt verbum non superesse dixerim, vt potius dixerim et dicturus sim, esse hodie in Christi carne eandem verbi substantiam. Lucem illam in nube olim lucentem dico esse verbi substantiam, et naturalem corporis Christi splendorem. Verbum illud, quod olim erat essentialiter forma hominis, eandem in ipso homine formam hodie seruat, et in Christo adhuc est Deitas ipsa sub forma hominis. Quomodo non erit in eo æternitas formæ diuinæ, si per eum est in te æternitas ideæ? Forma illa nec est confusa, nec imminuta, sed integra sua essen-

tia discernitur. Dico autem, non esse tale verbum, quale olim fuit, quia caro factum est, et quia aduentus Christi omnia innouauit. Non est secundum eam dispensationem, secundum quam fuit in nube, tempore Moſis. Quod ſecundo obiicis, vmbra vocaui, quaſi rei futurae praefigurationem: ſicut in vmbra quauis eſt velut imago quaedam. Vmbra eſt lumen diminutum. Quae in lege erant vmbrae, ſuum tunc diminutum lumen habebant, ac ſubſiſtentiam quandam, alteriusque perfectioris rei ſimilitudinem. Erant illa omnia, ſicut erat verbum, et in hoc ipſo, imperfectio quaedam temporis ſignificatur. Tranſierunt quodam modo illa, quae erant perfectionem tunc non aſſequuta. Quamuis eadem ſit nunc in hoc corpore, quae erat olim verbi ſubſtantia, erat tamen ibi Chriſtus adumbratus, ſeu praefiguratus. Nam praeeſſerunt in lege futurorum typi, quos poſſumus et vmbraſ vocare. In qua re Chriſti gloria pateſcit. Quoniam Deus in ſe lux eſt, qui in ipſa lucis ſuae et verbi ſubſtantia, Chriſtum adumbrabat, et qui olim in verbo, quaſi in vmbra videbatur. Philoni verbum erat vmbra. Sic enim ait libro ſecundo allegoriarum, *σκιὰ θεῶ ὁ λόγος αὐτοῦ ἐστὶ*, Vmbra Dei verbum eius eſt. Vmbra erat occulta forma, et exemplar, cuius ſimilitudine, inquit, factus eſt homo ad imaginem Dei. Lucidior erat initio praefiguratio. Ob peccatum acceſſit vmbra et obſcuritas quaedam. Vmbrae ratio verbo Dei non magis derogat, quam Deo ipſi: nec angelis detraho, etiamſi in eis vmbraſ Chriſti fuiſſe dixerim. Receſſit quidem vmbrae ratio, non tamen propterea periit angelorum ſubſtantia, nec Dei, nec verbi. Vmbra erat tunc, ſicut vere dixeris eſſe adhuc in nobis vmbraſ, ſi ad futuri ſaeculi gloriam nos conferas. Nam videmus nunc in aenigmate, tunc vero facie ad faciem: et gloria haec nobis per Chriſtum iam data aliam futuram maiorem praefigurat. Collatione ad nos facta, erat in lege
lumen

lumen diminutum, erant caliginosæ et obscuræ nubes, quas sibi Deus, vt latibulum, tunc posuit. Psal. 17. et 2. reg. 22. Populus, qui habitabat in tenebris, et in regione vmbre mortis, vidit lucem magnam, per Christum nobis ortam Esa. 9. et Matth. 4. ad idem Lucæ 1. vt illucesceret iis, qui in tenebris et vmbra mortis sedebant. Vides semper ibi vmbra et tenebras, hic vero patefactam lucem. Patefactam in Christo et communicatam nobis in spiritu, quæ iterum postea in totius nostri corporis gloria patefiet per resurrectionem in corpore futuram, vt nunc est resurrectio spiritus. Vmbra erat olim in legis cerimonis et aliis mysteriis, per analogiam ad superiora verbi arcana, etiam in vmbra, nube, et caligine apud Deum delitescencia. Erat tunc Christus in abscondito altissimi, et in vmbra-culo omnipotentis psal. 90. Erant ipsi omnes in vmbra et tenebris, quia Christus erat in verbi vmbra, et nubis latibulo absconditus. Duravit autem hæc verbi vmbra, quousque Mariæ obumbrans defuit esse vmbra. Lucæ 1. Imo vsque ad Christi resurrectionem aliquid semper vmbre fuit, sicut et in nobis aliquid erit ænigmatis vsque ad resurrectionem nostram. Adumbrabatur adhuc Deitas in carne Christi nondum glorificata, vt apparet in adumbratione illa, et montis transfiguratione. Matth. 17. Si igitur ipsum verbum incarnatum adhuc in vmbra erat, quanto magis olim in nube? Hinc Christo in terris viuento, non sunt vmbre legis abolitæ, donec gloria tota est in Christo et eius spiritu patefacta. Licuit igitur cum Paulo, quicquid in lege visum est, vmbra vocare, vt corpus sit Christi, Coloss. 2. Nec abs re hanc quæstionem intulisti, nam id ipsum meditabar, quando me tecum loquentem audiuiisti. PET. Quid est, quod tecum loquebaris? MICH. Verbum meditabar

tabar esse ipsam Christi personam, et collationem faciebam inter logon et Elohim, ad Christum omnia referens. PET. In Deo perceptibiles formas apparuisse, nostro seculo non recipitur. MICH. Receptum hoc erat et omnibus notum in prima ecclesia, ut ex Irenæo et Tertulliano constat: et apud veteres Hebræos, ut post Philonem, Eusebium et Hieronymum, ex aliis iam citaui. In lege et prophetis aliud nihil legas. Manifestatio Dei dicitur, non illusio. Si nullam suæ Deitatis apprehensionem dare voluisset Deus, frustra eius rei desiderium homini ingenuisset: præsertim Mosi et aliis, qui faciem illam videre desiderarunt. Frustra et illusorie tam multa de hac re lex doceret: Deus ipse luderet, se facie ad faciem ostentans. Christus ipse nugaretur, visionem Dei iactans. Si nullam dicas esse Dei substantialem apparitionem, nullam eius esse dices substantialem communicationem, atque ita Deum nec mundo, nec Christo substantialiter communicari: et in Christo aliud nihil apparuisse, quam spectrum. Veteres Hebræi in Deo legentes: temunah zelem et demuth, diuinam illam primam formam, et figuram agnoscunt: ad cuius imaginem conditus est homo: et eam dicunt faciem Elohim. In prima Christianorum Ecclesia erat hoc adeo commune, ut inde tunc nascerentur fere omnes hæreses. Nam Simon magus, Menander et Basilides, ab Ignatio citati, deinde, Valentinus, Marcion, et Manichæus, et plerique alii, solam humanam formam, quæ erat olim in æthere, quasi spectrum Christo tribuerunt, sine vero carnis corpore. Quarum hæresium odio, ad inuisibilibus rerum, et trium punctorum somnia sunt sophistæ perducti, instante regno Antichristi, qui suos habuit præambulones. Id a Ioanne prædictum fuerat, in eo regno præualituros illusorios tres spiritus, qui sunt tres filii beelzebub, apoc. 16. Post Athanasium, et quosdam alios, qui regni Antichristi iam erant athletæ, nunquam sophistis da

flis data est ea mens, vt veram illam Dei manifestationem aduerterent. Lege Tertullianum ad finem libri secundi, contra Marcionem, vbi ait, in primitiua ecclesia fuisse omnibus receptum, quod in verbo fuerit humana figura, adeo vt etiam ipsi Marcionitæ ex apostolis ita crediderint. Illustrissimum est hoc totius ecclesiæ primæ testimonium. In libro de carne Christi, et aduersus Iudæos, palam Tertullianus docet, verbum habuisse olim humanam formam et figuram. Idem docet Irenæus lib. 4. cap. 15. et 17. Plerique alii sunt in ipsis loci de verbi humana forma, et persona, ad cuius imaginem aiunt esse corpus Adæ formatum. Ne quis vero rudis ita sit anthropomorphita, vt Deum in se esse corporeum existimet, nos vere incorporeum diximus et inuisibilem, sed se personaliter exhibuisse, cum sit mens omniformis: quæ exhibitio erat prolatio, repræsentatio viua, verbi relucencia. PET. Mihi persuasum est, fuisse illam veram *θεοφανίαν*, Dei apparitionem, Christi relucencia. Erat vere *λογος* idealis ratio prolata, sermo referens, repræsentans. Ad tuam igitur inter logon et Elohim collationem reuertere. MICH. Ex Mosa habemus, quod erat initio Elohim omnia creans, visus Elohim. Ex Ioanne, quod erat initio relucens verbum, per quod omnia facta sunt. PET. Quid antea? MICH. Interpellas. PET. Prius scire velim id quod prius fuit, vt illinc ordine cuncta prodeant. MICH. Erat præfinitio seculorum, quam fecit Deus in Christo, vt ait Paulus. Sicut res omnes nunc sunt in Deo, ita eodem ordine ante creationem erant in eo, et primus omnium Christus: qui solus erat figura substantiæ Dei, splendorque visibilis gloriæ. Id quod antea fuit, si antea dici potest, fuit velut æternitatis momentum, Imo coram Deo non dicitur, fuit: sed dicitur, est. Deus ratione sua æterna corporalem sibi et visibilem filium æternaliter decernens, talis speciei substantia se ipsum visibilem

lem præbet per sermonem, in quo erat spiritus. Per eundem sermonem et spiritum, hæreditatem filio, corporalem hunc mundum creat, vmbra seculi melioris. Ad filii sui imaginem alios homines creat, pueros qui secum sint, illi donans: sicut ait, Ecce ego et pueri, quos dedit mihi Deus. Per sermonem et spiritum hæc omnia molitur Deus. Per sermonem et spiritum, qui quales apparuerunt, tales erant in mente præformati. Hinc sermonem et spiritum Deus homini tribuit, sermone et spiritu se illi communicat, vt sermone et spiritu Dei eruditus, factorem suum sermone et spiritu colat. Primum igitur adest Dei verbum, verbum ex interna ratione, ad filii generationem extra prolatum, seu manifestatione exhibitum: ecce personatus Elohim mundum creans. Cogitat et simul loquitur Deus filii generationem, verbum patefaciens. Et per ipsummet verbum generationis filii creat mundum, cui debeat filius dominari. Quascunque æternitates imagineris, in illis iam erat ratio diuina, quæ fuit postea logos, postea caro. In sua sapientia iam expresserat Deus formam hominis, quæ fuit postea visus Elohim, postea Christus. Elohim ergo non in principio esse cœpit, sed in principio iam erat, vt ait Ioannes. Erat antea in ratione verbum, sed non manifestatione exhibitum, vt in creatione se visibile exhibuit. Mutari non ob id dicitur Deus: sicuti nec mutaretur, si se tibi substantialiter visibilem nunc exhiberet in nube, aut igne, aut alia forma. Nam ille omnem percipiendi formam in se ipso continet, quam vult nobis offerens. Christum in se iam continebat Deus, et in ipso ideas aliarum rerum, eas sine sui mutatione exhibens, ex inuisibilibus visibiles faciens, vt ait apostolus. Prius erat verbum, quam mundus, non prioritate temporis, quod nullum tunc erat, sed vt causa ante effectum. Hoc vnum est tibi semper tenendum, nec tunc, nec nunc esse coram Deo aliquas temporum differentias, nec interualla aliqua, sed perpetua semper, et præsentem æterni

æternitatem. Imo positis adhuc, vt ad nos, temporum differentiis, concedendum semper est, corporalem hunc filium Iesum Christum, qui ex Maria factus est, ab æterno ex Deo egredi et ante omnia secula generari, per prolationem illam, in æternitate factam. In æternitate ante omnia tempora regnum Christi disponitur, vt post Christum docet Paulus: deinde temporum differentiæ dispensantur. PET. Voluntarie ergo genuit Deus filium, non naturaliter. MICH. Inter Athanasium et Arrium, inter Basilium et Eunomium, inter Augustinum et Maximinum, ac eius farinae reliquos, fuit acerrima quæstio, An filius Dei sit natura filius, an sit patris voluntate filius? Leguntur hæc in Athanasio, libro de fide sua, et in disputationibus contra Arrium, in Basilio contra Eunomium, in Augustino contra Maximinum, lib. 15. de trinit. contra sermonem Arrianorum, quæstione septima ad Orosium, et aliis quæstionibus. Arriani patrem dicebant libera voluntate genuisse filium nulla necessitate aut lege naturæ coactum, atque ita filium aliquando cæpisse. Nolebant concedere, esse filium naturæ, ne videretur æqualis et coæternus patri: de separato quodam reali filio semper intelligentes. Nolebat Athanasius, Basilius et Augustinus concedere, esse filium voluntate, ne videretur non coæternus, et ne esset mutatio in Deo, si aliquando cæperit velle. At ego dico, fuisse hominem filium natura et voluntate. Non cæpit Deus aliquando velle, sed ab æterno voluit: et vt cogitando voluit, est naturaliter sequutum. Naturalis est ratio, cognitio, voluntas, et scientia in Deo. Secundum ea naturaliter et voluntarie decreuit. PET. Deus dispensatione voluntaria erat verbum illud externe visum. In se ipso quid erat? MICH. Deus natura sua est indiffinibilis, nec a nobis diffinitur nisi vt rerum causa, quæ est prolatio ipsa. Naturalia quædam nos in Deo dicimus, vocibus aliunde mutu

mutuatis. Dicimus fuisse lucem spiritum, mentem ratione præditam, omnia cognoscentem, et implentem. Naturaliter in eo relucebat, quod ipse primum esse volebat. Non potes tu in Deo aliud cogitare. Nam esset hoc secluso Christo Deum intelligere. Quod nec angelis est datum. Naturaliter ergo, et voluntarie erat logos, idealis ratio, et prolatio, reluctantia Christi apud Deum, lux eius apud Deum. PET. Quare lucem præcedebant tenebræ? etiam ante peccatum? Id Moses docet genesis. 1. et Paulus 2. Corinth. 4. quasi primum principium sint tenebræ. In tenebris auditur sonus, et vox spiritus: ergo spiritus a luce differt, qui sine luce ad aurem porrigitur. MICH. Quemadmodum in ipso Deo fuit lumen apparens, de lumine non apparente, ita dicitur creata lux de tenebris, eadem ratione, ait apostolus, res ipsas, ex inuisibilibus esse factas visibiles Hebr. 11. Damascius Platonius refert, Aegyptios primum principium eo quod esset supra omnem cognitionem, appellare tenebras incognitas. Hinc forte suam tenebrarum gentem ex malo principio deduxit Manichæus, reales tenebras falso concipiens. Deus in seipso, in luce sua, omnia semper videns, nunquam fuit tenebræ, sed vera lux, ex qua hanc mundi lucem eduxit, dicendo, existat lux. Spiritus soni est instar lucis, a causa lucida, et in vnum cum luce in anima coit. Vt lux tandem ipse patefiet. Imo in luce nunc consistit, in innata scilicet ipsi aquæ vel aëri, nobis non apparente. Quamuis spiritus soni creati differat a luce creata, in Deo tamen spiritus est lux. Et in anima ipsa est substantia vna spiritus et lucis, instar Dei. PET. Citato loco agit Paulus de vera Christi luce, quæ luxit in cordibus nostris, et ante eam erant tenebræ. MICH. Si ad initium referas, iam dixi, fuisse lucem apparentem de non apparente. Fi

te. Filius ipse Dei hac ratione, seu verbum ipsum, fuit lumen de lumine, lumen visibile de lumine inuisibili. Mystice item dicitur lux de tenebris, quia lux Christi e tenebris nobis luxit, e tenebris, quæ fuerunt ante aduentum ipsius. Cuius rei typus in illa creata luce indicatur, quæ post tenebras data est, in vmbra veræ lucis Christi ita dandæ. In mysterio prius fuerunt in orbe tenebræ, quam lux, sicut fuimus in tenebris, antequam Christi lux per euangelium nobis illuxit. Ecce lucem ipsam creatam fuisse vmbra lucis Christi. Eodem mysterio probatur, verbum ipsum fuisse vmbra, quod de tenebris nobis illuxit. Verbum illud nunquam clare visum, sub obscuritate quadam ipsum adumbrabat Iesu Christi corpus, quod nunc est in Deo corporalis, lucida, et visibilis veritas. Nunc igitur non est tale verbum, quale olim fuit. Quia non est nunc secundum illam dispensationem, secundum quam erat oraculum illud in nubis caligine, tempore Moſis. Nam vt scribitur 2. para. 6. Deus qui habitabat in caligine, habitat nunc in templo Salomonis, quod est corpus Christi, Ioan. 2, Si nunc est tale verbum, quale olim fuit, sequitur, talem esse legem, qualis olim fuit, et velamen faciei Moſis. Nam per analogiam ad superiora fiunt hæc inferiora. Si nunc est tale verbum, vbi oraculum illud? vbi glori domini, quæ ibi apparebat? Nonne illorum omnium plenitudo est in corpore Christi? Nonne illa omnia sunt per adumbrationem Mariæ factam, in Christum transfusa? Tu non satis animaduertis, quanta operatus sit Iesu Christi aduentus, et qualis nouo testamento facta sit omnium innouatio. Verbum est nouum, sicut spiritus nouus. Vetera omnia vt vmbra transierunt, et ecce facta sunt omnia noua. 2. Cor. 5. Christus est homo nouus, nomen nouum, cibus nouus, regnum nouum, cælum nouum, terra noua, omnia noua. PET. Quomodo nouus et ab æterno? MICH. Spiritus dicitur

citur nouus, ob creaturæ inuocationem, et nouam gloriam, et est ab æterno in substantia Dei. Christus Paulo dicitur nouus homo, ex Deo et homine constans, in vnam substantiam et vnum corpus, Ephes. 2. Et ipsemet est in substantia Dei ab æterno logos et Elohim. PET. Idem semper concludis logon et Elohim. MICH. Quando a Ioanne audio, dici lucidum logon rationem referentem: et olim audio lucem vultus Elohim, necessario in Christi faciem incido, cum tota lex mihi hanc imaginem ob oculos ponat, vt libro tertio satis dixi. Magna ad hand rem est vis illorum Christi verborum, Qui vidit me, vidit patrem. Ex quibus ita licet inferre: Si Deus manifestatus est in carne, videndo illam carnem videtur Deus, ergo in hac facie Christi videtur Deus: et qui faciem Christi olim vidit, vidit Deum. Olim autem in oraculo videbatur Deus: et id quod videbatur, erat vultus Elohim. Ergo sequitur, idem in persona esse logon, Elohim, et vultum Christi. Gloriam illam Dei, quam vidit Esaïas cap. 6. fuisse gloriam Christi, docet Ioannes cap. 12. Idem comprobatur ex iis, quæ Ioannes in Euangelio et Epistola de luce scribit. Nam verbum erat lux illa, qua Deus lux est: et ea ipsa erat lux et lumen vultus Elohim, psal. 4. 35. 43. 66. 88. 89. et 118. Hanc eandem lucem, lumen, gloriam, claritatem, splendorem, vidit Ioannes in facie Iesu Christi, dicens, vidimus gloriam eius Ioan. 1. Idipsum in facie Christi in monte transfigurata se vidisse testatur Petrus. 1. Pet. 2. Idipsum in facie Christi vidit, et videri docuit Paulus. acto. 9. 26. et 2. Cor. 4. Ergo erat idem logos Elohim et Christus, qui est lux mundi. Ea ipsa lux vultus Elohim ipsi Adæ initio conspecta, post cherubim postea delituit, vt docet Esaïas. Velata erat, et humanæ tenebræ eam non apprehenderunt. Erasmus nos lippis oculis, ob præcepti transgressionem perterriti, et cum Adam pudore affecti, vt non pateremur illam claritatem,
nec

nec auderemus in eam faciem oculos intendere, moritimentes propter obiectum cherubim et flammeum gladium. Ob quam causam ad tollendum illum ignei gladii et transgressi præcepti terrorem, suscitatus est nobis clementissimus ille propheta Iesus. Hoc ita docemur Deut. 18. cui concordat Heb. 12. et exo. 20. Non valebat populus tunc sufferre terribilem illam ignis visionem. Nunc vero sine vilo terrore, reuelatis oculis gloriam illam Dei in facie Iesu Christi speculamur. Imo tanquam illuminatum speculum semper eam in spiritu habemus, vt et nos ad eandem imaginem et gloriam spiritu transformemur. 2. Cor. 3. et 4. Ex quo etiam Pauli loco analogiam hanc collige. Sicut facies Elohim sursum splendebat, ita facies Moſis ex eius consortio splenduit, exo. 34. Et sicut facies Elohim Christi erat sursum nube velata, ita et Moſes ponebat velamen ante faciem suam, vt non liceret aliis faciem videre, aut Christi mysteria intelligere. Artificioſa est myſteriorum colligatio. Sicut lux illa vultus Elohim est externe communicata ipsi faciei Moſis, ita lux faciei Christi nobis communicatur interne, vt ibi videamus gloriam Dei in facie Iesu Christi. Vnum semper colligimus, idem esse lucem logon Elohim et Christum, illis vmbra, nobis veritatem, et nobis omnia noua. Vetera præterierunt. Ecce facta sunt omnia noua. PET. Si vetera omnia vmbrae fuerunt, cælum illud vetus fuit vmbra cæli noui, et terra vetus vmbra terræ nouæ, et homo vetus vmbra hominis noui. MICH. Et spiritus fuit vmbra, aër vmbra, ignis vmbra, aquæ ipsæ vmbra, et mundus totus vmbra. Terra vetus ad nouam collata est vmbra et tenebræ, tohu, et bohu. Terra noua est glorificata Christi caro, ad eius similitudinem transformabitur et innouabitur caro nostra. In ea ipsa Christi carne et eius spiritu sunt cælestia elementa, cælum nouum facientia. Nouas aquas, nouum aërem et nouum ignem, largitur nobis in regeneratione Christus, quando ex aqua, spiritu et igne, de nouo generamur, et innouamur. Noua sunt

sunt hæc ab æterno substantialiter in Deo. Aquæ illæ supra cælos in genesi, licet ad literam intelligantur aquæ pluuiæ, referunt tamen illas archetypi mundi supercælestes aquas in nube gloriæ domini contentas, quæ futuræ erant flos naturalis genituræ Christi, et vera diuinitatis pluuiæ. Referunt quoque nouas supercælestes nostræ regenerationis aquas, et cælestem in spiritu nostro futuram irrigationem. Harum nostræ regenerationis internarum spiritus aquarum est Deitas eadem, substantia eadem, quæ fuit in illis archetypi aquis, Christum generantibus. Et ea ipsa Deitas in aquis his creatis adumbrabatur cum substantiæ quadam similitudine. In aquis his creatis, sicut in aëre et igne, est Deitatis symbolum, in vmbra eius, quæ in elementis Christi est, vera deitatis, nobis in baptismo communicatæ. Mundus hic totus, et quæ in eo sunt, quandam deitatis vmbra continent, et est in eis deitas, velut vmbra deitatis Christi. PET. Deitatem habet mundus, in maligno positus? MICH. Mundus bonus et pulcher est a Deo factus, et omnia Deo insita. Omnia per intermediam lucem, et ideam, sunt vnum cum Deo, in vmbra eius veritatis, qua Christus est sine medio vere consubstantialis Deo. PET. Secundaria hac ratione intelligendum est, quod ait Trismegistus, mundum esse consubstantialem Deo, Deum secundum, et filium Dei. MICH. Ideam ipsam mundi ille dixit esse λογος et instar mundi filium Dei, ita eam sine capite considerans. At nobis filii ratio ad Christum refertur, qui est caput mundi. Zoroaster quoque patrem omniformis mundi dixit esse omniformem Deum, nihil de Christo cogitans, quem nec angeli tunc cognoscebant. Videtur dæmon ille Pimander vera docere voluisse, sed Christum ignorasse: aut quod de eo in verbo nouerat, callide occultare voluisse, deitatem verbi sibi tribuendo, vt eam angelus apud Moysen sibi tribuebat.

buebat. Alter Balaam erat Trimegistus, tam multa vere doctus, et tandem ad idololatriam illusus. Quando in plerisque locis ad Tatium, de imagine Dei loquitur, declarat, eam esse imaginem mundi omniformem. Sed rectius nos dicimus imaginem Christi, in qua totus mundus continebatur, sicut in anima tua continentur multarum rerum ideæ. Sapientia in ipso Deo formata, erat animæ sanctæ et sapientis omnia similitudo, non satis illis cognita. In sapientia erant rerum omnium exemplaria, eo modo, quo nunc sunt in anima Christi. Non sunt nunc in anima Christi, qualitates illæ, seu notitiæ creatæ, sed ipsæmet originales ideæ: et continet anima illa ipsammet et sapientiam Dei, sibi hypostatice unitam, cum indiuidua ipsa rerum omnium cognitione. Mundum Zoroaster et Trismegistus dixerunt, esse magnum Deum. Nos Christum dicimus esse magnum Deum, mundi dominum, et omnipotentem. In hoc a cognitione primi et veri exemplaris illi defecerunt, mundum ita præferendo, cum mundus sit propter hominem factus. Iesus Christus, factor mundi, fuit et est in Deo substantialiter, verius quam mundus, et per ipsum mundus secundario in Deo consistit. PET. Nolebat Pimander dæmon, tantam futuram hominis gloriam patefieri, malens ab homine adorari, quam hominem a se adorandum indicare. MICH. Admiranda plurima vera dixit, in paucis veritatem occultans. PET. Elementa naturæ esse dixit vitalibus feminibus exornata: quod et Augustinus confirmat, lib. 3. de trinit. MICH. Ex sacris literis idipsum ostenditur. PET. Quibus id rationibus? MICH. Eo ordine, quo nunc sunt rerum naturalium principia et elementa, erant iam in Deo præformata, ut vim aliis tribuerent. Post creationem quoque euidenter ostenditur ratio Deitatis elementis his communicatæ. In aëre deitas ita primo colligitur. Nam peculiari spirantis Dei ratione est aër ab aqua

elicetus genes. 1. In aëre est halitus diuinus, ob id-
 que dicitur aër ipse esse spiritus Dei. Ob id dicitur
 Deus spiritus esse, spiritu aëreo omnia viuificans.
 Ab eo aëris spiraculo excipitur anima. In eo aëris
 spiraculo, deitatis spiraculum habente, symbolo quo-
 dam adumbrabatur vera et substantialis deitas halitus
 Christi, quæ ab archetypo in omnia spirauit, omnia
 implens. Hoc primum in aëre Deitatis seminarium
 vmbram continens deitatis Christi ab aëre est postea
 in alias creaturas, cum luce diffusum et dissemina-
 tum. In ipsum per spiritum Dei aquas initio agitans
 viuificabat, vt illæ deinde irrigando germina viuifi-
 carent. Illud ipsum Deitatis symbolum ab aëre sumunt
 aquæ pluuiæ, a quibus deinde et luce viuificantur
 cuncta terræ nascentia, symbolum eiusdem viuificantis
 deitatis et lucis formam accipientia. Idipsum in re-
 rum feminibus continet proprietates varias, feminales
 rationes, et efficaces formarum similibus procreanda-
 rum vires, iuxta inditam a Christo lucentem Deitatis
 ideam. Nihil est in mundo, quod sine Deitatis et lu-
 cis Christi symbolo, vitam aut virtutem aliquam ha-
 beat. In ipso vita erat, et omnia per ipsum. Et sicut
 in ipso aliorum vita erat, ita in ipso aliorum virtus
 erat. Non solum eo Deitatis Christi symbolo omnia
 aquis viuificabantur, et germinabant, sed et maiorem
 aliarum aquarum viuificationem et Christi germinatio-
 nem adumbrabant, qui solus est exemplar germen,
 nos in seipso aquis regenerantibus germinare faciens,
 vt palmites in vite. Vetus ergo illa aëris, aquæ et
 aliarum rerum diuinitas, vmbra fuit. Christus ipse
 Deitatis suæ non symbolum vnum, sed symbola varia
 per spiritum et lucem rebus omnibus ab initio indi-
 dit, ac vitalia seminaria. Hæc ipsa a rebus aliis in alias
 varie disseminantur, et varias Deitatis proprietates in
 rebus omnibus inducunt, iuxta insitas ideas. Nun-
 quam potuit Aristoteles, ex folis quatuor qualitatibus
 primus,

primus, in specierum generationibus tam varios effectus concludere: nec post eum Galenus, ut fatetur, Platonem imitatus. Velint, nolint, idearum seu specierum proprietates fateri coguntur, vetustioribus admodum probatas, et rebus vniuersis insitas. Hinc dixit Thales, esse omnia plena deorum. Empedoclis dictum durius sonat, esse omnia in omnibus, potentialiter symbolo lucis, ideas rerum continentis, symbolo deitatis, quo dicitur esse Deus omnia in omnibus. Hæc erat ratio Empedoclis, Si in lapide est Deus, in Deo ipso lignum, in lapide est lignum. Ipse Deus, qui est in lapide lapis, est in ligno lignum, omnia suis ideis essentians. Idipsum cogitabant Democritus, Anaxagoras, et alii, dicentes, fuisse omnia simul, scilicet in Deo. Democritus exponebat, fuisse omnia simul potentia. Anaximandro erat omnium mistura, velut in chao confusio, ut tradiderunt Hesiodus et Aristophanes. Vere nulla erat in Deo confusio. Sed confusio aut mistio illa rerum initio fuisse ab eis dicitur, quando nondum erat facta corporum externa distributio, aut realis ordinatio. Ita id in Deo illi cogitabant, ut in mente hominis dicitur, simul esse multarum rerum chaos, cum ideæ simul sint. In materia quoque multarum formarum susceptibili dicebatur multarum rerum chaos potentiale, deitas ipsa. Potentia quædam corporibus inest, etiam in animam agendi, et animam producendi. PET. Verum existimo, corpus in animam agere, et animam in corpus, eo lucis et diuinitatis communi symbolo: cum item sit inter animam et corpus trium superiorum elementorum communio. MICH. Anima maxime secundum corpus afficitur. Animi mores corporis temperaturam sequuntur, ut peculiari libro docet Galenus. Per morbos corporis varie affligitur anima. In anima ipsa, et in forma quauis substantiali, est idea corporis: et in ea sunt feminina delineandi et contemperandi corporis. In corpore quoque sunt elementa et genimina quædam elicendæ, et producendæ animæ et substantialis formæ.

Nisi hæc vis, ac eliciendæ et producendæ animæ virtus elementis inesset, non dixisset Deus, Producant terra et aqua animalia. Terra, inquit Pimander, peperit animalia, quæ intus habuerat. Nam erat iam terra ab aquis irrigata et formam lucis adepta, atque ita diuinis vitalibus feminibus exornata. Hinc dixit Deus ad Cain, Cum colueris terram, non dabit tibi virtutem suam sibi insitam. Ex eo item spiritus et lucis symbolo sequitur, quod sicut in corporibus sunt variæ proprietates occultæ, ita in animis sunt cognitiones variæ, nemine doctore insitæ, omnia plena Deorum. PET. Si hæc corpora in animas agunt, multo magis in eas agent, et influent cælestia corpora, quæ multo magis sunt plena deorum, id est, diuinis proprietatibus imbuta, ministerio lucis eis principaliter ac perpetuo inhærentis. MICH. Ostendimus iam tam in corporalibus, quam in spiritualibus lucem obtinere principatum, et formalem efficaciam. Lux creata efficacissimum omnium habet deitatis symbolum, cuius ratione res omnes substantialiter format, corporalia et spiritualia transformat, in res omnes influit, et cuius rei peculiare ideæ suæ proprietates indit. Efficacissimum symbolum habet lucis increatæ, eius existens prima et pulchra imago, cuius ratione omnia Deo assimilantur, et pulchra sunt. Increatæ lucis instar est hæc lux creata ei insita, eam adumbrans, et sublimiorem aliam futuram Christi lucem præfigurans. Qua post finale iudicium palam lucente, abolebitur lux solis, et velut umbra transibit. Igitur hæc lux et eius diuinitas umbra est.

PET. Quid de igne? MICH. Ignea lux seu igneum lumen in hoc differt a solis puriori luce, quod aëreo splendori, seu fumo semper mixtum cohæret. Cum flamma aliud nihil sit, quam aër accensus, in igne idem quod in aëre colligitur Deitatis symbolum. Ignis præterea sublimiori ratione est in diuino aëre diuinior accensus, quasi nouus igneus a Deo superueniens

ueniens spiritus cælestem fecum lucem afferens, ac maiorem alium spiritus sancti ignem præfigurans, sicut ab illo archetypi igne datus est. Ignis præ aliis est viuens, reliqua omnia penetrat, semper in alia agit elementa, ea purificans, et in cælum erigens ob tenuitatem aëream, luci cælesti commixtam. Ignis est, qui cælestem lucem cum elementari materia coniungit, eam in cælum attollens. Ignis solum elementum est inuiolabile, alia omnia elementa innouat, semper in cælum tendit, et est quasi cæleste donum, ad hominis usum peculiariter datum: cunctis aliis animantibus non ita, ut homini, sit ignis ex usu. Merito itaque dicitur Deus ignis esse et spiritus esse: olim in umbra, nunc in veritate. Nunc vere in nobis accendit Deus ignem spiritus, quom elementaris hic ignis in umbra refert. PET. In omni tandem spiritu concludis umbram aliquam. MICH. Spiritum soni inuisibilis iam diximus umbram esse futuri visibilis, et lucidi spiritus. Spiritus seruitutis Iudæis olim datus, umbra erat huius noui spiritus regenerationis, qui est spiritus veræ filiationis. Ex superiore libro constat, Iudæos umbram quandam veri spiritus habuisse. Umbram quoque spiritus in creatione fuisse, ostenditur ex eo, quod spiritus Dei agitabat aquas. Tunc repleuit Deus orbem spiritu aëreo halitum Dei continente. Sicut spiritus Elohim est mundo tunc communicatus per externum flatum, ita nunc datus est nobis interne spiritus Christi per verum eius halitum, ut ille fuerit externa figura huius internæ veritatis. Vnde concludo, ut quæstioni tuæ de umbra priore iam satisfaciam, et Deum ipsum, et verbum eius, et spiritum eius, et lucem eius, et angelos eius mysteria Christi adumbrassee: Cælestia et terrestria Christum adumbrarunt. In hominibus et aliis creaturis Christus adumbrabatur. Si ab Adamo, Abel, Enoch, et Noë per omnes patriarchas, reges, sacerdotes et prophetas transeas, in eis Christi umbram inuenies.

Non solum erat umbra in patrum personis, sed et in eorum munere, ut pastor, agricola, vinitor, umbra erat veri pastoris Christi, veri agricolæ, et vinitoris. In ipsis terræ fructibus, animalibus, lapidibus margaritis, metallis, thesauris, fontibus, fluminibus, puteis, pluuiis, nubibus, tonitruis, fulguribus, et ventis, mysterium Christi figurabatur. In cibo Paradisi, in manna, in virga Aaron, in ligneo tabernaculo, in æneo serpente, in arca fœderis, in aureis, argenteis et aliis vasis, in lapide aquas producente, in lapideo templo, in lapide angulari, in leone, aquila, turture, columba, vitulo, agno, et reliquis omnibus, Christus adumbrabatur. Ea omnia Christum adumbrabant, et in Christo omnia continebantur. Ipse est omnium principium et finis, in eo est omnium specimen, omnium idea, et omnium plenitudo: Nullos usus præstant nobis mineralia, animalia, vel plantæ, in cibo, potu, medicamento, corporis ornamento, vel sensuum delectatione, quin illi sint in Christo adumbrati, et eos solus ipse præstet. In interno homine hæc postea videbis. Post finalem quoque resurrectionem lux verbi eius ea omnia commoda nobis præstabit. Ipse est nouo homini vestimentum, cibus et potus, umbraculum ab æstu et tempestate, propugnaculum, turris fortissima: olim in umbra, nunc in veritate.

Adde, ut hæc umbræ ratio fortius comprobetur, cultum omnem, et adorationem Dei, umbram fuisse. Cultus totius legis erat carnalis, spirituales alium præfigurans, qui per Christum est verus cultus et adoratio Dei vera. Nunquam fuit in lege Deus vere adoratus, nec vere manifestatus. Sicut extra Christum videri non potest Deus, ita nec adorari. Comprobat hoc ipse Christus Ioan. 4. dicens. Nunc primum esse tempus, quo Deus in veritate adoretur. Olim non in veritate, sed in umbra adorabatur Deus, adoratis angelis Christum adumbrantibus.

In um

In vmbra adorabatur in lapideo templo, et ligneo tabernaculo, vbi gloriæ domini caligo apparebat. Nunc autem, cum templum Dei sit ipse Christus, ibi oportet adorare, et spiritali adoratione, sicut interne videtur et habitat Christus in nobis. Quicunque extra Christum venantur Dei visionem, aut adorationem, more Iudæorum Sarracenorum, et Paganorum adorant, vt faciant Christum nobis ociofum. Ita oportet Deum adorare, et cognoscere, vt se ille manifestare voluit, Ego Deum in solo Christo videri, et adorari affirmo. Et generaliter omnem viam perueniendi ad Deum in Christo esse dico, sicut ille se esse viam testatus est. Qui adorat me, adorat patrem. Nunc est tempus, id est, per me id mundo datur, vt veri adoratores adorent in me patrem spiritu et veritate. Hoc vellem cogitares, quod Christus in Thoma et Philippo damnauit, omnem sollicitudinem inquirendi Deum per alias vias, visiones, et cogitationes. Sed vt ipsum respiciamus, omnino vult, et se ita adorandum exhibet. Argumenta ista de visione ad adorationem valida sunt. Nam adoratio visionem præsupponit. Qui adorat me, adorat patrem: sicut qui videt me, videt patrem. Videri debet in spiritu, quod spiritu adoratur. Videndum vbi adoretur et quomodo adoretur. Alioqui etiam nunc recte nobis dicit Christus, Vos adoratis quod nescitis. Visio Dei olim vmbra fuit, sicut adoratio. Facies illa, quam vidit Moses, vmbra erat Christi. Vidit angelum, qui Christum adumbrabat. Fidem Dei, et Christi in vmbra illi omnes habuerunt. Abraham, quando credidit Deo, in vmbra quadam credidit Christo. Ille, cui credidit, Christum adumbrabat, et in vmbra quadam futurum Christum ipse vidit. Angelum re ipsa videbat et in eo relucetiam futuri Christi, cum esset in forma hominis angelus lucem verbi indutus: quæ lux erat λογος, ratio, referens Christum. PET. Sunt ne in hominis forma creati angeli, qui
futuri

futuri erant hominis ministri? et quando creati sunt? MICH. Deus per verbum suum creans mundum, per spiritum suum ministros sibi simul parat, genes. 2. psal. 32. Iob. 26. et 38. Substantia ipsa angelorum similitudine quadam est de substantia illa, quæ erat verbi et spiritus substantia lucida elementaris, seu elementaris huius archetypa. De substantia ipsa spiritus Christi, quodam spirationis defluxu, emanavit angelorum substantia, et animarum. Sicut Deus ignis est, et Deus spiritus est, ita flatus suos et igneas flammæ facit angelos suos, psal. 103. Substantia ergo angeli, cum sit ignea et spiritualis, quasuis formas facile potest accipere. Peculiari vero ratione esse in hominis idea angelos creatos, hinc ostenditur, quia ab illa hominis Christi idea, et substantia est delibata angelorum substantia, sicut et animarum in eadem idea. Tum quia angelis loquens dixit Deus, Faciamus hominem ad formam et figuram nostram: quasi iam in angelis esset talis forma, figura et imago. Tertio, quia videntes olim Deum, videbant angelum in idea hominis, angelum facie ad faciem, ut ait Gedeon. Quarto, quia facies Stephani dicitur quasi facies angeli. Quinto, quia angelus futurus erat hominis minister, ita ei in omnibus melius accommodus. Sexto, quia eam formam habet anima, quæ est fere sicut angelus. Septimo quia est ea omnium idearum, figurarum, et formarum perfectissima, etiam quæ in angelica luce formentur, quam sibi et suis Deus elegit. Excellentissima huius figuræ, et singularem partium munera, lege apud Galenum, in libris de usu partium humani corporis. Longe vero excellentiora et excellentissimorum excellentissima, erunt ea munera, post resurrectionem etiam angelis ipsis desiderata, cum sint nunc omnia velut umbra futurorum. Angelorum ministerium esse propter hominem, vel hinc ostenditur, quod in homine cæpit, quando dixit Deus, Faciamus hominem.

Antea

Antea enim non fuerat ad angelos loquutus, quam ipsi ut ministri, eius iussa semper expectarent, in singularum rerum creatione iubilantes, ut ait Iob. Ad hominis autem creationem angelos accersuit Deus, non ut authores, sed significans, eorum ministerium figmento illi fore opus. Chara adeo illi res præ angelis est homo, propter Christum filium suum, verum in Deo hominem, ad cuius imaginem factus est homo, veræ Christi substantiæ, corporalis et spiritualis, factus particeps præ angelis. Ob id ipsum sunt angeli, quasi hominis pædagogi et ministri dati. Multo excellentius est artificium in compositione hominis, quam angeli, et maior futura hominis gloria, quam angeli. Quia futurum erat, ut angeli hominem adorarent, sicut scriptum est, Et adorent eum omnes angeli Dei: ideo ab initio angeli boni hominem, ut rem Deo pretiosam, observabant et amabant, creatoris voluntati se conformantes. Angeli vero nequam, superbi, nostræ dignitatis invidia sunt commoti. Aëgre ferebant, esse terreum hominem præ illis a verbo in sublime assumendum, et ab ipsis adorandum: cum ipsi potius data pulcritudine elati, super omnia ascendere, æquales esse Deo, et altissimo similes vellent: ut est homo factus æqualis Deo, et altissimo similis. Graue admodum illis erat, imbecillum hominem terreum æthereo angelo prælatum iri. Videbant iam non angelo, sed homini esse ibi in alias creaturas datam potestatem, et angelum esse factum hominis ministrum. Ob quam rem quasi opera Dei insimulantes, caute insidiari et ambire cæperunt, ut nos opprimendo præcellerent. Tunc per serpentem mulier primo seducitur, per quam iterum tanquam per diaboli instrumentum seducitur homo, et fit dæmoni subditus. Omne malorum genus in hominem irrepsit, ob diaboli invidiam, superbiam, iracundiam et concupiscentiam: quæ omnia sui stigmata in nobis malus dæmon imprimit, et pleraque alia, ex occasione carnis indu

inducta, Ob id etiam dæmon grauius iam nunc torquetur, et grauius postea igne torquebitur. PET. Peccatum ergo angeli fuit creato iam homine. MICH. Sexto die vidit Deus omnia, quæ fecerat, et erant valde bona, Septimo fuit sanctificata quies, Octauo die seu hebdomadæ initio fuit consummatum peccatum, sicut hebdomadæ initio per resurrectionem fuit ad cælestia restitutio. Ob positum in paradiso hominem est dæmon ad impatientiam valde commotus, septimo die coactus quiescens, octauo eum occidit. Ob id postea, signo redemptionis, est circumcisione factus memorabilis dies octauus, sicut quiete septimus. Die, quo natus est primus homo, est mortuus secundus: et die, quo mortuus est primus, reuixit secundus. PET. An boni vel mali angeli possint crescere vel decrescere? MICH. Quia a gratia semel exciderunt, ad priorem ordinem nunquam redibunt. Nihilominus in eo statu augetur vel minuitur eorum pœna. Videmus diluuium auctam malorum angelorum pœnam, ad abyssi carcerem. Alii sunt aliis nequiores, vt ait Christus. Deiectus a Christo satan, adhuc est de cælo nunc deiiciendus. Nam adhuc inter cælestes versatur, et cælestia occupat. Quanto plus officit nobis dæmon, et plures suæ ditioni subiicit, tanto plus torquetur et torquebitur. In tyrannis et auaris est typus qui quanto plura occupant, tanto plus torquentur, laborant, et sibi maiorem damnationem parant. Ita se habet Dæmonum in homines imperium: ita sunt hominum odio excæcati, et nobis imperandi ambitione ducti. Malus præterea dæmon efficit, vt bonus quoque angelus homini ob peccatum aduersetur. Nam per bonum angelum ministrum quasi ab irato parente, pellitur homo ab horto deliciarum. Collocatur ibi cherub cum flammeo gladio, ne liceat aliis faciem illam Elohim ita videre, vt eam in Angelo viderat Adam. Visio Adæ umbra fuit. Christus ipse, si Adam non peccasset, erat postea ipsi et suis citra mortem gloriose manifestandus, cum ad id esset iam verbum apud Deum. Per

Christum

Christum erat secundo ipsi Adæ danda arbor scientiæ boni et mali prius vetita. Et per ipsum tunc clarius vidisset Adam Deum, quam antea per angelum. Admirabilis Deus. Totam suam Christo tribuere voluit manifestationem et gloriam. Angelos vero permisit, et in vmbra Christi, vt Christi postea supra angelos gloria dignosceretur. PET. Angelorum et animarum materialis est substantia et diuisibilis. MICH. Materialis dici potest substantia, quæ ab alia penetratur, et aliam intus suscipit. Talem prisci docuerunt esse angelorum et animarum substantiam, ad cuius diuisionem penetrat lux Dei. Penetrat item anima aliunde quam a luce dei, et in se luminosas varias formas suscipit, velut materia quædam. Animæ separatae similem nobis formam retinent, substantialiter enim conformantur ipsi figuræ hominis. Non solum diuisibilis est animæ substantia, sed in ea diuisione dolet, vt experimur. Quanquam omnia diuisa, in seipsam mox coëat, instar aëris diuisi, Separatas animas ita dolere, lacerari, et pœna sensus varie torqueri, docent sacræ literæ. Omnia sunt diuisibilia, excepto Deo, cuius lux ad omnium diuisionem pertingit, et omnia penetrat, vt ait apostolus. Hæc sunt verba Philonis, quibus materialem esse angelorum et animarum substantiam docet in libro de mundo, Animæ forma elementis non iisdem ficta est, quibus cætera: puriorem sortita est ipsa materiam, ex qua constant angelicæ naturæ. Hæc item sunt verba Clementis Alexandrini, libro quinto Stromatum, Aiunt Stoici, Deum esse corpus et spiritum essentia, sicut animam et angelum, quæ omnia aperte tu inuenies in nostris scripturis. Quod illi de Deo, nos intelligimus de sapientia, in Deo ipso creata, siue formata: sicut angelos intelligimus, quos Plato vocat viros ignitos. Angeli igitur et animæ non male priscis dicuntur esse spiritalia corpora, substantiæ cuiusdam tenuissimæ velut incorporeæ. PET. Pascuntur illi cibo aliquo? MICH. Non ita, vt nos. Cibo deitatis inuisibili pascuntur. Cibus ille eos intus penetrat, et diuisionem quodammodo facit. Est enim ad corporum nostrorum cibum analogia: eo magis, quia cibo eodem corpora nostra post resurrectionem pascentur. Non
desunt

defunt separatis animis gustus, auditus, et alia. Esse superis cibum aliquem, scripturae docent, et oracula vetustissima. Quod et nos concedimus, si cibum dicamus refectionem. Aëre reficitur anima. Aëream daemonum substantiam proditum est refici suffumigationibus, spiritum spiritu refici. In arentibus et squalidis locis non habet requiem daemon, ut ait Christus, sed in humidis, ut in porcis, et hominibus, porcorum vitam degentibus. Humores singulos in nobis consequuntur adfectiones quaedam pravae, ob id humores illos appetit daemon. Sanguinis hostiarum est gulofus, illiusque nidoris avidus. Id esse materialis daemonis pabulum, a maioribus retulerunt Athenagoras, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius, et plerique alii. Si nihil omnino ille comederet, non esset a Deo damnatus ad terram comedendam. Grauis est poena aëreo et leui corpori, cibus terreus et ponderosus. Cum sit damnatus a Deo ad terram comedendam, humidam potius amat, non aridam. Suffumigationibus item curavit, terram sibi vescendam, in aëthera resolui. Eodem actu impostor ille se ut Deum coli facit, et suae infirmitati consultit. Cogitur enim. Non ut nutriatur; sed quia indignus fuit priore diuinitatis cibo, est hoc ei in poenam datum, quia terreum hominem fefellit, velut terrae gloriae invidus, ob id etiam super terram repere iussus. Non proprie dicitur daemon terram ut alimentum comedere, sed quodammodo vorare, consumere, et circum eam labore confici. Instar ignis et materiae vorax daemon, ob id ignea diligens sacrificia. Nihil prohibet substantiam daemonis hac elementari vel torqueri, vel refici, arida torqueri, humida refici: ut lucem hanc odit, et tenebras amat. Suffumigationibus et sanguinibus quodammodo pasci daemones, probatum fuit apud omnes magiae fundamenta docentes. Imo ea ratione sibi iussit Deus offerri sanguines, fieri ignita sacrificia, et varios suffitus, ut ab Aegyptiorum magia et idololatria suos diuerteret. Bonis quoque

quoque angelis gratum esse holocausti et incensi nidorem, ac suauem odorem, testatur scriptura. Deo tamen, non sibi, offerri monebant, vt Iudicum 6. et 13. Ipsimet dæmones sapius vera fateri coacti sunt, se esse corpora diuisibilia, ac cibis aliquo modo foueri. Id ita ipsorum oracula docent, id post Pherecydem refert Plutarchus, Marcus apud Psellum, Porphyrius, Proclus, Chalcidius, et alii. Ex Hebræis id ipsum post Iosephum, et Philonem affirmat rabbi Abraham, in Fasciculo myrrhæ. Ex nostris quoque Theologis, post iam citatos et Augustinus et Basilius magnus corpus quoddam spirituale angelos habere docent. PET. De animarum origine non nihil desidero. Nam videris facere animas angelis antiquiores. MICH. Animæ substantiam dixi esse spiraculum, ex ætherea a Deo inspirata, et hac elementari substantia, simul in vnum conflatum: et tunc eam incipere, quando in præparatum corpus a Deo inspiratur. Eam ipsam dixi esse purioris sanguinis, lucidum vaporem, simul elementarem et æthereum: et elementarem simul aqueum, aëreum et igneum. Huic sententiæ subscribit Hipparchus, Democritus, et Leucippus, qui igneam animam esse dixerunt: Anaximenes et Diogenes, qui aëream, Hippon qui aqueam, et Critias qui sanguineam. Subscribent Empedocles et Plato, qui ex omnibus elementis eam constare censent: Pythagoras et Philolaus, qui aiunt esse compositam harmoniam. Subscribet Alcmeon dicens esse substantiam ætheream, Critolaus quintam essentiam, Posidonius ideam. Heraclitus physicus astrorum scintillam, Heraclitus alter Ponticus lucem. Subscribent quoque, qui ex traduce esse animam dixerunt: et alii, qui ex Deo. Est vere anima ea omnia. Est substantia ætherea, ab archetypo Christi delibata, elementaris substantiæ symbolum habens, sicut est in ea symbolum spiritus et lucis Dei. Illud substantiale spiraculum, quod creatum dicitur, et cum ipsa

deitate immisſum eſt, ſpiritualis quædam lux, ideam diuinam referens, ipſi Deo inſita, a quo ſpirata illuſtratur et iterum noua ſpiratione, in vnâ cum eô lucem ſubſtantialiter coit per ſpiritum ſanctum. PET. In concordiam hic facile redeunt Democritus et Anaxagoras, ab Ariſtotele citati. MICH. Primus animam et mentem idem ſimpliciter in homine eſſe putabat, Alter diuerſa eſſe cenſebat, animaleſ animas, et mentem intellectualem. Mens prima eſt Deus, cuius eſt innata nobis proprietas, ob quam et animam ipſa rationalis mens dicitur. Vt res quoque diſtinctâ, animæ ſuperuenit noua mens, ſpiritus nouus, vnum cum ea ſubſtantialiter faciens. Paulus mentem diſcernit a ſpiritu, mentem vocans ipſam communem intelligentiam et ſpiritum impetu ſuper additum. 1. Cor. 14. Quoquo modo mens eſt anima ipſa, et mens eſt veluti pars animæ. Spiritus eſt anima, et ſpiritus eſt veluti pars animæ. PET. Qualiter nos eramus in Chriſto ante angelos? MICH. In ſpiritu regenerationis æterno. Qui regeniti ſunt, erant ante angelos dignitate et Chriſti propoſito dono. Quamuis reali creatione ſecundum tempus, præcedant angeli, eſt tamen ſubſtantialis quædam in nobis dignitas, quæ præcedebat, quæ nos ante tempus, et ſine principio, eramus in Chriſto. Omnia creata erant antea in Deo ſimplici ratione ſolius ideæ. At ſpiritus ipſi electorum erant aliter, in propria ſubſtantia, in proprio halitu, per modum alium, in ſede illa Chriſti. Quanquam in angelis bonis fit donum deitatis, ſicut in nobis, eſt tamen diſcrimen aliquod. Cum vniuerſitate creati ſunt angeli, animæ peculiari ratione et ſeorſim ſunt a Deo ſpiratæ, quæ res argumentum facit, eſſe animas præſtantioreſ. Quod et ex ſuperadditis excellentioribus donis probatur, vt nos efficiamur fratres Chriſti, cohæredes, et conregnantes. Item, quia propter nos tam multa, et tam inſignia facit Deus, non propter angelos: imo omnia propter nos fecit et angelos ipſos. Spiritus regenitorum ſunt Deo conſubſtantiales et coæterni

terni. Hinc dicebamus sanctos de cælo descendisse; quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Per spiritum viuificantem ipsi e cælo descenderunt per eundem in cælo assumpti. Descenderunt, qui iam antea erant in cælo. Ciuitas ipsa descendit de cælo, et a Deo ipso, apoc. 3. et Heb. 12. Si scintillam illam spiritus, huic in regeneratione datam, credis esse veram Dei substantiam, credere debes, eam ipsam esse illi ab æterno constitutam, mensura tali de plenitudine Christi ab æterno sumpta. Non enim mutatur Deus, eam nunc ex seipso decidens: sed hic mutatur, cum ad eam assumitur ad sedem sibi paratam ascendens. Quot millia erant electi, tot millia erant spiritus, eis præparati, et tot sedes. PET. Solam vnā Christi substantiam in Deo fuisse dixisti, et nunc plures in eo spiritus ponis. MICH. Vnus est spiritus Christi sanctus, æternus, multorum spirituum substantias et mensuras continens. Cum spiritu tuo in die regenerationis tuæ vnum nouum in te spiritum facit, cum isto vnum, et iterum cum illo vnum. Spiritus electorum Dei inter se sunt distincti, et sunt vnus spiritus in Deo. Spiritus est vnus et multiplex, varias habet dispensationis mensuras, et adiuncta habet quædam in nobis vere deuisa. Quodam modo nobis deiditur pars quædam spiritus Christi, et nouus in nobis creatur spiritus, noua creatura. Sicut spiritus ipsi e Christi essentialē habet halitum incorruptibilem, ita quando nobis communicatur, ipsum nostrum spiritum ad suam incorruptibilitatem intus innouat. Non enim corruptibilem substantiam amplius induit spiritus Christi resuscitati, Hic est spiritus gratiæ et veritatis, cuius erat vmbra in innato illo Adæ halitu: vt etiam veterem animam vmbra dicamus, et eius deitatem fuisse vmbra nouæ spiritus deitatis. Halitus ille ipsius animalis Adæ animæ, est quasi vapor et fumus sublimioris ignis, alium adhuc ignem desiderans. In vmbra quadam est halitus ille homini datus, in lumine

diminuto et abscondito, sublimiorem alium in homine futurum ac lucidiorem spiritum præfigurans. In fumo est latens ignis proprietas, et in eo facile clarior ignis accenditur, sicut in anima nostra per Dei flatum accenditur. Alioqui est anima ipsa vapor admodum fragilis, in ambientem ita exhalans, ut post mortem sit umbra viventis, non res vere viuens. PET. Hinc viventium animas post mortem umbras eorum vocauit antiquitas, sicut et umbra mortis sacris litteris dicitur. MICH. Umbræ illæ post mortem dicuntur, tum quia vitali facultate priuatæ, tum quia umbræ quædam sunt viventium spectra. Has umbras iustitiæ rationem habens antiquitas, credidit ita sine corpore iudicandas, resurrectionem corporum per Christum futuram nesciens. Hinc fabulosa multa de animarum pœnis tradiderunt Pythagorici. Sed condonari hoc illis potest, qui nec resurrectionem corporum, nec rationem futuri iudicii, scire potuerunt. Hinc quoque separatarum animarum esse perfectissimum statum, ex Socrate sibi persuadent Platonici: in quo errore plerique hodie versantur. Quod vero animarum extra corpus sit innaturalis status, hæc sola ratio conuincit, quod corpus naturaliter amant, et ab ipsa corporis substantia essentialiter aliquid accipiunt. Corpori sunt animæ naturaliter et originaliter insitæ et in idea corporis formatæ, nunquam amplius a corpore separandæ, si Adam non peccasset. Vitali calore in corpore fouetur anima, et priuari recusat. Separationem illam licet ad tempus fieri nos sciamus, ad insignem repurgationem cum magno tamen animi mærore fit. Quin et anima ipsa Christi ob separationem a corpore naturaliter tristabatur quanquam breui se immortalis et glorioso corpori restituendam sciret. Hinc quoque animæ interfectorum, quasi iacturam passæ conqueruntur. apoc. 6. Ad Cain dixit Deus, esse vocem sanguinis, genes. 4. quia anima, in sanguine existens, se spoliatam

liatam conquerebatur. Denique si perfectior cum corpore est futurus post resurrectionem status, iam sequitur, non esse separatæ animæ statum perfectissimum. Sed vt ad vmbra redeamus, in ea animæ vmbra sermonem de vmbri latius comprobabis, si Deum ipsum, verbum eius, spiritum eius, lucem eius, angelos eius, animas, homines, animalia, cælum, luminaria, stellas, elementa, et alias creaturas, in vmbra quadam mysteria Christi præfigurasse concludas. Non solum res ipsæ, sed actiones, vt creatio illa prima, spiratio animæ, sabbati sanctificatio, paradisi constructio, circuncisio, sacrificii oblatio, regni et sacerdotii constitutio, et reliqua omnia vmbrae erant. PET. Est ne animarum post mortem sensus aliquis? MICH. Separatæ animæ sunt naturali priuatione factæ imbecilliores, vt quasi leues vmbrae a genis agantur, ex seipsis vix quicquam valentes; et dicuntur dormire, quæ sunt in quiete. Est tamen sensus et vox. Lucæ 16. Esa. 14. et Ezech. 32. sicut vox animarum interfectorum clamat ad Deum genes. 3. apoc. 6. et 20. Sensus corporeos, ait Pimander, vt partes animæ, in suos fontes refluere. Vnde fit, vt separatæ animæ dolorem sensus patiantur, dicto cap. 16. PET. Si in anima Christi separata erat hypostatice spiritus sanctus, sicut verbum, et in carne quoque de spiritu sancto genita: quare non dicimus spiritum sanctum incarnatum, sicut verbum incarnatum? Quare non dicimus spiritum sanctum filium, sicut verbum filium, cum in spiritu sit idea filii, sicut in verbo? MICH. Ea res pulcre docet, non esse inter verbum et spiritum, realem differentiam, sed in manifestationis et communicationis modo. Euidenter insuper docet, verbum non dici realem filium, sed personalem. In verbo est idea filii, in spiritu electorum est nunc idea filii, in carne est idea filii, in anima est idea filii, in forma substantiali est idea filii, sed idea totius in terrea materia cuiusvis hominis est idea filii, seu totius imago, similiter in

reliqua trium elementorum substantia. At non propterea dicimus, tot in vno filio esse filios. Sed totum ipsum dicimus esse vnicum filium. Quod verbum potius, quam spiritus diceretur olim filius, ex modo fumitur differentia. Nam verbum olim apparebat in persona, et figura futuri filii, et spiritus occulte agebat. Ideo vero ibi potius dicimus filium: verbum item incarnatum, potius quam spiritum sanctum, cum spiritus magis ad animam referatur. Est tamen vere spiritus humanatus. Nos ipsi toti dicimur facti filii Dei, non dicitur spiritus noster esse filius Dei, et tamen in spiritu est ea filiationis ratio, *υιοθεσία*. Totus ita Christus ipse dicitur realiter filius Dei, non Deitas eius, nec verbi, nec spiritus, licet esset olim in verbo idea filii, visibilis persona filii. Hanc accipe similitudinem, ut intelligas, ideam illam non fuisse olim realem filium, sed exemplar filii. Idea ipsa huius hominis Salomonis est in anima, est in cadauere, in forma substantiali, et in materia. Est vna idea diuina, materiam ita constituens et formam, et animam, in esse vno. Idea hæc erat sub certa forma et substantia in femine Daudis, iuxta iam relatum Deitatis, et lucis, et elementorum seminarium symbolum. At non propterea dicimus, ideam illam in femine Daudis fuisse filium Daudis: sed totum ipsum hominem Salomonem dicimus filium Daudis, qui in lucis ideæ seminario quodam, et elementari substantia erat antea in femine Daudis. Verissima est hæc analogia. Argumento ab effectis ad causam concludimus, Christum ipsum totum esse verum filium Dei, qui substantiali et formali modo erat antea in Deo. Christus erat in Deo, in essentiali ac formali lucis principe idea, in substantia verbi superelementari, feminis humani vim totam continente. Christus ipse rerum omnium artifex, quandam suæ generationis imaginem in aliorum generationibus impressit. Nulla de Christo potest difficultas oriri, quam hac similitudine non diluas. Scripturæ omnes nos ita familiariter docent, hunc hominem esse
filium

filium Dei: ab ipsis creaturis ita cognoscitur ipse creator, ut sit miseranda nostrorum mathematicorum cæcitas circa inuisibilem punctorum realem distinctionem. De anima igitur Christi hoc dicendum, quod erat similis naturæ, continebat ideam filii cum ipsa verbi et spiritus deitate, erat substantialiter una anima, sicut Christus est unum cum Deo. Anima Christi ad inferos descendens essentialiter, et substantialiter in se continebat hypostasim verbi et spiritus, sicut caro in sepulchro remanens: ibi potius spiritali modo, hoc corporali. Animam Christi simili nobis vita vivebat et in ea erat fons omnis vitæ, psal. 35. Humanam animam nostris similem in eum spirans Deus, totam simul æternitatis omnis deitatem inspiravit sine mensura. Postea quoque spiritum sanctum in eum, sicut in nos superuenientem spirans Deus, totam denuo deitatem dispensatione alia spiravit, ac eius priorem spiritum in resurrectione innouavit, dato nouo spiritu quem datus in Iordane spiritus adumbrabat. Vnde collige, (ut ad umbras redeam) non solum veterem Iudæorum spiritum adumbrasse nouum, sed et ipsum priorem Christi spiritum adumbrasse alium in se futurum sublimioris gloriæ spiritum. Spiraculum item illud vitalis eius animæ aliam adhuc Dei gloriam præfigurans desiderabat, sicut Dauidis anima eius typo desiderat et sitit psal. 41. et 62. Spiritus quoque filiorum Dei, qui est Deus, futuram aliam in nobis Christi gloriam desiderat, sitit et ingemiscit. Rom. 8. et 2. Cor. 5. et quasi alterius rei umbra, eam nunc in speculi ænigmate refert, 1. Cor. 13. et 2. Cor. 3. Ecce quanta sit mysteriorum Christi præfiguratio. PET. Umbræ ratio illa non impedit quo minus anima Christi dicatur Deus. MICH. Anima Christi est Deus, caro Christi est Deus, sicut spiritus Christi est Deus, et sicut Christus est Deus. In Christo est anima similis nostræ, et in ea ipsa est essentialiter Deus. In Christo est vitalis spiritus similis nostro, et in eo ipso est essentialiter Deus. In Christo est caro similis nostræ, et in ea ipsa est essentialiter Deus. Anima Christi est ab

æterno, spiritus Christi est ab æterno, caro Christi est ab æterno, in propria deitatis substantia. Anima Christi in propria diuinitatis essentia, totam mundi animationem ab æternò spirat, et ab ea est symbolum deitatis in anima nostra. Nullibi nisi a Christo datus, inuenitur spiritus sanctus: alioqui extra Christum esset vita, et non omnia per ipsum viuificarentur. In eo solo est omnis fons, et tota deitas: corporis, et animæ, et spiritus deitas substantialis. Caro eius est de substantia Dei genita, habens essentiam Deitatis, substantialem formam lucis Dei. Anima eius essentiallem animationem ab æterno continet, a qua aliæ animæ spirabantur, cum ipsius symbolo quodam. In eo item est nouus gloriæ spiritus, a quo noui hominis spiritus halitu inspiratur in regeneratione, spiritum hominis incorruptibilem, cælestem, et diuinum faciens, multo sublimius, quam per primam animæ inspirationem factum est. Nam prima illa anima nostra non erat Deus. Superueniens autem spiritus Christi, qui est Deus, eam Deum esse facit, Deo arctius coniungit peculiari ratione vnum cum Deo, a mortalitate et feruitute liberans. Auferri quodammodo ab anima potest illud deitatis symbolum. Impiorum animæ iudicio Dei in horrendas tenebras cum corporibus missæ, ipsa Dei luce, symbolo eius, et proprietate nudabuntur, sicut ait Christus, Etiam quod habent, auferetur ab eis Matth. 25. et Lucæ 19. In nobis autem, qui datum seruamus, abundantius datur et dabitur. Sicut spiritu nos ad incorruptibilitatem nunc regenerat et transformat Christus, vt incorruptibilis spiritus in dies augeatur, et integer post corporalem mortem in ipso Christo seruetur: ita in futuro seculo, substantia deitatis, quæ secundum corpus quoque in Christo solo est naturalis, ab eo in nos radiabit, suæ deitatis et lucis communicatione transformans et glorificans corpora nostra, Philip. 3. Atque ita semper ab eo, vt riui a fonte, et membra
a capite

a capite pendebimus,, vt nunc et ab æterno pendemus. PET. Hinc colligitur ratio differentiae, quare patres dicebantur olim mori: nos autem Christo resuscitato infitos, nunquam amplius mori, sed æternam vitam iam cum eo viuere, vt multis locis apud Ioannem docet ipse Christus. MICH. Quanquam in patribus fidelibus fuerit spes vitæ non tamen ita regnabant illi cum Christo sicut nos, cælesti regno immortalis, per Christum in terras delato. Patres illi non habuerunt participationem incorruptibilis totius Christi substantiæ, sicut nos. Animæ ipsius elementa diximus corruptibilia, et ob id eam in ambientem diffusi, substantia sua quasi nudatam: ac deinde cacodæmoni, quodammodo subditam ob Adæ peccatum, in inferna trahi, quasi nunquam amplius corpori quod corruerat restituendam. Eo magis, quia polluta caro, ob id mortua, nunquam amplius est talis victura. Magna igitur gratia et misericordia opus est, vt ea omnia quis ad vitam innouet, et carnem repurget, cum talis in Deo viuere non possit. Ea vero omnia gratis præstitit Christus per mortem et resurrectionem suam, spiritum mox in morte viuificans, et carnem in resurrectione glorificans. PET. Aiunt quidam animam Christi post mortem, cum ipsis dæmonibus in inferno pugnando passam esse mirabiles angustias. MICH. Omnes angustias morte consummauit Christus. Nec ad inferos descendit, ibi denuo passurus, nec deterior fuit Lazaro, cuius anima est cum solatio ab angelis ducta in sinum Abrahæ. Semper animæ Christi virtus dæmones superauit, eos affligens, lædens et maxime terrens. Quædam dicitur Christus pati, quæ in suis membris patitur, ad quem modum a Paulo ipse persecutionem patiebatur. Adde quod anima latronis eo ipso mortis die posita est in paradiso, gloriæ animæ Christi particeps: ergo iam erat in anima paradifus. Anima Christi post mortem, iam

spiritu Dei mire viuificata, cum gloria et potentia descendit ad inferos, vt pias animas inde liberaret. Corpus quoque ipsum deinde resurgens, in cælum euexit, cum omni gloriæ et potentiae consummatione. PET. Ordine simili duo hæc in nobis mysteria complentur. MICH. Spiritu nos prius, quam corpore, viuificat et glorificat Christus. Corpore glorificabit in finali resurrectione. Spiritu nos hic glorificat, quando mortis suæ symbolo in baptismo resurgimus. Spiritum item prius quam corpus suum nobis hic communicat Christus, sicut prior est nobis baptismus, quam cæna. In Christi baptismo nobis datur eius integer spiritus, sicut in cæna datur integra caro. Dantur nobis qualia Christus in cælo nunc habet, incorruptibilia spiritus elementa, quando ex aqua spiritu et igne, per potentiam resurrectionis Christi, vere et incorruptibiliter regeneramur. Per hunc nouum spiritum ipsa anima nostra veram immortalitatem nanciscitur, immortalis illius gloriæ gustum, et vnus cum Deo spiritus efficitur. Vera hæc sunt, non imaginaria, sicut vera res est, quod Christus resuscitatus in nobis est. Adiungitur nouo spiritui in cæna domini ipsa incorruptibilis Christi caro, quæ interni incorruptibilis hominis est incorruptibilis cibus. Vnde colligitur internus noster homo ex carne et ossibus Christi, ac eius et nostro spiritu in vnum compactus, vt ita vita nostra sit in Christo abscondita, et internus noster homo incorruptibilis et immortalis. Hac ratione non solum dicitur interni nostri hominis nulla esse mors, sed et totius huius hominis non dicitur esse mors, sed quies et dormitio quædam, viuo semper et integro interno homine manente, viuo et integro cum sua anima spiritu in manus Dei commendato et deposito, toto integro restituendo. Non in ambientem morte illo resoluitur, nec cacodæmoni traditur, sed in Christo absconditus, vt in hominis vita erat, integer seruatur: in paradiso ipso, et regno cælorum cum Christo semper regnans. Ad hunc modum nos in Christo vere viuimus, æternam vitam iam
viui

viuimus et uiuit Christus in nobis. Eorum, qui in Christo vixerunt, animæ separatae iam cum ipso regnant, reliquis in inferno detentis, vt docet Ioannes apoc. 20. PET. In inferno detentis animis contulit ne aliquid Christi ad inferos descensus? MICH. Satanæ confregit, in-^{arma}ferni vincula soluit, ac eius dolores in plerisque leniuit. Resurgendi spem omnibus dedit ipse resurgens et plerisque secum resuscitans. PET. Quales erant inferni dolores? et qualiter eos immutauit Christus? MICH. Non ita, vt torquendæ sunt, torquebantur tunc, nec torquentur nunc animæ, nec dæmones ipsi; sed paratus est ignis diabolo et angelis eius, vt ait Christus. Inferni dolores erant ex priuatione vitæ: quos ob id vocat Petrus dolores mortis acto. 2. et Dauid psal. 17. Est multiplex dolor, seu multi dolores, qui ob id dolores ibi vocantur. Hæc inferni præsentis ratio longe aliud est quam futura gehenne damnatio, vt mox audies. Destruetur enim infernus et totus dæmonis in hominem principatus, dæmone ipso acrius puniendo. Hæc inferni ratio iuncta sepulchro congruit punishmenti Adæ, qui vita priuatus in infernum est consequenter detrusus, facta diabolo in hominem potestate. Est ergo ibi naturale et innatum gustatæ vitæ desiderium: et ex priuatione rei tam amatæ dolor nascitur. Quemadmodum morientes horrescimus, languemus, et dolemus: ita quam diu in morte detinemur, horrore, languore, et dolore tenemur, vt ait Iob. Hos mortis et inferni dolores sensit Dauid, sicut et reliqui omnes peccatum Adæ ita morte et inferno purgantes siue luentes. Quæ ratione dicuntur ipsi per Christum ab inferno educti, et a potestate inferni liberati. psal. 48. quia infernus potestatem in eos habebat. Qui ante mortem Christi mortui sunt, ad infernum ducti sunt, quasi a Deo obliuioni traditi, exceptis paucis, quos futuri Christi fides fouebat. Hinc sepulcrum vulgo dicebatur terra perditionis et obliuionis, psal. 87. Idem sacris literis erat sepulcri et inferni nomen, vt simul ad sepulcrum, et infernum iretur. Infernus mortem sequebatur, vt ait Ioannes. Vt corpus peccato animam traxit, ditionique subiecit

subiecit: ita cum corporis sepulcro subiicitur anima tenebris morti et inferno. Alii præterea sunt inferni dolores. Nam iuxta genus mortis est in improbis varius inferni dolor, ob id dictus dolor mortis, languore eo mortis durante. Hinc (vt post veterem scripturam docent Petrus et Iudas,) gigantum animæ aquis torquentur, quasi sub tartarorum caligine quotidie rigentes, vt moriendo rigeant. Sodomitæ animæ ignis pœnam sustinent, quo extincti sunt: quasi post mortem daret ea mortis impressio damnata. Ab aquis animæ patiuntur, et a sulphureo igne eo magis, quia in aquis his diximus internas alias aquas suffocantes, et in externo igne internum ignem animas vrentem. Additur et ibi dæmonum ministerium, quorum actio est ignis comburens. Igne ita sensibilibiter torquentur animæ, vt aquæ gustum desiderare videantur. Lucæ 16. Ignis eiusmodi est, qui animas torquet, depascitur, et pœna sensus vrit, vt ait ibi Christus et Dauid psal. 48. Absumere malos ibi dicitur infernus: quod non de sola corporis in sepulchro absumptione intelligi potest. Hinc ait Iob. cap. 24. Sicut æstus absumit niuem, ita infernus peccatorem. In paruulis quoque defunctis aliqualis est inferni dolor, sicut fuit mortis hebes quidam dolor. Solus ille dæmonis horror tenebrosus pœnam adfert etiam paruulo, tenebras iam exhorrescenti. Iuxta genus insuper actorum in vita est in inferno nouus alius animæ dolor, vermis quidam et remorsus læsæ conscientiae. Quod et Paulus comprehendit 1. Cor. 3. ignis nomine intelligens omne genus afflictionis, qua et viui et mortui afficiuntur, tædio quodam actorum in vita, vt per quæ quis peccat, per hæc et torqueatur. Peccatum, vt ait Deus, semper pro foribus cubat, et post mortem infernus semper ob oculos impiis versatur. Quanto magis se hic quis per superbiam et delitias extollit, tanto magis ibi humiliatur, maceratur, et tædio afficitur, Esa. 14.

sa. 14. Ezech. 32. et apoc. 18. Vermis hic in reprobis non moritur; et peccatum ipsorum contra ipsos est semper, vnde et infernus ab expostulando dicitur *Ἰνὸς* Seol, eo quod sit in inferno expostulatio quædam actorum in vita, etiam vsque ad nouissimum quadrantem, vt ait Christus. Alia etiam est ratio doloris inferni, ante et post Christi resurrectionem. Nam desperatum vitæ dolorem habebant, qui futurum Christum nescierant, in terra obliuionis siti, resurrectionem non sperantes, psal. 87. et Esa. 38. Hanc autem desperationem sustulit Christi ad inferos descensus. Imo patriarchas et prophetas ipsum iam olim exspectantes, secum tunc eduxit, vt ait Matthæus. Hoc prædixerat Esaïas capi. 43. et 49. et Zacharias cap. 9. et Dauid locis iam citatis. Omnem eis dolorem sustulit resurgens Christus: sicut nunc in vere regenitis, quod ad separatum spiritum adtinet, nullus superest mortis dolor, sed perenne in Christo vitæ gaudium cum alterius futuræ totius corporis vitæ desiderio. Mortis dolor non superest in sanctis, quamuis morientes secundum corpus doleant. Vt in Christo fuit solus secundum carnem mortis dolor, non sequens inferni dolor, tenebrosus, imo maxima Dei cum anima lux, ita et in nobis vere regenitis. In reliquis autem infernus horrens, et tenebrosus mortem sequitur, cum sint omnes natura filii iræ, ob Adæ peccatum, quod ibi omnes luunt. Nihilominus et in eis hoc effecit Christus ad inferos descendens, quod ille mortis in inferno desperatus dolor, partim est spe resurrectionis lenitus, partim in aliorum pænarum formidinem mutatus, re tota pendente ex futuro iudicio, eis tunc significato. Hanc rem Petrus docet cap. 4. epistolæ prioris dicens, in hoc esse quoque mortuis prædicatum euangelium, vt iudicarentur quidem secundum homines carne, viuant autem iuxta Deum spiritu. Fuit mortuis euangelium aduentus et resurrectionis, de qua ibi Petrus agit, vt iudicem Christum

stum etiam inferi agnoscant et in eius nomine genu flectant. Euangelii prædicatio per Christum ad inferos descendentem, ad mortuos, in hoc se extendit, ut carnis resurrectionem et iudicium expectantes, placatum interim in Deo spiritum habeant. Christus qui mortuus est, et viuit, mortuis dominatur et viuis, Rom. 14. Mortui ei placere student, 2. Cor. 5. Inferni in eius nomine genu flectunt, Philip. 2. et in subterraneis eum laudant, apoc. 5. Ille inferni tenebrosus horror est luce ingressus Christi quodam modo illustratus, tantum abest ut Christus ipse ibi pateretur tenebrosos horrores. Hanc spem et salutem, etiam in inferno detentis attulit Christus saluator. Saluator omnium, quod in se est, ibi se obtulit Christus, ab eo carcere liberationem offerens. PET. Putas ea ratione dici saluatorem omnium? MICH. Hac prima ratione dicitur saluator et iudex omnium et pro omnibus mortuus: quia originale Adæ peccatum, quod in se erat omnibus æternæ mortis, et horroris inferni, omnibus ipse condonat, mortem et infernum tollens, ac vitam restituens, ut a se iudice omnes vitæ restituti, non ex facto Adæ, sed ex aliis propriis factis iuste iudicentur, qui ibi quodammodo a dæmonibus iudicabantur et boni et mali. Secunda ratione dicitur Christus saluator omnium, sicut creator omnium; quia omnibus est ab initio insitus spiritus deitatis, ex ipsius halitu genes. 2. et 6. Qui spiritus interne præscribit conscientiæ regulam quandam, quæ gentibus omnibus ad salutem vel damnationem facit. Rom. 2. et act. 10. Vnde et gentes omnes Christus resuscitabit rationem a se datorum exigens: et cui plus datum est, plus exigetur ab eo. Saluator omnium dicitur Christus, sed maxime fidelium. 1. Timo. 4. Tertia est hæc saluandi eximia ratio. Notanda est ibi vis dictionis maxime. Sux enim salutis vim maxime in nobis regenitis ostendit Christus, ac etiam in veteribus patribus sibi fidelibus. Nos sua gratia et resurrectionis potentia, secum nunc retinet, ne in infernum de
duca

educamur: et patres eo iam deductos resurgens secum
 eduxit. Reliquos omnes, vsque ad diem iudicii in in-
 ferno reliquit quosdam interim purgandos, alios iusto
 iudicio perpetuo postea puniendos. Nam præter ea,
 quæ iam mali patiuntur, alia supersunt, eis corpore et
 anima toleranda, quando in finali iudicio damnabuntur.
 PET. Qui sint damnandi nondum illi certo sciunt, licet
 formident. MICH. Scire id certo non possunt, cum et
 alii non damnandi cum eis ibi detineantur et torquean-
 tur. Quando ventum erit ad iudicium, tunc in stuporem
 agentur, qui se ita damnandos nesciebant. Ibi varie dis-
 ceptabunt, ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc se-
 gregabuntur oves ab hœdis, qui ante non erant segrega-
 tæ. Ignoratur ab omnibus illis, quid in clausis iudicii
 Dei libris contineatur. At in iudicio aperientur libri et
 infernus ipse dabit mortuos suos, vt de omnibus fiat tunc
 iudicium et de dæmonibus ipsis apoc. 20. PET. Quare
 finem Abrahamæ sublimem docet Christus, si erat in inferni
 dolore et horrore? MICH. Vere horrorem hunc sensit
 moriens Abraham, sicut et Daud. Vere ante mortem
 Christi non fuit apertus paradysus et durabat semper mor-
 tis et inferni potentia, donec veniens Christus eam con-
 fregit, et fortem ligauit eius spolia diripiens. Matth. 12.
 et Mar. 4. et Lucæ 11. Resurgens de inferno Christus
 sanctos sibi credentes resurgere secum fecit Matth. 27.
 Spoliauit tunc principatus et potestates, Colos. 2. eos
 in finali iudicio penitus aboliturus. 1. Cor. 15. Præda
 dæmonis erant piæ animæ, quas Christus victor libe-
 rat, patriarchas secum assumens in regnum cælorum.
 Hinc eis a Christo tribuitur regnum cælestē. Mat. 8.
 Lucæ 13. et Heb. 11. quia suæ resurrectionis eos fe-
 cit Christus participes. Regnum suum Christus per
 resurrectionem adeptus, in eum tunc assumit patriar-
 chas et prophetas, qui in eum fidem olim habue-
 runt: sicut nos ab eam fidem nunc in regnum illud
 assumit. PET. Et ante resurrectionem docet Chri-
 stus excellentiam finis Abrahamæ Lucæ 16. MICH.
 Multis

Multis rationibus id verum est. Primo quia proxima iam erat gloria, secundo quia spem liberationis Christi habentes patriarchæ, prophetico spiritu tempus sciebant: cum præsertim ad eos tunc descendisset Ioannes baptista oculatus illius testis. Atque ita, præsentem iam liberatorem Christo, erat illis eximia consolatio et magno iam solatio fruebantur. Tertio, quia per comparationem ad aliorum pœnas erat piis gloriæ solatium. Quarto, quia certis legibus cogitur in inferno dæmon. Sicut in ipso inferno est, et erat pœnarum inter impios differentia, ita boni a malis fortiori ratione secernebantur. Inter ipsos impios esse latum discrimen, et segregationem, in gigantibus et Sodomitis, ostenditur: item in aliis impiis ut Esa. 14. Et Ezech. 32. Ergo multo maius erat bonorum a malis discrimen. Quinto, quia piis semper aderant boni angeli custodes divino splendore solatium afferentes. Ita Christus ait esse animam Lazari ab angelis portatam in sinum Abrahæ. Ob insignem Patriarchæ fidem limitata fuit dæmonis in eius sinum potestas, ministerio bonorum angelorum. Philo in excitatione Samuelis. Deos ascendentes de terra, cum beata anima angelos bonos eam seruantes intelligit. Moysen quoque in monte ab angelo sepultum angelus custos deduxit, ut in monte cum Elia videretur in Christi transfiguratione. Sexto, quia sinus ille non solum fidei priuilegio, sed certi loci ratione erat ab aliis segregatus, ut interiecto hiato non liceret aliis ad illum locum venire. Denique Deus omnia implens, etiam ipsum infernum implet, solatium præbens quibus vult. Cum Deus esset Deus Abrahæ, in Deo ibi vivebat Abraham in eius gratia. Sapientia Dei etiam in inferno solatium præbebat fidelibus. Ecclesiastici. 24. Etiam in inferno cognita est semper fama sapientiæ diuinæ Iob. 28. PET. Vbi locum illum sinus Abrahæ fuisse putas? MICH. Quemadmodum sepulcrum diximus infernum, ita sepulchrum dicimus

cimus finum Abrahæ: quasi sit in sepulchris quædam animarum communicatio. Vbiq̃ue est locus capax animarum, et torquendarum, et consolandarum. Sepulchra esse locos custodiæ animarum, scriptura docet, vt dicantur etiam animæ ad sepulchrum duci, consequentia quadam corporis, quod naturaliter amant. Circa monumenta versari dæmones, docet euangelium, Matth. 8. Marci. 5. et Lucæ 8. Monumenta enim, sicut et animas, ipsi ambiunt. Christus dicens, eos qui in monumentis sunt, audituros vocem ipsius, animas a monumentis non excludit. Animæ naturaliter corpus appetunt, circa id plangunt quæ in eo deliquerant, et se spoliatas lugent. Hoc in lege maxime verum erat, quando animæ nondum in cæleste regnum assumebantur, vt nunc. Non sine ratione dicebatur accedere ad animam, qui accedebat ad cadauer, Leuit. 21. et num. 6. Dicebantur animæ descendere ad fossam, Esa. 38. psal. 29. 48. et plerisque aliis. Ex cadaueris contumelia tunc afficiebantur animæ, et in pœnam hoc eis a prophetis impropèratur, dictis locis Esa. 14. Ezech. 32. et alibi passim. Vltionem et pœnam passim minantur prophætæ, quod essent cadauera sepulchris caritura, et a bestiis deuoranda. Ridicula pœna, si ad animas nihil pertineat. In gratiam animæ Elisei est miraculo ostensum cadauer eius, indigne sepultum. Ab angelo sepultus est Moses, ne posset eo dæmon abuti, ad aliorum idololatriam, et animæ sanctæ dolorem. Dolent enim animæ sanctæ, quando nos circa ipsarum cadauera idololatramus. Sancta res erat olim sepulchrum, et inuiolabilis. Non sine mysterio sit solennis in scriptura sermo de sepulchro Abrahæ et suorum. Maiorum suorum et priorum sepulchris non sine ratione pii homines afficiebantur, genef. 47. 49. et 3. reg. 13. Credebatur ibi quies aliqua maior, quam in confortio impiorum: spes item maior cum piis illi simul resurgendi. Ibi credebantur esse boni angeli custodes, vbi

q̃. erant

erant priorum animæ in custodia. Cum vnica esset priorum certa, et Deo probata familia, ab Abraham deducta, omnes ad vnum Abrahamæ parentis finem reducuntur, veluti ei consepulti, qui eius fidem et pietatem tenuerunt. Ibi intelligitur quies illa, de qua dixit angelus Danieli, Quiesces in forte tua in finem dierum. De aliis item piis dicitur, quod appositi sunt ad populum suum. Non ad alienum, nec ad sortem impiorum, sed cum suis quiescentes. Hoc modo verum tunc erat, quod scribitur Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, nec tanget illas tormentum mortis. In pace sunt post mortem, et spes eorum plena est immortalitate. Sapientia aiebat, se penetrare inferiores partes terræ, spectare ibi ipsos dormientes, et illuminare sperantes in domino, Eccles. 24. Quanquam essent in inferno futuri, tamen a Deo petebant Elias et Ionas, vt ipsorum animas acciperet, in quiete aliqua ibi collocandas. Quæ vmbra erat quietis veræ per Christum futuræ in cælestibus. Hinc quasi rem nouam, voce cælesti iubetur Ioannes scribere, Beati qui posthac in domino moriuntur, vt vere quiescant a laboribus suis. Posthac, dixit, amodo, deinceps, ἀπ' ἄρτι, ex hoc tempore, ad differentiam veteris quietis. Eadem voce cum emphasi vsus est sæpe Christus, indicans, ex tempore resurrectionis suæ fore regnum nouum. PET. Quædam ais peccata in futuro seculo remissibilia, postquam mortui ita affliguntur, purgantur, et per ignem saluantur? MICH. Quibusdam remittuntur peccata in hoc seculo, quibusdam in futuro, quibusdam nec in hoc seculo, nec in futuro, vt ait Christus Matth. 12. Credentibus in Christum filium Dei, omnia hic remittuntur: adeo vt in eo regeneriti nullum inferni dolorem sentiant, ob sublimem eius gratiam. Originalis peccati reatum illum his tollit baptismus Christi. Cælestem vitam in corpore, et deposito corpore viuunt, vere in viuente Christo regeneriti, et eius spiritu resuscitati. Nihilo minus et inter hos aliqui

liqui minimi vocabuntur, ob minimorum præceptorum transgressionem, vt ait Christus. Qui super fundamento Christi inutile quid ædificarit, igne afflictionis aut in hoc seculo, aut in morte afficietur, ita per ignem saluatus, vt ait Paulus. Aliis vero regenerationem hanc non assequitis, inferno nunc detentis, et ab eo postea liberandis (vt sunt plerique inter Iudæos et Gentes inuenti pii) remittentur peccata in futuro iudicio. Peccata ex delicto Adæ ante perfectam cognitionem in nobis orta, ad corporalem mortem, et comitem infernum obligantia in futuro seculo tollentur, sicut originale ipsum Adæ peccatum. Merito vere dicetur peccatum hoc, cum plerisque aliis ibi a iudice Christo remitti, et polluta caro tunc purgari. Nam cum omnes doloribus mortis et inferni cum Adam pœnam luerint, etiam paruuli, et Iudæi, et Gentes: Christus postea eos resuscitans, dicetur peccatum mortis tollere, mortem ipsam et infernum destruens, et eos quasi per ignem saluans. Eodem tendit illud Christi, Non exhibis inde, donec minimum etiam minutum reddas, Matth. 5. et Lucæ 12. Qui enim in eo inferni carcere nunc detinentur, etiam minimorum hic commissorum tædio afficiuntur: et hoc est nouissimum quadranten-tem persolvere. Agit ibi Christus de peccatis, vt ipse ait, remittendis, de quibus et Paulus loquutus est, ab eis nos dicens per ignem purgari. Reliquis vero hominibus ob grauiora ex deliberatione crimina damnandis nec in futuro seculo remittentur peccata. Qui scienter ex certa malitia bono spiritui in ipso agenti reluctatur. Christo fidem adhibere nolens, is nec morte, nec resurrectione hoc peccatum diluet, sed resuscitatus pœnas æternas postea dabit. Reliqua item peccata, perseverante impœnitentia fiunt, vt peccata in spiritum, ubi quis sui peccati conscius non vult pœnitere.

PET. Si omnes peccati Adæ pœnam morte luimus, quid opus fuit Christum eandem pro nobis pœnam sua morte luere? MICH. Idipsum quod pœnam illam luere nobis datur, mors Christi facit: sine qua perpetuo omnes in inferno detinebamur, nunquam resuscitandi. Alia insuper maiore efficacia pro nobis regenitis luit Christus, sua morte nos ab illa inferni morte ita præripiens, vt ne inferni quidem odorem sentiamus, quem reliqui omnes senserunt, et sentiunt, Christus resurgens infernum debilitauit, quosdam inde liberauit. In finali resurrectione omnes a morte et inferno liberabit, ac mors et infernus penitus destruentur. PET. Quonam modo destruitur infernus? MICH. Quia post resurrectionem non erit amplius infernus. Nulla dæmonis in hominem erit potestas. Infernus nunc est vt locus sepulchri, sub dæmonis monarchia. Ea vero delebitur, et dæmon ipse validius torquebitur. Nondum est coniectus diabolus in ignem illum, qui est ipsi paratus, vt ait Christus. Mors ipsa, quæ erat diabolus, nostræ mortis causa, et infernus ipse, qui erat diabolus, nos in infernis locis detinens, ambo per Christum mittentur in stagnum ignis, apac. 20. Peribunt tunc mors et infernus, vt docet ibi Ioannes. Erit mortis mors, et inferni excisio, vt ex Hosea citat Paulus. Abolebitur tunc omne dæmonis in homines imperium, omnis principatus et potestas, vt ait idem Paulus. Nec erit sursum nec deorsum, nec aliqua inferni ratio, qualis nunc est, Ad imum vsque comburet ignis Dei infernum ipsum, deut. 32. PET. Supererunt ne elementa? MICH. Nec cælum, nec terra, nec alia elementa, nec lux solis, nec lux lunæ, vt ait Ioannes cum Esaia. Vetera hæc omnia transibunt et fient omnia noua. Omnia igne resoluentur, vt ait Petrus. Trium superiorum ætheream vnā nouam substantiam nos in Deo tunc spirabimus. Terrea hæc tota materia, aliis mixta, in hominum corpora exacte distributa glorifi-

rificabitur. Ita sunt omnia in mensura disposita, propter hominem omnia creata, vt superfluum nihil remaneat. Finis omnium est homo, et finis hominis Deus, omnia fecit Deus propter hominem, et per Christum, qui est α et ω . Sola vna Iesu Christi figura princeps erat ab æterno substantialiter in Deo, et ad sui imaginem has omnes figuras in vnum collegit, vt omnes in Deo vnum sint, et sola hominis in Deo figura realiter cum angelis superfit. Nihilominus ea omnia, quæ nunc sunt in mundo, in visione Dei cognoscemus, et sublimiora alia, quæ ipse præstabit. Hinc de vmbris adhuc colligis, qualiter mundus totus, mors, et infernus, in umbra transeant. Mors illa prior nos in vmbram resoluens, umbra fuit. Umbra fuit alterius mortis æternæ, in finali iudicio futuræ, quam ob id vocat Ioannes mortem secundam, apoc. 20. et 21. Morbi quoque, quos hic patimur, umbra sunt futurarum afflictionum. Morbum omnem ibi tollit Christus, sublato dæmone, qui nobis erat morbus et mors. Infernus ille prior ignis, umbras continens et crucians, umbra fuit, in umbra transiens. Aeternus alius est, et ab æterno paratus, diuinus ignis, in quo non a diabolo torquebuntur animæ: sed in quo homines et diaboli iudicio Dei torquebuntur, diabolo nihil in hominem valente. PET. Qualis erit ignis? MICH. Ignis ille ab æterno paratus, est ipsemet Deus, qui est ignis. Non est enim creatura aliqua Deo coæterna. In igne est ostensus Mosi Deus, et ignis a domino passim exiuit in vltionem, indicans, se esse ignem vlciscentem, et in iudicio consumentem. Potentissimum iudicem decet, in se ipso habere, quo malos puniat, nec alterius. Ipse egere est principium et finis omnium, vt sicut omnia ab ipso prodierunt, ita omnia remanentia ad ipsum redibunt, sorte tamen inæquali. Si hoc bene intellexisset Origenes, non dixisset, dæmones saluandos, eo quod essent ad suum principium redituri. Redibunt quidem, et euntes

in ignem ad ipsummet Deum ibunt. Ipsemet spiritus Dei ignem illum accendet, Esa. 30. ut dæmones ipsi, qui in spiritum Dei peccauerunt, a spiritu ipso torqueantur, sicut animæ ipsæ, conscientiae remordentis cruciatibus. Hic erit ultionis ignis a facie domini, et gloria fortitudinis eius. 2. Thess. 1. Ardere dicitur vultus Dei, ut ignis deuorans, idque ad iudicium, dicto cap. 30. et 66. Solo vultu virtutis suæ malos ille torquebit, et cruciabit. Ipsemet spiritus sanctus, quem accepisti, erit tibi tormentum, si eum male serues. Deus ipse ignis consumens est, inquinata omnia et corpora et animas deslagrans. Ipse Christus erit tunc dæmonibus tormentum, sicut ipsi fuerunt nobis. Hinc dæmones in euangelio, se a Christo torqueri clamant. Ipse erit, morti mors, et perditioni perditio. Ipsemet Deus malis tenebras referet, sicut eadem nubes Dei erat Israëlitis lux, et Aegyptiis tenebræ, Exo. 14. Ignem illum, quo sunt mali post resurrectionem puniendi, non vocat scriptura infernum, licet mystice dici possit infernus. Empyrei æterni ignis est, qui ita dicitur in archetypo ab æterno paratus. Hic dæmones, et animas, et corpora torquebit, teterrimum illis odorem referens, horribilia visa, audita, gustata, et tacta: ut accidere solet iis, qui sensus deprauatos habentes, dulcia iudicant amara, et odorata foetida. Beatorum autem contraria erit ratio, sensus omnes gloriæ dulcedine pleni, noua mentis lux, et clara notitia eorum, quæ prius in ænigmate videbantur, ex vera deitatis Christi nobis omnia referentis illuminatione. Hactenus ob peccatum permisit Christus, nos in manus iniquorum iudicum tradi, ad manifestationem iustitiæ suæ. In resurrectione autem ipse iustissimus iudex per se ipsum omnia omnium acta scrutabitur, in libro suo omnia legens: imo veris ideis cuique palam legenda offerens. Omne angelorum, sicut et dæmonum ministerium tunc cessabit, postquam singuli suos coram Christo iudicandos

eandos produxerint. Christo solo nos coram Deo patre producente ac ministerium omne complente, vt sit in eo omnium plenitudo et sit ipse tunc omnia in omnibus, in sinu suo nos omnes in Deo continens. Mundus a Christo solo cœpit, et desinet in solum Christum, qui est α et ω . Vnde iam vltimum de vmbri sermonem concludens dico, corpus, animam, mortem, infernum, iudicia omnia priora, intellecta omnia, scientias omnes, visa, audita, olfacta, gustata, tacta, angelorum et dæmonum ministeria omnia, sicut cælum, terram, solem, lunam, et reliqua omnia transitoria fuisse, in vmbra transisse, in eis veritatem non fuisse, sed huius tantæ permanentis veritatis vmbra. In solo Christo est veritas, æternitas, in eo solo est tota plenitudo, et tota salus nostra. Sit ille solus super omnia semper benedictus Deus. Amen.

¶ 4.

De Tri-

DE TRINITATE

DIVINA DIALOGVS SE-

cundus, modum generationis
Christi docens, quod ipse non sit crea-
tura nec finitæ potentiaë, sed
vere adorandus verus-
que Deus.

PETRVS. MICHAEL.

Institueram abs te alia rogare, ob quam rem
te initio quærebam. Sed hætenus distuli cum gra-
tum esset audire, quæ de tanta mysteriorum Christi
præfiguratione, eius complemento, et permanente
veritate dixisti. De aliis item plurimis, quæ antea
non intellexeram. Nunc vero, si non ægre feras,
quod superest, etiam absolues. MICH. Aegre feram?
Gratum est semper, de Christo verba facere et eius
mysteria penitus scrutari. In eo cognoscendo iugi-
ter laboro, dies noctesque meditor, eius misericor-
diam implorans et veræ cognitionis reuelationem.
PET. Ad generationis Christi modum esse in omni-
bus creaturis analogias quasdam, dixisti. Id nunc ex-
plica. Modum doce generationis Christi, eiusque
plenam diuinitatem vndique fac manifestam. Homi-
nem enim Christum aiunt sophistæ esse puram crea-
turam finitæ potentiaë, non adorandum adoratione illa,
qua præceptum est solum Deum adorari. MICH. In
nomine Iesu omne genuflectitur cælestium, terrestrium
et infernorum, Phil. 2. Hunc ipsum Iesum adorarunt
inferorum potestates, Marci. 5. adorarunt omnes apo-
stoli, Lucæ 24. et adorant omnes angeli. Heb. 1. O-
mni honore

mini honore, quo pater honoratur, est hic Iesus honorandus, Ioan. 5. Imo pater non potest honorari, nec adorari, nec videri, nec intelligi, nisi per ipsum. Ioan. 14. Toto igitur cælo errant sophistæ. Hic Iesus est, qui præceptum illud de adorando dedit, se solum adorari volens. In ipso nomine humanitatis aut puri hominis errant turpissime, vt mox videbis. Hunc ipsum hominem, quem ipsi vt creaturam vilipendunt, tu non creaturam, sed omnium creatorem es hodie cogniturus, hos tres in eo notans dispensationis gradus. Primus est, verbum apud Deum. Secundus est, egressio in mundum. Tertius est regressio ad patrem. Principio secundum eam dispensationem, secundum quam erat verbum apud Deum, nulla est de creatura quæstio, quoniam verbum illud erat ipse Deus, antequam essent creaturæ. Erat relucencia Christi in Deo Deus in gloria illa apparens, qua erat Christus glorificandus. PET. Relucentiam ibi dici aperte demonstratum est. Quia omnis *λογος*, omnis sermo, et omnis sapientia est naturalis relucencia rei alicuius. Item quia in libro sapientiæ, est dicta sapientia relucencia et Christus ipse, qui ibi relucebat, ab apostolo dicitur relucencia, seu refulgentia. Item quia Elohim ita personaliter relucebat et apparebat. Et primi ecclesiæ doctores et vigentes tunc hæreses hanc in verbo personam omnes confirmant scripturis apertissime demonstratam. Sit hic ergo primus gradus satis superque declaratus. Perge nunc ad secundum. MICII. Egressus est Christus non more creaturarum, sed conceptus et genitus de spiritu sancto. Matth. 1. et Lucæ 1. Non potest dici filius, qui ex genitoris substantia non prodierit. Diceris tu de substantia patris tui egressus, propter paterni seminis elementa, quæ sunt de substantia patris, in quibus etiam sunt ipsius animæ et formæ genimina, ita et Christus. Et multo magis Christus, qui est eius rei specimen. De substantia Dei est caro ipsa Christi, in ea videtur Deus: ipsa

caro Christi habet esse Dei, et est corporalis deitas. Admirandam iudicabis huius carnis generationem, si physica generationis aliorum principia tenens ea omnia per verbum hic suppleri cognoscas. Nam omnia illa erant in verbo. PET. An non caro illa, quam de Maria sumpsit Christus, erat pura creatura? MICH. Caro ipsa Christi, qualis erat in sepulchro, formam substantialem habuit diuinam. Et præter diuinam lucis formam, habuit caro illa elementarem archetypi substantiam, verbi elementa vere diuina, substantiam Dei. Ab ipso Mariæ vtero sumpta est materia carnis, sumptus est sanguis purissimus, pura creatura. Sanguine materno, a formatrice vi feminis transformato, plasmatur embryonis caro in nobis. Et similis in Christo fuit embryo, similisque materni sanguinis transformatio, a femine illo increato. Superiora tria elementa sunt ab utroque parente, tam in Christo, quam in nobis. Terreæ vero materia est tota a sola matre, tam in Christo, quam in generalibus omnibus. Omnium est terra mater, et terreum elementum semper a matre. Nihil est a patre terreum, quod geniti hominis compositionem intret, sicut nec in Christo fuit. Si quid est in paterno nostro semine terreum, contenti spiritus est custos, et in membranæ illius, quæ dicitur *χορίου*, externam ambit incrustationem. Paternum verbi semen substantialiter in Christo continebat aquæ, aëris, et ignis elementarem substantiam, seu superelementarem, qualem et in nobis continet paternum nostrum semen. Illud ipsum semen, in quo est speciei, et indiuidui certa proprietas iuxta lucis et spiritus ei insitum seminarium symbolum, multipli munere in nobis omnibus fungitur, quemadmodum in Christo. Continet substantiam superiorum elementorum, quæ miscetur terreæ materiæ de matre sumptæ, quasi altera materia. Vt plasmator item agit, et formator, cum ei sit insitum ideæ seminarium, nouæque

uæque procreandæ formæ et animæ origo quædam.
 Tertio, in eo est spiritus, qui in spiritum intra vasa
 contentum abit, ad plasmatum corpus viuificandum.
 Non foras erumpit, nec in externum aërem euanescit
 ille feminis spiritus post plasmationem embryonis fa-
 ctam, quod quidam dixerunt, sed intra vasa contine-
 tur, vt docet Galenus in libris de femine. Ad quam
 rem facit secundarum incrustatio, et vteri arctus am-
 plexus, vt inclusa illa ignis scintilla interne ferueat et
 agat. Hæc feminis ignea vis, ideæ, animæ, formæ,
 ac lucis diuinæ symbolum habens, est illa formatrix
 facultas, et facultatum naturalium effectrix essentia,
 quam sæpius post Aristotelem et alios philosophos in-
 quirens Galenus, se tandem ignorare fatetur, Libro
 primo de facultatibus naturalibus, lib. 1. de causis
 pulsuum, et lib. de facultatum naturalium substantia.
 Ita Deus statuit, vt omnis veritatis via, et rerum
 omnium manifestatio, sit per Christum, qui est via,
 lux et veritas, et in quo sunt omnes thesauri sapien-
 tiæ absconditi. Etiam thesauri scientiæ naturalis sunt
 in Christo absconditi. Hoc tibi statue, Deitatem
 ipsam in Christi generatione, id ipsum effecisse, quod
 in aliorum generationibus efficere solet paternum se-
 men. Imo quoduis aliud semen vim suam habet a
 verbi femine. PET. Vt ab aliorum generationibus ad
 illam primam, ita ab illa ad alias recurrimus. Alio-
 rum generationes melius cognoscentur, si cognosca-
 tur naturalis compositio corporis Christi, qualiter
 ipse sit naturalis filius, naturaliter genitus. MICH.
 Nos a Christo indubitatam philosophiam edocti, dici-
 mus, formatricem omnium esse lucis vim: esseque lu-
 cem insitam, et lucem superuenientem. Comprobat
 hoc solaris radius, qui de terræ limo animalia viuen-
 tia procreat. Sicuti radius ille vim alteri coniun-
 gibilem continens viuifice in terra agit, vbi certa
 vnio concurrit, ita in maris et fœminæ vnione, et
 in diuinæ lucis vnione. Rerum omnium vita
 vnio

vnio quædam est, tam in corporalibus, quam in spiritualibus. Vniri semper oportet subiecto insitam et superuenientem virtutem, vt vnum quid inde prod-
eat. Vnio autem qualis sit, et mixtio, tam in Christo, quam in nobis, dicemus paulo post. Id nunc dicimus, quod facta feminum cum terra vnione et mixtione, ex coalescentia illa se formatrix facultas exerens, animalia procreat, et plasmat, ac etiam stirpes. In animalibus, partium quarundam principum cum suis vasis formationem primam efficit. Ad naturale hepar, et vitale cor, primo tendunt ab utero matris, vmbilicaria foetus vasa, vt in anatome cernimus. Ab ipso hepate sit prima chili in sanguinem transformatio, idque vitalis ignei spiritus, et insitæ ipsi hepati formalis lucis potentia. Quæ ambo in Christo erant de substantia Dei. Vitalis spiritus Christi intra proprias arterias, et substantialis forma hepatis embryonis, erant substantia Dei. Cum ergo ab ipsis in hepate formaretur sanguis, iam sequitur in ipso Christi sanguine fuisse et esse hypostatice iunctam diuinitatem. In ipso Christi sanguine est substantia spiritus Dei, et lucis diuinæ substantialis forma. Hinc dicitur ille esse sanguis Dei, in quo consistit mundi redemptio. Verus realis et substantialis est animæ nostræ, et interni hominis potus. Sanguis Christi est Deus, sicut caro Christi est Deus, et anima Christi est Deus. Nec absimilis est ossium ligamentorum, aliarum partium ratio, quibus omnibus sua est lucis forma. Nam illa eadem formatrix ignea vis, formalem lucem solidis partibus indit, per caloris instrumentum terream desiccans materiam, et eam in ossium firmitudinem indurans, tam in Christo, quam in nobis. PET. Hinc multiplex, et per partes Deitas tota Christi colligitur. Non quod ipsa realiter diuidatur, sed quod mira dispensatione in singulis partibus agat, et eis se immisceat. MICH. Plasma ipsum Christi est vere diuinum, et de

et de substantia Dei, multis rationibus. Primo, quia corporis et sanguinis formam substantialem habet verbi lucem vere diuinam. Secundo, quia in ipsa carne et sanguine habet diuina tria archetypi elementa de substantia patris. Tertio, sicuti sanguinea de matre sumpta materia creata, est ab incarnatione in Deum lucem lucide transformata et glorificata: ita cibus ac potus eius, quo sanguis et caro eius in dies augebatur, identidem transformabatur. Quarto, quia adhuc intra carnem est vitalis spiritus diuinus, qui et spiritus naturalis. Quinto, quia in ipsa anima habuit essentialiter corpus lucem verbi, et illam archetypi elementarem substantiam, simul cum elementari hac nostra ante resurrectionem corruptibili. Sexto, quia nouus diuinus est in eo post resurrectionem gloriæ spiritus regenerans, cum incorruptibili tota substantia. Septimo, quia hæc deitas non est recens, sed totum ipsum Christi corpus erat iam ab æterno personaliter in Deo, spiritus item substantialiter, ac verbum ipsum in substantia spiritus. Octauo, quia emicans splendor faciei eius et spiritus eius est vere lux illa, qua Deus est lux, vt in eo videatur Deus, et ab eo nobis communicetur. Nono, quia tota Dei potentia, et omnia Dei ornamenta sunt in eo, vt in eo omnia consistant et vivant. Quemadmodum illa vniuersi lux, quæ diem a nocte secernebat, est in vnum solare corpus concreta, ab eo diffuens ad alia: ita primaria illa, et substantialis Dei lux, in vnum Iesu Christi corpus quasi coaluit in nos deinde radians: in qua etiam illa solis lux habet esse, et eius symbolum in rebus seruat. Vt in sole dicimus lucem primariam et in aliis alios inferiores et varios gradus: ita in Christo, vt sit ipse semper princeps et caput omnium. PET. Analogias hic cernere iam incipio. MICH. Omnibus modis quibus tu cogitare potes, aliquid alteri vere iungi, aut in eo vere esse, siue vt calor, siue vt color, siue ut lux, si

lux, siue vt forma, siue vt anima, siue vt spiritus, siue vt elementum, eisdem omnibus modis, est vere Deus in Christo, vt omnium specimen in corpore ipso Christi, et in anima. Omnibus modis, quibus tu vice versa cogitare potes corpus externum ab interna vi sustineri, fulciri, et in essentiae vnitatem viuificari: eisdem est Christus in Deo, ab eo fulcitur, et viuificatur, tanquam omnium specimen. Omnibus modis, quibus tu cogitare potes, aliquid ab alio exire, quomodo de monte exiuit lapis, de petra exierunt aquae, a Deo exiuit scriptura legis, exiuit sermo, exit lux, exeunt angeli, existi tu, de lumbis patris, eisdem omnibus modis exiuit Christus a Deo et est omnis egressionis specimen. Exiuit a Deo, et effulsiit quasi lampas, ex inuisibili luce splendens et emicans, Esa. 62. Exiuit ille ex internae mentis abdita ratione diuina. Qua ratione dicitur effulsiisse, emicuiisse, et splenduissse lumen apparens, de lumine non apparente. PET. Vtinam in hoc sensu dixissent Nicæni patres esse lumen de lumine. At ipsi deum discernere, et inuisibilem radium, de inuisibili alio decidere voluerunt, realiter distinctum. Atque ita sua inuisibili confusione confusi sunt, hominem non agnoscentes esse naturalem filium Dei. Noluerunt lucem Christi palam exhibitam videre, sicuti et hodie sophistæ visionem hanc negant. Sed tuam de Christi exitu analogiam sequere. MICH. Exiuit Christus et processit a patre suo, sicuti et tu a patre tuo. Paternum semen geniturae Christi idipsum in eo effecit, quod in te facit creatum semen patris tui, vt ab ipso Christo omnis filiatio vere deducatur, sicut a patre Deo omnis paternitas. PET. Filiationis nostrae ad filiationem Christi aptissima est analogia. Si ad imaginem eius nos conditi sumus, ad imaginem filiationis eius est filiatio nostra. MICH. Per analogiam ad Christum sunt.

sunt coelestia et terrestria. In anima et in spiritu sancto est analogia generationis Christi. Instar ipsius a Deo spirantur et procedunt angeli, superelementarem ab ipso substantiam accipientes, ac Deitatis figuram. Instar eius spirantur venti, fiunt nubes et pluviae. Instar Christi est solaris haec lux. Per analogiam ad Christum, et instar Christi, mineralia producuntur, plantae vegetant, et animalia generant. Per analogiam ad Christum fiunt mixtiones, et ipse est omnis mixtionis atque vnionis specimen. In omnibus genitis et creatis est ad Christum analogia. PET. Similitudinem a mineralibus incipe. MICH. In mineralis cuiusvis, metalli, vel lapidis productione, est Christi imitatio, si carnem eius, ut erat in sepulchro, seorsim spectes. Mineralis cuiusvis productio hoc modo fit. Vi coelestis calfacientis lucis, per superiora elementa descendens, eis insitæ, ac per ea terræ communicatæ, decoquitur et informatur vna cum aliis ei mixtis elementis terrea materia, inducta illi toto in vnam substantiam lucida et visibili forma. In visceribus terræ illa decoquuntur, sicut caro Christi in visceribus matris. Omnium est terra mater, et est terreum elementum in omnibus a matre. Elementa superiora ipsi terræ miscentur in carnis nostræ, et aliorum quorumcunque corporum plasmatione, et a luce informantur. Nec secus in Christi corpore factum dixeris. Nam caro eius hanc habet corporalem deitatem, sicut hic lapis, seu aurum hoc, habet innatum lucis splendorem corporaliter. Memineris semper, formam substantialem corporum esse lucem, et ei esse insitam diuinam ideam. Hæc in rebus omnibus ita se habent, et per analogiam ad Christum. Vnde et ipsa Christi prima Deitas aperte nobis ostenditur. PET. Quid de plantis? MICH. Instar Chri-

Christi plantae germinant, et vegetant. Sicut accedente vi seminati grani, aut etiam sine eo, vis roris cœlestis, quasi aqueum semen, terream materiam, irrigans, ac vi spiritus et lucis transformans, plantas germinare facit: ita et in Christo factum est, Esa. 45. et 55. Vt Mariæ vterus hac ratione sit hortus, in quem descendens ros auroræ, Christum germinare fecit, psal. 71. Et Esa. 61. Hanc Christi cum plantarum germinatione similitudinem comprobant nouissima illa verba Dauidis. 2. Samu. 2. vbi ait a splendore et pluuiâ esse germen de terra, et ita salutem germinare. Comprobat Zacharias cap. 3. et 6. Christum ipsum vocans germen. Ieremias quoque ait, Germinare faciam germen Dauid. Magno mysterio est in Christo, cœlestis et terreæ materiæ in vnum furculum germinatio. Hoc esse plasma, germen, et virgultum, quod ex rore cœli, et fructu terræ germinauit, docet Esaïas cap. 4. 11. 45. 53. 55. et 61. Hoc idem est germen, ex cedri sublimis medulla plantata mirabiliter erumpens, Ezechielis. 17. et 34. Iere. 23. 33. et Hoseæ. 6. Id ipsum germen est Iesus Christus, virga de stirpe Isai, omnis generationis, et germinationis specimen et prototypus. Sophistis autem ridicula est hæc germinandi ratio in vnum Iesu Christi plasma. Malunt ipsi hæc tanta Dei opera ignorare, quam Deum suæ creaturæ tam varie commiscere. PET. Quibus partibus magis assimilatur homo plantæ? MICH. Sunt qui stirpis caput aiunt deorsum, et subterraneas radices esse veluti capillos. Alii cor plantæ vocant in medio stipite. At vero in plantis nec sunt cordis, nec cerebri facultates, nec motus, sed solum hepatis. Non sunt in eis arteriæ, nec nerui, sed nutritoriæ venæ. Sola est in stirpibus hepatis facultas, attractrix, nutrix, et ad certam metam auctrix. Venis ergo hepatis assimilatur homo plantæ. Radices arboris sunt venæ portæ, alimentum trahentes. Quibus in vnum coeuntibus sequitur truncus duplex

plex venæ cauæ, deinde rami. Instar hepatis est crassum illud, quod ad radicem plantæ vides, seu inter radicem et stipitem. PET. Estne in hepate anima vegetatiua, vt in plantis, qua viuunt embryo? MICH. In lingua sancta non dicitur anima, nisi vbi est respiratio. Ideo in plantis non dicimus animam aliquam. Nutrix et auctrix facultas sit specifica quadam vi innati caloris, cum insita ideæ diuinitate. Ignis ita fere seipsum auget, attrahendo alimentum. Vita in plantis dicitur, non vita animæ, sed vita formalis illius caloris, vt in lucerna dicimus ignem viuere, seu extinctum esse. Quin et lapides et alia in re medica motricem vim habentia affirmant aliqui, non solum viuere, sed et senectutem, morbos et mortem pati: quod et vino accidere quotidie experimur. PET. Non est ergo similis nobis embryonis anima aut vita, qua plantis assimilatur? MICH. Non omnino cum non sit in eo anima propria. Embryo dicitur viuere vita vegetatiua antequam Deus animam inspiraret. Sed alia tunc est radicum arboris ratio. Nam per vmbilicum tendit alimentum ad hepar. Radices arboris non sunt tunc venæ portæ, sed quasi polypodum capillamenta, ad materni vteri acetabula, seu *κοτυληδόνες*, vt vocat Hippocrates. Multa inde vascula in secundas se inferunt, ac in duo duplicata vasa coeunt, quæ per vmbilicum fœtus ingrediuntur. Nascente puero acetabulorum vincula soluuntur, ablutione a chorii inquinamento mundantur, quasi noua arbor transplantata. Quæ mysteria in cælesti quoque natiuitate videbis, quasi tunc noua arbor ablutione baptismi in Christum transplantetur, noua anima datur, et nouum cibum accipiat. PET. Non est cor primum viuens, si per hepar viuunt embryo vegetatiua vita, antequam cor diastolis et systolis munere fungatur. MICH. Non est illa omnino hepatis vita. Aliunde enim fouetur. Et quanquam esset vita illa ex sola vi seminis, non est

vita animæ. In vtero fouetur embryo ab anima matris, ab ipso corde matris. Nam ab eo originem trahunt arteriæ, quæ foetum ipsum per vmbilicum ingrediuntur, et vitalem spiritum in eum infundunt. Huius materni spiritus vitalis calor viuificus, vna cum innata feminis potentia facit embryonem viuere vita vegetatiua absque alia tunc anima. Cor ergo, si non omnino dicatur esse tempore primum viuens, est principaliter viuens, et primum vera anima viuens. PET. Quando inspiratur a Deo vera hominis anima? MICH. Quando incipit homo spirare, quando nascitur. In vtero non est inspiratio, nec respiratio: nec propria anima viuit foetus, sed anima matris, veluti pars matris, vitali quem diximus spiritu per vmbilicares arterias immisso: in quibus contenti spiritus munus non cessat, donec nascitur homo. Ergo eius munere semper in vtero viuit foetus. Veluti ramus est tunc, qui per natiuitatem in arborem transplantatur. Hinc ad Deum ait propheta, In te proiectus sum ab vtero, noua ratione exinde tibi insitus, psal. 21. Per flatum Dei in animam viuificatur homo. Animæ substantia id facile docet, quam ostendimus esse respirationem, et flatum. In scriptura sancta seu Hebraica lingua, non aliter dicitur anima, Latine quoque nomen sumpsit anima ab eo, quod Græce dicitur *ἀνεμος*, ventus. A sacris non dissidet, quod Orpheus dixit, animam vento ferri, ingredi respiratione, ex aëre et cum aëre viuere. Idipsum ex Ezechiele et aliis est nobis iam ostensum. Faciendo animam facit Deus flatum. Esa. 57. Per spirationem est in os et nares Adæ anima immissa, et in eius posteros ita immittitur, et spiratione feruatur. Cum ergo foetus in vtero nec inspirationem nec respirationem habeat, ita nec animam propriam habet. Quomodo esset anima in corde, si cor nec diastolem habet, nec systolem? Nec cor, nec pulmo ibi mouentur. Valuulæ cordis, seu membranæ illæ ad

læ ad orificia vaforum, non aperiuntur donec nascitur homo. Spiritus vitalis ibi nullus in corde generatur, sed est ille solus, qui a matre infunditur. Quomodo igitur esset ibi anima propria? Nullus est vitalis spiritus proprius, in quo sita esse possit, donec nascitur homo. Artificio magno fit tunc diuinæ animæ inspiratio, cordis apertio, et spiritalis sanguinis immissio. Astroorum quoque peritia id præclare docet. Nam hora natiuitatis, iuxta siderum talem, vel talem positionem, talis vel talis sequitur anima. In totam vitam tunc imprimitur cælestis influxus, inclinationem, temperamentum, et reliquos animæ innatos mores inducens. Non proprie dicitur filius qui in vtero est, quia vere homo non est. Spe quadam aut feminis præparatione, dicitur filius, sicut tempore legis Christus erat filius. Tota lex est veluti mulier prægnans, vere nondum adepta filium.

PET. Antequam inspiretur anima, est in foetu vis mouens, quæ membranam rumpit. MICH. Quidni? Pullus rumpit putamen oui, antequam spiret. Plantæ variæ suo motu, et muros et saxa rumpunt, ut sibi viam aperiant.

PET. Constans et in stirpium et animalium generatione est ad caput analogia.

MICH. Animalium omnium generatio instar Christi est: non solum eorum, quæ ex parentum femine procreantur, sed et eorum, quæ ut vermes pullulant: quod ex plantarum quoque iam dicta pullulatione colligitur. Supernæ lucis et pluviæ actione fit in terrea materia semper talis generatio, ut in Christo. Sacræ litteræ nos vermes esse docent, sicut Christus ipse se vermem vocat. Psalm 21. In aliorum quoque animalium omnium generatione est hæc sequens vera analogia. Sicut generantia omnia prius in se ipsis semen formant, quam ad foetum emittant: ita fuit in Deo semen verbi, priusquam in Maria filius generaretur.

PET. Sophistæ nihil tale cogitant. Filium ipsi dicunt, vbi scriptura non dicit filium. MICH. Sicut verbum Dei vim omnis feminis substantialiter continens, fuit ros naturalis genituræ Christi in vtero virginis, ita et semen generationis animalium, sicut sol et homo generant hominem, ita Deus et homo generant Christum. Corporis semper præparatio requiritur, sicut facta est in Maria præparatio. Præparatio etiam requiritur ratione animæ, quæ immisso aëre intus a Deo creatur, seu producit, ex interna, et externa substantia coalescens. Ita eoque viuit anima in corpore, quousque potest purum aërem attrahere, et ex corpore purum liquorem, quo fouetur ac veluti nutritur. PET. Ex corpore quodammodo eliciuntur animæ, vt ex terra, et aqua, dixit Moses: et ex femine, vt animæ egressæ de femore Iacob, et de lumbis Abrahæ. MICH. Ex vî feminis in anima filii relucet paterni mores, eo quod anima aliquid accipit a femine. Aliquid a femine accipit anima nostra, sicut anima Christi a femine verbi. In elementis corporis, sicut in femine est eliciendæ animæ substantiale symbolum, formatrix lux, formalis idea, dispensatio diuina, et spiritalis materia, cum variis accidentibus in anima formalibus. Est anima vna, ex elementis feminis et sanguinis elicit, et a Deo afflata. Vna est anima plures habens vitas. Vnus halitus Dei dicitur נשמת חיים nismath hajim, spiraculum vitarum Genes. 2. Vnum est spiraculum plurium vitarum hominem faciens viuere vita corporis et vita spiritus: vita vegetatiua, vita sensitiua, et vita intellectiua. Plures vitas dixit Deus et vnâ animam viuentem. Si constat brutorum animas elici ex femine, et nobis esse cum eis plurima communia, constabit quoque nostras ex femine quodammodo elici. PET. An in animis brutorum sit deitas, vei immortalitas aliqua? Id enim Numenius, Plotinus, Porphyrius et Iamblichus cum reliquis Pythagor

thagoricis tenent ex Trismegisti doctrina. Idque eo magis, quia est in eis aliquod mentis symbolum, quod a Deo est. In nares eis spiratur anima sicut nobis, Ab eis sicut ab homine colligit Deus spiritum suum et moriuntur, teste propheta: et in ea ipsa, ut viuant, spiritum suum mittit Deus. psal. 103. Pythagoræ hic erat fere discursus, et iudicium Dei esse credebatur in malas animas. MICH. Animæ brutorum eliciuntur de potentia lucis creatæ, in qua diximus esse *ενδελεχεια* viuificam: ideo mortales, sicut formæ ratione sunt reliqua corruptibilia. Spiritum suum in aërei flatus vniuersali energia illis impartitur Deus, inspirationem et respirationem donans: sicut in aliis rebus est varia spiritus et lucis Dei energia: ex qua tamen non sequitur immortalitas propriæ substantiæ, sed solius ideæ. Trismegistus vero corruptionem omnem mortem et interitum penitus negauit, sed partium segregatione res in eo delitescere. Cuius sententia sequuti sunt veteres philosophi, Xenophanes, Anaxagoras, Democritus, Leucippus, Empedocles, Parmenides, et plerique alii cum Pythagora. Non credebant ipsi, posse quid in nihilum abire. Error erat in cognitione formæ. Nos in candela extincta videmus, quam facile in nihilum redigatur forma illa lucis creatæ. Idipsum fenestram claudendo videmus. Ut lux destruitur, ita destrui videmus substantiales rerum formas, quæ sunt a luce. Trismegistus solius ideæ diuinæ, quæ principalis est forma, considerationem habens, in ea omnium immortalitatem ponit. Mundum, et quæ in eo sunt, omnia dixit habere deitatis participationem, esse vnum cum Deo, immortalia, incorruptibilia, et æterna: quasi nefas sit id perire aut corrumpi, in quo Deus sit. Nobis vero, sicut ex hoc, quod Deus immutabilis est, non sequitur, ea omnia, quæ sibi insunt, esse immutabilia: ita nec ex hoc, quod incorruptibilis est, sequitur, ea omnia, quæ sibi insunt, esse incorruptibilia. Sicut a-

nimæ vnio non impedit corporis corruptionem, ita nec deitatis symbolum destructionem formæ. Perire in totum nos dicimus formas, quæ sunt a creata luce: nec illas sic perire, quin ideæ maneat in Deo. Aeternitatem omnium quoad Deum nos ideo concedimus, quia omnium ideæ sunt semper in Deo, et quia sine tempore Deus omnia attingit, quæ existunt, et quæ non existunt, et ei omnia viuunt. Nihilominus tamen fiunt in tempore generationes, et corruptiones, ac illa intereunt quorum formæ destruuntur. Excusari quodammodo potest Trismegistus, si dicamus, eum transitoriam hanc rerum formam vt rem nihili floccifecisse, sed solam ideam cogitasse. Hoc in libro de regeneratione oportere ait omiſſa transitoria ac fallaci mundi forma, in Dei puram ideam reformari. Tunc acquiritur vera hominis æternitas, quam ipse non in brutis, sed in hominibus peculiarem ponit, in propria animæ substantia. Hinc ad Tatium filium de comuni, omnia ait esse vnum in Deo, præsertim intelligentia corpora, quæ actu et æternitate viuunt, et quorum anima bona, vt ita ab intelligibili bono non distent, et supra fatum efficere possint, quæ volunt, vt mens ipsa Dei, cui vniuntur. Et paulo post, Maxime omnium immortalis est homo, qui Deum capit, diuinæ conformatur essentia, et cui soli Deus congregitur, ac futura reuelat. PET. Ad nostræ generationis analogiam redeamus. An semen genituræ fit a solo patre in Christo et in nobis? MICH. Negat Aristoteles lib. 2. de generatione animalium, muliebre semen ad generationem facere. Sed Aristotelem multis rationibus arguit Galenus lib. 2. de femine. Quia sua sunt mulieri, sicut viro spermatica vasa, eodem artificio naturaliter constructa, ac viri et fœminæ species eadem spermatica. Item quia solo viro emittente semen non fit generatio. Item quia fœtus anima et corpore matri sicut patri assimilatur, vt moribus, temperamento, figura, et peculiaribus aliis signis.

Mulie

Mulierem quoque feminificare, et suo femine concipere, docet ipse Deus Leuit 12. et psal. 50. Clarius vero Genes. 3. vbi semen mulieris ait esse hominem, Christum ipsum. Christus est ex femine Daudis, ratione Mariæ et ratione Ioseph, natura et adoptione. Hinc referunt Matthæus et Lucas esse Ioseph de domo et familia Daud, filium Daud, ac per eum esse Christum filium Daud, et semen Daud. Nam secundum legem, qui nomine domus seu familiæ alicuius censebatur, eius semen, et illius filius dicebatur, quamuis non esset ex eo genitus. Ex sanguinibus viri et femine nos nasci, docet Ioannes, scilicet ex amborum feminibus et voluptate, Ioan. 1. At Christus non est ita ex sanguinibus nec ex voluptate carnis genitus. In hoc est vere dissimilitudo. Instar Christi nos generamur excepta peccati ratione. Ros ille cælestis, et lucidæ nubis obumbrans virgini, eius femini et sanguini sese citra carnis libidinem immiscuit, et humanam materiam in Deum transformauit, spiritu sancto ibi sine mensura spirante, vt in spiritum viuificantem germinaret, homo ipse Iesus Christus, virga de stirpe Isai. PET. Hinc iam mixtio in Christo declaratur. MICH. Materiæ cum materia dicitur potius mixtio et animæ seu formæ vnio. Mixtio deitatis dicitur, vbi est diuersitas partium vel formarum. Christus est omnis mixtionis et vnionis specimen et prototypus antiquioribus melius quam sophistis cognitus. Nam in Christo esse deitatis mixtionem, antiquiores docuerunt, quod nunc sophistæ negant. Intelligere ipsi nequeunt, ex supernis et infernis, ex paternis et maternis elementis, vnum plasma in Christo generari, cum in rebus his omnibus aliud nihil videamus. In rebus his creatis vides terram in cælum attolli, per aliorum cælestium elementorum mixtionem. Cælestem in Christo mixtionem ea res nobis figurat. Mixtio erat in Christo cælestium

elementorum cum terreno, et vnio diuinæ formæ. Imo et lucis increatæ cum creata erat tunc varia mixtio, siue vnio. Deitas erat Christo immixta et vnita. Immixta ob partium varietatem, et quia elementa superiora, quæ erant de substantia Dei, vna cum similibus elementis humanis, erant mixta terreæ materiæ de Maria sumptæ. Deitas etiam erat Christo hypostatice vnita, ratione elementorum, ratione animæ, et ratione formæ. Superelementaris illa archetypi substantia vnā cum hac elementari substantiam faciebat, seorsim spiritualiter in anima, et seorsim corporaliter in carne. Illa insuper animæ Christi diuina lux essentialis, et forma ipsa substantialis corporis Christi, est lux Dei et forma diuina, ei substantialiter vnita. Atque ita est Christus omnis mixtionis, et vnionis specimen, et prototypus: qui non solum in se ipso humana commiscet et vnit, sed et diuina cum humanis in vnā verā substantiam. Vnionem omnem et mixtionem ille continet, tam in anima quam in corpore. PET. Analogiam generationis Christi in anima et spiritu sancto esse quoque dixisti. MICH. Quod animæ substantia et spiritus sancti substantia instar Christi ex Deo et homine sit, ex iam dictis satis constat. Animæ substantia et elementaris, et a Deo, sicut Christus est elementare corpus et a Deo. Sicut verbum Dei in Christo est factum caro, ita hālitus Dei in Adam est factus anima. Similia de spiritu sancto dicas, in quo est cum Christo maior hæc similitudo: quia anima nostra non est Deus, sicut Christus est Deus, et spiritus sanctus est Deus. Spiritus sanctus ita fere descendit, in apostolorum animas, sicut verbum in carnem, vt diximus in fine libri quinti. Spiritus Christi substantia est elementaris, et diuina, sicut corporis Christi substantia est elementaris et diuina. Verus ipse spiritus Dei cum hominis spiritu facit vnum spiritum, quod totum dicitur spiritus sanctus, sicut verbum Dei cum ipsa

car

carne facit vnum ens, quod totum dicitur filius. Sicut spiritus sanctus dicitur a Deo procedere, ita filius ait, ego ex Deo processi. PET. Vt olim in Deo erat figura filii, ita figura spiritus sancti. MICH. In Dei thesauro sunt noua et vetera, vt ait Christus, Vmbras veteres superiore dialogo tibi satis exposui, et nunc esse omnia noua. Alium illi a nobis spiritum acceperunt, vt dicere possis, fuisse ibi figuram huius veritatis. Nihilominus erat tibi vera inspiratio diuina, sicut in verbo erat vera, et substantialis lux Dei. Similitudo inter filium et spiritum non est talis, qualis inter verbum et spiritum. Spiritus Dei, sicut verbum Dei, vere intelligitur in carnis corpore, et ante carnis corpus: at filius vere semper est corpus. Spiritus sanctus proprie est nomen solius Deitatis, sicut verbum, filius proprie est nomen hominis. Et sicut nomen verbi communicatur homini: vt homo ipse Christus dicatur verbum Dei: ita nomen spiritus sancti communicatur spiritui hominis, vt in totum dicatur spiritus sanctus. Dispensationem in Deo notant verbum et spiritus: at filii vocabulum est magis substantiale, seu quid reale magis. Filius realiter et corporaliter est in Maria per verbum et spiritum genitus. Filius in se et verbum et spiritum continet, quasi corpus et animam, seu formam et halitum. Hæc sola ratio deberet sophistas ad veri et realis filii cognitionem excitare, quod ille in se verbum et spiritum hypostatice continet. Spiritus sanctus ergo, vt iam diximus in se, et vere, est modus deitatis substantialis, et simpliciter intelligitur pura deitas. Communicatione eiusmodi deitatis communicatur ipsi creaturæ nomen spiritus sancti. Communicatur humano, et angelico statui. Originaliter vero et naturaliter, in solo Christi halitu est spiritus sanctus. PET. Lux illa verbi, est formaliter vnita materiæ: non ergo dicitur caro facta. MICH. Verbum caro factum est, verbum caro fuit, verbum caro extitit, verbum est

bum est ibi substantialiter vnitum et mixtum. Ioannes pro Hebraica dictione וְיָרָא posuit Græcam $\epsilon\gamma\epsilon\text{-}\nu\epsilon\tau\omicron$. Quod vetus græca translatio probat, pro illa Hebraica voce hanc Græcam semper ita ponens. Proprie ergo sermo caro fuit, caro extitit et caro factus est. Lux est materiæ forma, quæ materiam transformat et vnita est materiæ substantialiter, non solum in Christo, sed in aliis omnibus creaturis, quæ instar Christi formatæ et plasmatae sunt. Vt autem penitius intelligas, quid sit caro factum, et quatenus differat ab eo, quod est carni vnitum, sunt tibi in verbo hæc considerata, idea, elementum, et lux, eaque tria corpori et animæ communia. Verbum quatenus erat hominis idea, seu persona, et præfiguratio, dicitur caro factum, et quasi in carnem personaliter concessisse, vt carnis personæ nunc tribuantur, quæ olim verbi personæ tribuebantur, cum sit eadem persona. Idque eo magis, quia verbum illud non iam suam per se facit personam, sed simul cum carne. In elementari quoque, seu superelementari feminis substantia, est verbum homo factum, quia eius elementa sunt corporaliter quodam modo facta carnis elementa, et spiritualiter facta animæ elementa. Quatenus vero erat verbum essentia lucis et vis formatrix corporum, dicitur carnis materiæ vnitum, seu humanitati vnitum hypostatice et substantialiter, vt totum plasma sit vnus homo, et vna Dei caro. Vnitum quoque spiritualiter in anima, vt totum sit vna anima, et sit anima Christi vnum cum Deo. Hanc incarnationis similitudinem velut vmbra quandam inuenies in semine nostro, secundum eosdem tres modos. Nam semen nostrum, iuxta ideæ hominis rationem, et elementorum substantiam est caro factum, carniq; commixtum: atque eius lucis virtis est ibi vnita in corpore et anima. PET. Deus ea incarnatione dicitur ne factus homo? MICH. Semen nostrum dicitur factum homo, in vmbra quadam referens similitudinem

tudinem et rationem, qua Deus verbum est factum homo. Deus verbum erat personaliter homo, et ea ipsa persona est nunc verus homo. Ideo dicitur Deus factus homo, non simpliciter, sed personæ respectu. Sicut verbum factum est, caro hæc, ita verbum factum est homo hic, qui verus est homo, non connotatiuus homo. Verbum est carnis particeps, carnem ipsam substantiæ Dei participem faciendo, vt sit vnus homo, vtriusque particeps substantiæ, et vtriusque naturæ. Ea est Dei incarnatio, vt in vna carne vnum sint Deus et homo: Deus verbum fiat homo, et homo in Deum assumptus fiat Deus. Incarnationis huius similitudinem aliam nos docet virga Aaron, quæ in terram proiecta est incarnata, caro extitit, et caro facta est, manente virgæ substantia, sicut manet verbi substantia. Serpens ipse incarnatus est virga vocatus, sicut ipse homo Iesus nunc dicitur verbum Dei, apoc. 19. Positio deitatis in carne eius dignitatem auget, speciem non mutat. Caro hæc dicitur Deus, et manet vera caro. Caro ipsa facta est verbum, sicut verbum factum est caro. Sophistarum vero dux Athanasius libro de fide sua ad Theophilum, carnem ait factam verbum, non verbum carnem. Naturam diuinam ait esse mixtam humanæ, et humanam non esse mixtam diuinæ. Quæ sunt deliramenta ridicula. Perierat iam generatio illa prior, quæ viderat et intellexerat magna Dei, et surrexerunt vice eorum alii nescientes dominum, vt in simili olim dicitur Iudicum. 2. Si mixtio est et vnio, si positio Deitatis speciem non mutat, sed dignitatem auget, totum id est caro, totum verbum homo verus. Anima est spiritus sanctus, angelus fit spiritus sanctus, et manet anima, et manet angelus. Verbum fit caro, et manet verbum. Non est verbum anihilatum, nec transelementatione aliqua in carnem conuersum: sed est informis materia, a verbo transformata, vt totum plasma sit
caro ver

caro verbum. Ipsi verbi substantiæ accessit carnis transformatæ participatio, in vnam hypostasim, vnam substantiam vnum corpus, et vnum verum hominem. Vnus est homo Iesus Christus, in se ipso diuinam et humanam naturam continens. Duos ille continet in se ipso, reconcilians ambos in vno corpore, et in vno nouo homine, vt ait Paulus Ephes. 2. Vere profecto fuit Christus nouus homo, quia nunquam antea talem hominis constitutionem nouerat mundus. Nec potest hodie mundus hunc hominem cognoscere, quia credere non vult, esse hominem ex Deo genitum. Ad huius noui hominis imaginem internus noster homo ex Deo et homine in vna substantia constat. Ex diuino et humano spiritu est in nobis vnus spiritus. Ex inspirata a Deo, et elementari nostra substantia, est in nobis vna substantialis anima. Ex archetypa superelementari, et hac elementari substantia resultat in Christo vna substantia. Lux creata et increata in Christo fuerunt vna lux. Si totam illam animam mundi, seu spiritum illum, qui omnia viuificabat, seorsim consideres, ex ea, et ex anima humana constituit in Christo vna substantialis anima. Diuinorum cum humanis coniunctio nunquam sciindit entis vnitatem magis, quam animæ, aut spiritus cum corpore. Hoc in corporibus nostris post resurrectionem ostenditur, quando etiam secundum corpus erimus participes Christi diuinitatis et vnum cum Deo. Idipsum in vnitae spiritus nunc ostenditur, quando efficimur vnus spiritus cum eo. Ostenditur et in eo, quod ait Christus, Ego et pater vnum sumus. Omnium creatorum elementorum increatorumque et corporis et animæ, et spiritus, cum Deo vnitas concluditur, in eo solo, quod dicitur, Ego et pater vnum sumus. Substantialiter est Christus vnum cum Deo, nos substantialiter esse faciens vnum cum eo. PET. Hanc vnitatem substantiæ Christi non ita intelligunt sophistæ, sed

fed aggregatiuam faciunt, ne si sit substantia, sit quarta persona in diuinis. MICH. Verbum Homusion, quod ipsi totius ore iactant, non intelligunt huc referendum, quod homo Iesus Christus dicatur homusios, consubstantialis Deo. Vnionem hypostaticam vocant, quam non intelligunt esse vere hypostaticam, id est, substantialem. Nam si substantialis est vnio, vna inde substantia resultat. Nequeunt ipsi intelligere eam prophetis decantatam vnus germinis et plasmatis generationem. Nequeunt intelligere ex superna et inferna, ex paterna et materna substantia vnum plasma generari. Nequeunt intelligere substantiam verbi, et substantiam carnis, esse vnā substantiam, sicut substantia viri et substantia vxoris in vnā embryonis carnem coalescunt. Eo mysterio Deus et homo vnum sunt in Christo, quo vir et vxor vnum sunt in vna filii carne. Magnum est Paulo mysterium, quod Deus sit in carne manifestatus. Magnum est mysterium, quod caro illa sit Deo homusios, in vnā hypostasim ei connexa. Ita Deus coaluit cum humana natura, vt illam extolleret, filium sibi hominem generando. Vnus Christus diuina et humana, in vnus sui corporis plasmate recapitulat, sicut et reliqua omnia vnum in ipso sunt. Creatura et increata vnum in ipso sunt. Deus et homo vnum in ipso sunt. Cælum et terra vnum in ipso sunt. Quam perdit in hac re sit erratum, docet Epistola Athanasii ad Epictetum, quam Epiphanius et Cyrillus, summis laudibus extollunt. Fortiter ibi negatur, corpus Christi facere vnā substantiam cum verbo. Infernum adiunt talia eructasse, cum sint ipsi plusquam infernali furore perciti. Theognostum, et Dionysium Alexandrinum pro se citant Nicæni patres, vt in eorum decreto contra Eusebium refert Athanasius: cum tamen ipsi aperte ibi docuerint, Christum hominem esse eiusdem essentiae cum Deo, seu facere vnā substantiam cum eo. Idipsum Origines et Cyprianus antea docue

docuerunt, vt primo libro citauī. Hominem dixerunt esse vnum cum Deo in expositione illius dicti, Ego et pater vnum sumus. Hæc sunt verba Origenis libro tertio contra Celsū, Christi mortale corpus, et anima in ipso humana cum Deo habuerunt non modo communionem, sed vnitatem, ita vt diuinitatis participatione, in Deum commutata transierint. PET. Specie ais Christum a nobis non differre. MICH. Eadem enim species, et eadem veri hominis idea, Deitatis positio, vt antea dixi, non mutat speciem: cum præsertim deitas ipsa Christi nobis dispensetur. Deitatis positio non solum non mutat speciem, sed nec indiuidui soluit vnitatem. Imo deitas ipsa omnem speciei et indiuidui vnitatem facit. In resurrectione transformabitur caro nostra: at non propterea erimus alterius speciei, quam nunc sumus. Aliam speciem diceret Porphyrius, qui rationale et mortale ait esse propriam speciei hominis differentiam. Ego eandem speciem et idem indiuiduum, post resurrectionem esse dico: sicut est idem indiuiduum pueri et senis, licet a puero ad senem sint materia, et forma, et anima mutata. Qui Porphyrio adhærent, etiam dicerent, nos post baptismi regenerationem esse alterius speciei, quam antea eramus, cum anima ibi deitatem acquirat, et incorruptibilem substantiam. Dicendum ergo, Deitatis acquisitione non mutari speciem, nec in anima, nec in toto homine. Atque ita est Christus eiusdem speciei nobiscum, vere homo. PET. Vnitatem hanc in omnibus facit, et sustinet Deus. MICH. Solus Deus est vnitās, cuius rei in vna idea dans, vt vnum sit. Alioqui velut in puluerem et nihilum partes sine vnitāte conciderent, nisi inde sustinerentur. PET. Omnia ergo sunt composita, nihil simplex, nihil in se ens. MICH. Vniuersali quadam ratione omnia componuntur ex Deo, seu ex ipso constant. Omnia ex Deo. Omnia ex ipso, per ipsum, et in ipso. Solus Deus est per se ens. Solus Deus est, ipsa simplicitas, forma et essentia: a quo reliqua compositionem

tionem, constitutionem, formationem et dependentiam habent. Solus ipse est vita reliqua viuificans, et suis modis constituens, etiam angelos et animas. Hinc Trismegistus ad Tatium ait, Deum esse comprehensionem et constitutionem rerum omnium. Hinc reliqui post ipsum, solas ideas esse simplices aiunt, ex quibus alia constent. Apud Ieremiam capite decimo, Deus dicitur vita omnium, formator omnium, et essentia-
tor omnium etiam cælestium, vt dicebamus in Iehovah Zebaoth. Ergo et cælestia in ipso essentiam et constitutionem habent. Angeli et animæ ex eius substantia constant. PET. Carnis Christi constitutio mirabilis est, et exemplar constitutionis aliorum. Vnde et eam de cælo descendisse, manifeste sequitur. MICH. Caro Christi substantiam habens verbi corporaliter, substantialem ipsum vitalem spiritum diuinum, et lucis Dei formam substantialem, est vere cælestis de cælo et de substantia Dei. Illa est caro verbi, ^{Caro} ^{verbi.} caro Dei, existentiam habens æternam. Verba Christi sunt manifesta, quibus se et carnem suam de cælo descendisse clamat. Ioan. 6. Typus manna e cælo dati id ipsum probat. Descensus manna carni Christi est tribuendus, quia illa est cibus per illum cibum figuratus. Item secundus homo Christus venit de cælo cælestis 1. Corin. 15. Ipse quem ascendentem vidimus, est ille, qui prius descenderat, Ephes. 4. Corpus ipsum Christi et Caro ipsa, habuit initio illam gloriam in cælo, ad quam nunc glorificatur. Ioan. 17. Caro ipsa Christi est cibus, quem cibum Deus pater consignauit dicto capi. 6. Ibi ostenditur Deus esse pater huius cibi, a se consignati, et sigillati, tota Deitatis plenitudine in eum impressa. Deus est pater huius cibi, pater huius carnis, quod negant sophistæ. Caro ipsa est vitis, et pater eius agricola, Ioan. 15. Ergo Deus pater huius vitis, est pater huius carnis, pater ~~veri~~ hominis. Nisi caro
ipsa

ipsa Christi esset cælestis de substantia Dei, et corporalis deitas, non esset ex Deo genita, et ita non esset filius Dei. Nisi res ita haberet, non diceretur caro illa habere incorruptibilem formam et corruptionem pati non potuisse. Nisi res ita haberet, non posset ab ipsa Christi carne tanti ecclesiæ corporis structura fieri in carnem vnam. Nisi diuina esset, non esset multis in vna cæna communicabilis, nec Dei membra nos faceret. Nec caro illa pœnam pro nobis luens, homines Deo reconciliare sufficeret, nec ea, quæ in cælis et in terra sunt, instaurare. Sed nulla clarior probatio, quam si perpendas, esse ex Deo genitam et natam. Nam si ex Deo genita est, a naturali origine habuit substantiam diuinam. Magnum haud dubie est in carne Christi mysterium, si in ea carne videtur Deus, et est corporalis Deitas. Qui non concedunt, carnem Christi esse consubstantialem Deo, inaniter se Christi diuinitatem defendere nugantur. Chimæras enim impossibiles defendunt, non Christum. Nulla alia commodiore via potuit satan in regno Antichristi deitatem Christi obscurare, quam prætextu inuisibilis filii hominem Christum puram creaturam facere: quod a Christiano quouis Deus auertat. PET. Non est igitur concedendum, hominem Christum esse creaturam? MICH. Verus ille Messias Iesus crucifixus, Dei et hominis participationem habet, vt non potuerit dici creatura, sed particeps creaturarum. Id pulchre docet apostolus. Heb. 1. 2. et 3. et psal. 44. Nam ille vnctus est præ aliis participibus suis, omnibus creaturis, et ipse earum particeps est factus. Ipse Christus qui sanctificat, et nos qui sanctificamur, ex eodem plasmate participamus et ex eodem Deo sumus: ideo nos fratres ibidem vocat. Etenim decuit, si ipse tanquam princeps, et pontifex salutis nostræ nos saluos facturum erat, vt ipse sicut et nos, carnis et sanguinis esset particeps, vt ibidem ait Paulus. Præterea, creaturarum particeps esse notatur, in eo quod dicitur

etur primogenitus earum Colos. 1. et initium creaturarum Dei apoc. 3. Participationem habet Dei et hominis, sicut tu patris et matris. Participationem habet creatoris et creaturæ. PET. Videtur etiam in spiritu sancto esse participatio creaturæ. MICH. Eares Macedonium, Eunomium et metaphysicos alios fefellit, qui spiritum sanctum esse dixerunt puram creaturam. Dispensationem tantorum mysteriorum suis sophismatibus illi ignorarunt, et humani spiritus per Christum factam glorificationem, ut unus sit cum Deo nouus spiritus. Sicut verbum Dei est hypostatice homo, ita spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis. Sicut nomen verbi communicatur homini, ita nomen spiritus sancti communicatur spiritui hominis. In substantia spiritus sancti continetur Christi halitus incorruptibilis. Spiritus ipse Christi, qui erat Deus, dicitur in resurrectione innouatus: quia erat ex diuino et humano spiritu unus spiritus: qui ob nouam gloriam dicitur innouatus, et ob nouam incorruptibilis halitus creaturam, quam in se substantialiter continet spiritus Christi sanctus. Non spirat nunc Christus corruptibilem aërem, ut ante passionem spirabat. Incorruptibilem spirat in cordibus nostris, et deitatem ipsam in vna hypostasi, id totum suo halitu nobis communicans. PET. Alia hinc dicitur persona patris, alia persona filii, alia persona spiritus sancti. MICH. Visus manifestatione, locutionis modo, actionis proprietate, modis quibusdam, seu dispensatione multiplici, dicitur alia persona patris, alia persona filii, alia persona spiritus sancti. Realis quoque est distinctio ratione adiunctæ creaturæ. Quanquam spiritus sanctus pura Deitas intelligatur, semper peculiaris est deitatis modus, cuius ad creatum Christi halitum adiunctio non mutat speciem, ut dixi, nec nomen mutat spiritus sancti. Vnde totam nunc collige trinitatis rationem. Pater est Deus, filius est

s.

Deus

Deus, spiritus sanctus est Deus. Pater non est filius, nec filius est spiritus sanctus, nec spiritus sanctus est Pater. Iuxta personæ proprietatem in filio videtur a nobis pater, et in spiritu sancto intus a nobis videtur filius. Realiter differt filius a patre, et a filio spiritus sanctus, non essentialiter, quia est eadem deitatis essentia. Pater est totius dispensationis, et deitatis origo, simpliciter Deus, sine creaturæ admixtione vel participatione aliqua, in se consideratus incomprehensibilis. Filius deitatem habet patris, cum corporali participatione creaturæ. Spiritus sanctus deitatem habet patris et filii, creaturæ quoque participationem a filio accipiens, per quem procedit et in nos proficiscitur. Est itaque concedendum, in spiritu sancto esse creaturæ participationem, seu essentialem communicationem. Communicationem hypostaticam habet cum halitu ipso aëreo non corruptibili, sed incorruptibili, qualis est substantialiter in Christo, et in vere regnitis, quorum spiritus est per potentiam resurrectionis Christi, vere innovatus et incorruptibilis factus. Miro artificio ex re corruptibili facit Deus incorruptibilem in resurrectione et regeneratione. Magno gratiæ mysterio hoc fit a Deo per Christum mediatorem, ut intelligamus, nihil eorum, quæ in se sunt Christum nobis denegare, imo se ipsum totum, secundum spiritum et corpus nobis donare. Hinc intelligimus, nos secundum carnem resuscitandos, qui secundum spiritum nunc resurgimus resuscitati Christi vere participes facti, iam intus incorruptibiles et communicationem veram habentes incorruptibilis substantiæ carnis Christi. Ut spiritu nunc incorruptibiliter glorificamur, quando spiritu in baptismo resurgimus: ita secundum carnem resurgentes secundum carnem glorificabimur,

mur, instar Christi gloriose resurgentis. PET. Tertium esse dixisti, quod iam hic patefit, admirandum resurrectionis Christi mysterium. MICH. Post incarnationem et mortem est admiranda et gloriosa Christi resurrectio sequuta : per quam illud esse creaturæ, illud esse humanitatis, seu passibilis et mortalis hominis, ac si esset res accidentalis, est totum omissum. Nihil est in Christo, quod sit animale, sed est totum corpus spirituale. Per resurrectionem est caro Christi glorificata ad eam gloriam, quam habuit verbum apud Deum, Ioan. 17. Vt per incarnationem verbum effici carnem et creaturam, quis dixerit, ita contra, carnem per resurrectionem desinere esse creaturam, sit eadem ratione dicturus. PET. Quonam modo, illud esse creaturæ potest deponi? MICH. Hoc esse creaturæ nos in resurrectione corporis nostri deponemus, sicut nunc in spiritali regeneratione, internus noster homo fit Deus. In futuro seculo forma substantialis corporis nostri non erit creatæ lucis forma. Ideo illud esse creaturæ ea ratione deponemus. Quia ipsum esse, ab ipsa denominatur forma, sicut forma est, quæ dat esse rei. Atque ita deposito esse creatæ formæ, illud esse creaturæ deponetur. Forma substantialis corporis Christi nullum creatæ solaris lucis participationem nunc habet: quam tamen ante resurrectionem habuit Christus, non solum in carne, sed in anima, quemadmodum et nos habemus. Sicut in finali resurrectione abolebitur corruptibilis hæc lux solis et lunæ, nec alia lux supererit, quam ipsa essentia Dei claritas. Esa. 60. apoc. 21. et 22. ita quod ad Christum adtinet, in eius resurrectione id factum est, vt corpus Christi resuscitatum solam habeat increatæ lucis Dei substantialem formam,

qualis ab æterno erat substantialis lux verbi diuini. Sicut in rebus his inferioribus maius lumen tollit minus, ita tunc fiet, vt sola ibi lux Christi supersit, sicut illa sola erat in archetypo, antequam solis lux crearetur. Fragilis est hæc lux, quæ facile destruitur, et fragilis mundus hic, in ea formatus. Nihil facilius destrui videmus, quam lucem candelæ et spiritum soni. Ideo lux hæc tunc non supererit, nec spiritus soni creati. Sicut ea, quæ in futuro seculo sunt permanfura, permanentem iam nunc habent substantiam, vt elementorum materiæ cum ipsa anima: ita et quæ sunt anihilanda, iam nunc anihilantur, vt formæ lucis creatæ, et spiritus soni creati. Nec id, quod nunc videmus, nec id, quod audimus, nec id, quod gustamus, tangimus, aut olfacimus, tunc supererit: sed Deum videbimus, audiemus, olfaciemus, gustabimus, et tangemus. Exuenda itaque nobis est mortalitatis forma. Ac nihilominus dicetur idem indiuiduum, quia eadem cum anima manet idea diuina, tametsi reliqua mutantur, vt diximus de puero et sene. Caro ipsa Christi non erat talis ante resurrectionem, qualis nunc est. Etiam viuens fuisset immutata et transmutata, sicut corpora viuentia hora finalis resurrectionis immutabuntur et transformabuntur, vt ait Paulus. Transmutatio vera carnis erit in diuinam formam translatio. PET. Non est igitur eadem caro, si non est eadem creata forma. MICH. Eadem caro est, et eadem increata forma. Positio deitatis loco cuiusvis formæ, nec speciem mutat rei, nec indiuiduum destruit, imo a destructione seruat. Identitas principaliter est ab idea diuina manente et ab anima. Forma illa lucis erat ab idea diuina, in ea consistebat, velut eius vices ad tempus agens. Sola ideæ diuinæ manifestatione tam lucida euanesceat fragilis illa creata lux. Sicut itaque maior lux nunc exinanit minorem, ita in resurrectione fiet, ob magnam vim lucis diuinæ, omnia transformantis et glorificantis. Non
sup

supererit minor lux, in præsentia maioris. Ratio est cum experientia et scripturæ auctoritate. Experientia nos nunc docet Deus, quæ permaneant, vel non permaneant, anihilentur, vel non anihilentur. Si quis nullis horum mouetur, dicat creatam lucem simul cum increata mansuram. Nos dicimus non mansuram, tum quia fragilis, tum quia frustra, tum etiam quia lucis creatæ fons sol ipse non manebit. Id quod annihilatur, non est resurrectionis capax. Imo non diceretur tunc resurrectio, sed iterum ex nihilo creatio. Denique scripturis nos credimus, quæ aperte docent, non mansuram aliquam solis aut lunæ lucem. Non est porro valde contendendum, an sit eadem caro, cum Paulus dicat, non fore singulis in resurrectione corpus idem, quod prius fuit, sed Deus dabit corpus, ut volet. 1. Cor. 15. PET. Magna est gloria resurrectionis Christi, ad cuius analogiam erit resurrectio nostra. Transformabitur caro nostra, et conformis fiet corpori Christi glorioso. Phil. 3. MICH. Iam aperte cernis illam Christi in Deo consummatam et ab esse creaturæ separatam gloriam. Seclusa deitate non potest in Christo homo aliquis intelligi, qualem esse humanitatem, seu purum hominem, in eo sophistæ tradunt. Si deitatem tollas, soluitur in eo hominis vnitas et essentia. Quando igitur hominem dicimus et carnem Christi dicimus, ibi et diuinitatem comprehendimus. PET. Christus est genitus ex femine Daudis secundum Carnem: ergo erat caro creata? MICH. Carnis Christi diuinitatem vidisti vere substantialem. Quia vero caro dicitur id quod a spiritu secernitur, carnis nomine licet aliquando intelligere carnis materiam creatam. Dicitur Christus factus ex femine Daudis secundum carnem, id est, creaturam carnis, aut humanam materiam. Aut secundum carnem, quia in carne continetur id totum, quod est humanæ propagationis, et a carne spiritui aliquid communicatur. Vere tamen

non est Christi caro pura creatura. Non est in Christo illa sophistarum humanitas, quæ eis est purus homo, pura creatura. Quia non est in eo hominis forma creata, sicut nec in nobis erit post resurrectionem. Esto, esset nunc in eo forma lucis creatæ, ut erat, quando in terris agebat; adhuc non est in eo talis purus homo. Seclusa enim deitate anima non est anima, caro non est caro, homo non est homo. Seclusa ergo Deitate non est in Christo aliquis purus homo. Si in rebus aliis ideam diuinam excludas, nihil dicitur lapis, nihil aurum, nihil caro, nihil anima, nihil homo: cum idea diuina sit, quæ dat esse specificum et indiuiduale, et quæ ipsi formæ creatæ dat esse formæ. Ergo in Christo, si deitatem excludas, nec est forma, nec homo. Christus ipse est idearum pelagus æternum, qui in rebus omnibus, per ideas adumbrari fecit, et secundaria quadam ratione præstitit id quod in ipso solo originalis deitas primo realiter ac substantialiter præstat. Nunquam Christum cognoscet, qui rerum creaturarum analogias despicit, et discursus varios a creaturis ad creatorem: cum præfertim ipse Christus, principium, primogenitus et caput creaturarum, se habeat ad creaturas, ut caput ad membra. Inseparabilis a re quauis est idea, ut a filio Dei deitas. Inseparabilis est, sicut quibusdam dicitur inseparabilis quantitas a re quanta, et figura a re figurata. Imo idea ipsa est quantitas rei, idea est figura, idea est vnitas. Hanc ab idea imaginem, seu munus hoc, ad tempus accipit cuiusvis rei forma, ab idea ipsa formata. Temporalis ergo lucis forma non habet æternitatem illam, post resurrectionem futuram. PET. Resurrectionis Christi gloriam ea res facit illustriorem. MICH. Tanta est resurrectionis Christi gloria et potentia, usque adeo est ipse in Deum assumptus, ut nihil maius possit quis in Deo excogitare. Sublimius quam ante est ipse tunc factus

factus filius patri magis similis, omni ex parte incorruptibilis, gloriosus et potens. Talis per resurrectionem factus est regressus de homine in Deum, qualis per incarnationem fuit exitus de verbo in carnem. Quod ipsemet Christus abunde testatur. Nam filium hominis ait ascensurum eo, ubi erat prius. Ioan. 6. et eodem, vnde exierat, rediturum. Ioan. 16. et ad eandem gloriam. Ioan. 17. Sicut a summo cælo egressio eius, ita recursus eius ad summum eius psal. 18. Diuina descenderunt ad humana, vt humana ascenderent ad diuina. Ille ipse homo Christus Iesus est in tantam gloriam et potentiam euectus, vt nihil maius dicere possis. Ille ipse Iesus crucifixus est æqualis Deo. Non est alia Dei potentia, quam ipse, qui ideo dicitur esse potentia, virtus, et fortitudo Dei. Imo ad maiorem gloriam, quam fuerit verbi gloria, est nunc Christus glorificatus, ratione maiorum donorum. Gloria illa spiritus regenerationis sancti, nunquam antea talis fuit. Vnde et cæli facti sunt noui, incorruptibiles, qui antea erant corruptibiles. Nouum quoque et cæleste in nobis regnum. Plus artificii habet ipsa Christi resurrectio et noui hominis in nobis creatio, quam tota illa prior mundi creatio: cum ibi fuerint facta corruptibilia, hic incorruptibilia: ibi vmbra, hic veritas. PET. Si totam habet Christus Dei potentiam, non est res finita. MICH. Ille, qui omnem habet Dei potentiam, cuius sunt omnia, quæ habet Deus, non est res finita: imo infinita, et intellectu et potentia, et duratione et loci ratione. Non est certi loci capacitate finitus Christus, sed est, vbique vult, sine locali motu. Extra omne quantitatis corpus est spirituale corpus in nouo cælo, superiora, et inferiora sui plenitudine implens, Ephes. 4. Ipse est ille, qui se cælum et terram implere dixit. Iere. 23. Imo illud fuit huius vmbra. Christus omnia im-

plens, etiam illam prophetiam implet, omni plenitudinis genere. Propter hunc hominem fecit Deus mundum, et ab ipso mundus repletur, ait Petrus lib. 8. Clementis. Hic descendit ad inferiora inferni, et ascendit ad superiorum suprema, ut impleret omnia teste Paulo. Ipse ambulat super pennas ventorum psal. 103. equitat per æthera, loca angelis inhabitata, עֲרֻבוֹת araboth, psal. 67. fedet in circuitu terræ, cælum palmo suo, et manu aquas maris metitur. Esa. 40. Aequè est nunc prope nos Christus Phil. 4. sicut olim, quando dixit, Deus de propinquo ego sum, Iere. 23. Aequè proprie sicut olim, est nunc cælum sedes eius, et terra scabellum pedum eius. Imo ibi vehit figurali signo, ostenduntur ea, quæ nunc sunt, et in ipso vere implentur. Aequè proprie ambulat nunc Christus in medio nostri, sicut olim ambulabat per medium castrorum Israël. Deut. 23. Ambulat nunc Christus in medio candelabrorum, id est, in medio ecclesiarum, ut aperte docet apocalypsis. Ecce nunc tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Atrium nostrum interius est locus, in quo vere habitat Christus inter filios Israël, Ezech. 43. Ponam, inquit, sanctuarium meum in medio eorum, et erit habitaculum meum in eis, Ezech. 37. Non est Christus in certa parte cæli, ut quidam putant. Locus eius non est quærendus inter elementa, nec inter stellas, nec in tertio cælo. Non mansit Christus in certa parte cæli, sed supra omnes cælos, et intra nos est. Carnalem habent sensum, qui argumento fitus dexteræ patris Christum a nobis eripiunt. Quæ res potius probaret, ipsum non esse ad dexteram patris. Sed ipsi putant, Christum esse animaleminem, et dextram dei esse affixum aliquod. Aut certe putant, carnem Christi esse in cælo positam, ut sit spectaculum volatilibus cæli. Nos autem dicimus, quod sit Christus in eo cælo, ad quod angeli non pertingunt. Est in tertio cælo, ubi et vnde omnia implet. Etra omnem locum

locum, et extra omne quantitatis corpus, est spirituale corpus, in nouo cælo, quod intra nos est. In solo Christo est Deus, et in eo est omnis deitatis origo. Nullibi spirat Deus, nisi per spiritum Christi: nemini loquitur, nisi voce Christi: neminem illuminat, nisi lumine Christi. Corpus Christi est multis in cæna communicabile, mirabili nexu nos in vnum connectens, vt simus membra corporis eius ex carne eius, et ex ossibus eius. Corpus Christi, et corpus ecclesiæ sunt vna caro, sicut caro viri et caro vxoris sunt vna caro. Sicut Eua constabat ex carne et ossibus Adæ, ita ecclesia constat ex carne et ossibus Christi. In qua re mysterium magnum exclamat Paulus. Ephes. 5. Aliud simile mysterium est manifestatio Dei in carne 1. Timot. 3. Ecce tria similia mysteria, Adam et Eua sunt vna caro, Christus et ecclesia sunt vna caro, Deus et homo sunt vna caro. Tria hæc simul notauit Paulus dicens, Caput vxoris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus, 1. Cor. 11. idque semper per realem capitis cum corpore coniunctionem, alioqui monstrum erit, si corpus a capite separet. Animaduerte quæso trium horum mysteriorum similem rationem. Vt Deus cum homine vna caro efficitur per incarnationem, ita vxor cum viro in vnâ prolis carnem coalescit, et Christus cum ecclesia vnâ carnem vere facit in cæna. Manifestus est igitur error illorum, qui Christum manducari negant, et eum in solo vno cæli loco conclusum contineri volunt. Deum vbi sit, nesciunt, qui Christum ignorant. Nunquam aliquid de Deo in mundo habuimus, nisi Christum, nec aliud vnquam habituri sumus vsque ad diem iudicii, in quo nos Christus coram Deo patre presentabit. Hæc omnia tibi abunde suppeditabit ipse Christus Ioan. 14. si eius verba non oscitanter legas. Nam sicut ad quæstionem de visione, ita ad quæstionem de via et loco, illatio sequitur ex illis Christi verbis, Nonne credis, quod pater in me est? Pater in me

manens ipse facit opera. Quod verum non esset, si alicubi aliqua opera extra ipsum faceret pater. Sicut per ipsum omnia facta sunt, ita per ipsum omnia nunc fiunt, et sine ipso fit nihil. Nec in cælo, nec in terra, aliquid sine ipso existit, Ioan. 1. Ipse est rerum omnium essentia, ut de Iehouah dicebamus. Ipse est Iehouah, et rerum naturalium principium. Splendor ille, qui est forma rei cuiusvis, a Christo est, et Christo inest. Omnia in ipso consistunt, Colos. 1. Ipse fert et sustinet et portat omnia verbo virtutis suæ. Hebr. 1. ipse fecit nos, sustinet nos, et portat nos, Esa. 46. et 63. In ipso vivimus, movemur et sumus, acto. 17. Ipse vivificat omnia. 1. Timot. 6. Ipse suo spiritu vitam omnium fouet, creat et recreat psal. 103. Ipse est vita nostra, et longitudo dierum nostrorum, Deut. 30. Sine Christo denique nihil fieri potest, nihil videri, nihil audiri. Lux hæc, quam oculis vides, splendor est Christi, seu eius lucis similitudo quædam et ei insita. Sonus quem audis, spiritus est Christi. Nihil est in mundo creatum, in quo non reluceat et agat creator. Omnibus mundi rebus immixtus est ipse Deus, ipsa splendoris Christi forma et vivificans ipse Christi spiritus. PET. Videndo ergo rem quamvis, non solum videtur Deus, sed et videtur Christus? MICH. Quodam modo et credentibus: quia in rem quamvis diffunditur lux Christi. Primario tamen in Christo ipso videtur Deus. In re quavis pene palpatur Deus, acto. 17. sed primario in Christo. In creaturis omnibus sentitur odor quidam virtutis Dei, sed primario in Christo. Deus est in omnibus, sed primario in Christo: in quo solo vera et naturalis unio deifica, hypostatica, admirabilis. In rebus omnibus est symbolum deitatis Christi, dispensatio deitatis secundaria et lux secundaria creata. In Christo vero est substantialis tota deitas, et lux ipsa primaria increata. In eo sunt rerum ideæ primæ scilicet in

cet in eius intellectu, deinde in rebus ipsis. Ideæ primæ, vt ante creationem erant in sapientia dei, velut in anima quadam, ita nunc sunt in intellectu Christi infinito, in ipsa anima Christi. In anima Christi est rerum omnium notitia, etiam capillorum capitis, in eo est omnium tota plenitudo. In eo est omnium exemplaris cognitio, et re ipsa in eo sunt rerum omnium principia, ab ipso Christo in creaturas omnes fluunt essentiæ: instar secundæ solaris lucis ab eo varie radiat deitas ac ideales ipsæ formæ. Innumeri sunt gradus in corporalibus et spiritualibus. sicut solaris huius lucis sunt multi gradus. Imò et post resurrectionem, licet nulla erit lux solis, nihilominus erunt varii claritatis Dei et gloriæ gradus, sicut stella a stella differt in claritate. Christus semper erit vt sol, et alii postea suis ordinibus siti. Vnusquisque in proprio ordine, sed primitiæ Christus 1. Cor. 15. Vt nunc est in Christo tota deitatis plenitudo, ita illa eadem erat ab æterno in forma hominis.

PET. Solam simplicem prædestinationem hominis Christi Sophistæ cogitant, vt de nobis fuisse dicunt parem in Deo præfinitionem. MICH. Quam grauiter errent, ex nobis ipsis facile nunc percipies. Si membra a se inuicem discernas, capitis summam discretionem colliges. Vt quisque nostrum habet variū donum, ita est ab æterno varie prædestinatus. Substantialis lucis, et gloriæ sedes, alia est huic, alia illi ab æterno parata. Ergo non est de nobis sola simplex et par prædestinatio. Quid iam de capite ipso dices? In eo sumus nos prædestinati, in eo omnes continemur, et ab eo omnes pendemus. Vt nunc sunt diuersi rerum ordines in Deo, ita ab æterno erant in eo, et princeps omnium ordinum Christus. Hunc ordinem in Deo æternum cogita, et Christum ipsum super omnia constitutum. Nos vere, quid fuerit *λογος* in Deo, intelligere a priori non possu

possumus, nisi a posteriori exordiamur, intrando per ostium, per Christum ipsum. In qua re est a Sophistis omnibus erratum. Hoc dico oportere nos Christum intelligere, fuisse primam Dei cogitationem seu idealem rationem. In Christo nos cogitare debemus ipsam lucis Dei plenitudinem, et eandem olim in eadem forma dicere logon et Elohim. Christum vnicum scopum tenere debemus, ut totum verbi arcantum fuerit olim futuri hominis gloria. Sine sui mutatione se ab æterno Deus talem exhibere voluit et potuit. Sine sui mutatione Deus hos magis diligit, illos minus, et omnium maxime Christum. Sine sui mutatione Deus his magis vnitur, illis minus, et omnium maxime Christo. Non est mutatio in Deo, sed in rebus ipsis, quæ suis ordinibus Deo appropinquant. Ineffabiles sunt modi, quibus Deus omnia sustinet, omnibus vnitur, et in rebus omnibus agit. Imo Christus ipse est, qui omnia in omnibus operatur, et Deus per ipsum. Quis neget, Deum hoc posse per Christum, cum et per Deitatem, quæ est in re quavis, possit nouum mundum creare, et rem ipsam in omnibus operantem facere? Quanto magis Christus nunc omnia in omnibus operatur, cum sit in eo tota deitatis plenitudo? PET. Operatur ergo ille opus peccati, peccatum ipsum, in diabolo et in homine? MICH. Stoici et magi cum suo seruo arbitrio id fateri cogerentur. Non bene concluditur seruum arbitrium ex eo, quod Deus agit in nobis. Nam Deus agit in nobis hoc ipsum, ut libere agamus. Artificium est mirabile, et actionis diuinæ varii sunt modi, sicut est multiplex virtus et spiritus eius. Ac si actio non esset declarata peccatum, ipse virtute naturali sustentat et agit ad essentiam facti: nihilominus bonus spiritus occurrit, dictans ne agatur. Factum Deus odit, et naturalem faciendi opem non denegat. Tale vult esse artificium facultatis liberæ, cui adscribitur ratio peccandi. Sicut Deus liber est, ita liberam
illam

Illam facultatem, ut vult, varie communicat. Seruum in ipso creatore esse arbitrium, nos concluderemus, si in creaturis nihil nisi seruum arbitrium relucere videremus: in iis præsertim, quæ sunt vera Dei imago, et in quibus mens diuina relucet. Si Christus habet plene liberum arbitrium, et nos aliquid habemus, eius spiritu et libertate donati, eiusque in omnibus vere participes. Sed de his alibi. Hoc nunc, ne gloriæ Christi aliquid desit, firmiter asserimus, ipsum Christum habere liberum arbitrium, sicut libere ipse omnia potest, ita libere potest eos, qui a seruo arbitrio hodie fascinantur, ad sanam mentem reducere. PET. Hac ratione illi mouentur, Quæ Deus antea cognouit, et ordinauit, non possunt nunc aliter habere. MICH. Falsa suppositione tempus illi in Deo supponunt, unde et falsum inferunt. Quæ nunc fiunt, non solum ab æterno cognoscit Deus, sed videt sibi præsentia: libere fieri videt, et ita ordinat. Alioqui nec Christus ipse liber est in factis suis, quia Deus iuxta eorum rationem antea cognouit et ordinauit. Ex eo ipso, quod Deo nihil est futurum, concludit Philo in lib. de mundo, cum prouidentia stare liberum arbitrium in homine, in quo mens diuina relucet. PET. Quomodo gloriam et potentiam accepit filius in resurrectione, si naturalis sibi erat? MICH. Non est naturale, quod filius omnia, quæ patris sunt, mox possideat. Sed naturaliter debetur filio omnis hæreditas et gloria patris: idque post testamentum morte confirmatum. Eam totam patris gloriam et potentiam dispensatione diuina non plene obtinuit Christus, donec testamentum est suiipsum morte confirmatum, et ipse per passionem glorificatus. Post eam vero glorificationem omnia ita possidet Christus, ut nullum nomen, nulla gloria, nulla potentia, nullus honor, Deo tribui possit, quin sibi etiam conueniat. Quanquam dare possis aliquod peculiare nomen, quod soli patri Deo conueniat,

niat, sicut solus ille dicitur ingenuus, et pater Christi: nomen tamen aliud, quod gloriæ sit aut potentiae erga nos, filio conuenit, sicut patri: imo patri tribuitur per filium. Vnum est necessario eorum nomen, sicut ipsi vnum sunt. Verus ipse est Deus creator omnipotens, et vere Iehovah. Cui soli cum Deo Patre in substantiæ et spiritus vnitæ regnanti, sit in æternum gloria, imperium et omnis potestas. Amen.

De Fide

DE FIDE ET IUSTITIA REGNI CHRISTI

legis iustitiam superantis
et de charitate,

LIBRI TRES.

PROOEMIUM.

Ostium iam est nobis apertum, ut per illud ingressi, omnia bene semper intelligamus. Nunc ostium idem fidei Christianæ est nobis aperiendum, ut per illud ingressi, omnia bene semper agamus. Nec enim bene intelligere, nec bene agere, est hactenus nobis datum. Quis hic non lachrymetur tantam Christianismi iacturam, quod Christianos nos omnes esse dicamus, cum nec Christianam fidem sciamus, nec secundum Christianam fidem operemur? Non in fide solum iam dudum erratur, sed in charitate quoque et operibus. Christianus item a Iudæo non bene discernitur, regnum Christi nescitur, et iustificationis vis ignoratur. Iactò vero fidei Christianæ primo fundamento, non erit difficilis aliorum explicatio, quam ego tribus libris perstringere conabor. In primo, iustificantem fidem, et regnum Christi annunciabo. In secundo, legem cum euangelio conferam, et Christianum à Iudæo discernam. In tertio, charitatis cum fide collatæ vim et opera commendabo. Faxit Iesus Christus, ut bene nobis hæc omnia cedant.

LIBER PRIMVS, DE FI- DE ET IVSTITIA

regni Christi.

CAP. I. DE FIDE.

Hoc primo libro, in quatuor capita dissecto, Christianam fidem primo loco enunciabimus, secundo eius essentiam inquiremus, tertio, Christianos esse in ea iustificatos et iam saluatos, dicemus, quarto, regnum Christi iam venisse, euangelizabimus. Circa fidem Christianam sunt nostro seculo quædam ortæ quæstiones. Prima, quæ et qualis sit fides illa. Secunda, an sola iustificet. Tertia, an sit operum adiectio aliqua. Plerique hodie fidem solam iustificare, merito affirmant: at quæ sit illa fides, plane ignorant. Quod magnum est erroris indicium, quisque eorum sibi nouam fidem excogitat, quisque fidem suo nouo modo definit, et alter ab altero dissidet: nec per credendi verbum aliquis eam definire vult. Parem illam Iudæis olim fuisse contendunt, et fuisse eos nobis æquales, quasi aduentus, et regeneratio Christi nihil noui orbi contulerit, nec fœdus nouum, nec nouas creaturas. Fidem quandam varie compositam pingunt, hinc et inde se mutuo contorquentes, vt charitatem cum operibus conculecent, et baptismum cum cæna pessumdent. Quæ omnia nunc omittens, simpliciore via cum eis agendum duco, et catholicam veram fidem ita facile ostendo. Profero eis sexcentos, imo omnes scripturæ euangelicæ locos, in quibus de credendo fit mentio: Resipiscite et credite: Credis, crede, credo: Si toto corde credas: Qui crediderit, si credideris, vt credatis, Dicant nunc, quid tibi toto corde credendum

dum præcipitur? Quid credendo saluabimur? Videant, quid ad hæc passim responderit Christus. Videant, quid responderint Paulus et Silas. Roganti enim cuidam, quid illi faciendum, ut saluaretur, Responderunt, crede in dominum Iesum, et saluus eris. act. 16. Ergo in credendo consistit salus. In credendo consistit iustitia, si corde creditur ad iustitiam. Quod a credendo dicatur fides, docet ipsa vocis etymologia. Nam fides in euangelicis literis dicitur *πίσις*, a verbo *πιστεύω*, quod est credo. Hebraice a credendo dicitur fides. Vera autem vis et proprietas verbi credo, iuxta vim Hebraicæ dictionis *יָמַן* heemin est non solum assentiri, sed cum firma fiducia se ibi stabilem facere. Latine item a fidendo dicitur fides. Vere igitur credere est, firmum et fidentem credere. In quo sensu monemus accipiendum esse credendi vocabulum, ubi de vera fide agitur. Exemplo Abrahamæ, hæc fidei et credendi ratio probatur. Nam Abraham, pater credentium, quia cum firma fiducia credidit, iustificatus est Gene. 15. Idem ibi notat dictio illa heemin. In nouo testamento quotquot iustificati sunt, ideo iustificati sunt, quia firmiter crediderunt, vere crediderunt, fidendo crediderunt. Sed quid apostoli crediderunt? Quæ fuit illa Pauli tanta *πληροφορία*? Quid Petrus firmiter credidit? Credidit Iesum illum esse Christum filium Dei viui Matth. 16. et Io. 6. Hoc credendum semper Christus docuit, et ea fiducia sibi credentibus regnum suum dedit. Hoc credendum docuit Deus ipse de cælo, id repetens in Iordane, et in monte, ut esset firma magis fides. Deus ipse ita nobis de cælo euangelium prædicauit, Hic est filius meus, in quo mihi placent credentes. Crede, et Deo places. Hoc ita credendum semper docuerunt apostoli, et discipuli omnes. In hac fide sunt ipsi iustificati, sicut ait Paulus, Nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur. Galat. 2. Per hunc omnis qui credit, iustificatur act. 13. Hæc est fides de Christo, per quam

t.

iustifica

iustificati sunt sancti acto. 26. Hæc est Christus fides, purificans iustificans, et saluans, vt cum Paulo, et aliis omnibus apostolis affirmat Petrus in concilio acto. 15. Hæc fides est fundamentum ecclesiæ, ob quam dictus est Petrus beatus: quia credidit, hunc Iesum esse Christum filium Dei. Nullibi in euangelicis literis credendi verbum inuenias, vbi hoc credendum non præcipiatur. Nullibi de fide sit mentio, vbi hæc fides non intelligatur. Magnum igitur facinus est, velle fidem aliter pingere. Considera, lector, qua efficacia, quo verborum impetu, dixit Ioannes, Quisquis crediderit, quod Iesus est filius Dei, in Deo manet, et Deus in eo. Omnis qui credit, Iesum esse Christum, ex Deo natus est, Quis est, qui vicit mundum, nisi qui credit, Iesum esse filium Dei. Credentes, quod Iesus ille est filius Dei, vitam æternam habetis in nomine eius. Ipsum Christum audi, qui semper docet, opus Dei esse, et vitam æternam iam præsentem esse, si credamus, eum esse filium Dei. Ioan. 3. 4. 5. 6. et alibi passim. Nunquam aliud egit, quam vt credamus, ipsum esse filium Dei, hoc mihi est perpetuum fundamentum. Christus est mihi vnicus euangelista. Christus ipse prædicauit euangelium regni, vsque ad mortem semper se filium Dei clamans, et id credentibus fausta omnia annuncians. Pro hoc articulo mortuus est, quia filium Dei se dicebat. Omnes apostolorum prædicationes hoc ipsum agunt, vt hunc Iesum persuaderent omnibus esse Christum filium Dei, saluatorem mundi. Ad huius fidei Christi prædicationem destinatus est apostolatus Pauli, acto. 26. Ro. 1. et 16. Pro hac fide orauit Christus pro Petro, ne deficeret fides eius, scilicet, qua ipsum esse filium Dei fuerat confessus. Pro nobis id credentibus patrem rogat Christus Ioan. 17. Hæc fides nos facit filios Dei, Dedit ipse potestatem, vt filii Dei fierent, qui crederent in nomen ipsius Io. 1. Filii Dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu. Gal. 3. Ex hac fide est donum spiritus sancti. Spiritum sanctum accepimus, eo quod credidimus Christo Iesu, Io. 7.

Ephe-

Ephe. 1. Gala. 3. acto. 11. et 19. Quos locos denuo vide lector omnino attendens, quid illi crediderunt, quando ibi dicitur, Postquam credidimus, et postquam credidistis. Hæc de Christo fides fecit primos Antiochiæ Christianos acto. 11. Vnde enim quis dici potest Christianus, nisi a fide Christi? An non fides Christianorum est, vere credere, hunc esse Christum? ex Deo genitum? Si tu Christianus es, quare te vere Christianum putas? Quæ est fides Christianorum? Illud insuper rogo, quid intelligis per testamentum novum? Quid per euangelium Christi? Quid prædicandum, quando apostolis dicitur, Prædicatè euangelium? Quid credendum, quando nobis dicitur, Credite euangelio? Mihi non satisfacis, librum hunc ab euangelistis conscriptum demonstrans. Nam antequam hæc scriberentur, iam erat a Christo prædicatum euangelium. In scriptis his, ut ait Lucas, est enarratio quædam, est enarratio actorum Christi, ad hoc solum tendens, ut credamus, Iesum illum esse Christum, filium Dei, saluatorem. Ita Ioannes testatur: Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Christus filius Dei, utque ita credentes vitam habeatis per nomen eius Ioan. 20. Ecce totum Christi euangelium annunciatio salutis iis, qui ita credunt. Ob eam causam scripta esse euangelia, testatur Ioannes. Ob eam causam scriptas esse epistolas, et prophetarum vaticinia, docet Petrus, ut credamus Iesum esse filium Dei 2. Pet. 1. Epistolæ omnes Pauli et aliorum, aliud nihil sunt, quam documenta ad ædificandum super hoc fundamento Christi. Iam enim eis, ad quos scribebant, Iesum illum esse Christum filium Dei prædicauerant. Antequam apostoli et euangelistæ quicquam scriberent, iam erat a Christo prædicatum euangelium, quando fausta et regnum Dei, sibi credentibus annunciabat. Iam erat super hoc solo fidei articulo fundata ecclesia, ut super petra solidissima. Iam erat per Christum promulgata doctrina fidei, et testamentum novum eius sanguine firmatum. Si ergo nescias, quod religio

t. 2.

et fi-

et fides Christianorum est credere in Iesum Christum filium Dei, dico te non esse Christianum, nec cum Christo habere fœdus aliquod. Hoc est fœdus salutis nostræ, et in signum huius fœderis arra datur spiritus sancti, de hoc dictum est, Qui non crediderit, condemnabitur. Hoc est verbum euangelii corda purificans. Hoc est omnibus apostolis prædicandum commissum. Præcepit nobis, inquit Petrus, ut prædicaremus, quod ipse est a Deo vnctus iudex viuorum et mortuorum: et quod remissionem accipit per nomen eius, quisquis credit in eum acto. 10. Sola hæc Petri prædicatio Gentes conuertebat ad fidem Christi. Cui similis est apud Iudæos, prima Pauli prædicatio acto. 9. id solum contendens, quod hic Iesus sit Christus filius Dei. Quicumque ergo non ita credit, hunc Iesum esse Christum filium Dei, nescit, quid sit euangelium, nec Christianus est, nec Christi prædicationem vnquam audiuit. Non est nobis mirandum, si prædicare Iesum esse Christum filium Dei, videretur olim Iudæis scandalum, et Gentibus stultitia: cum et hodie scandalizentur et stultum putent, qui se Christianos arbitrantur. Imo eum esse filium Dei, nec audire, nec credere volunt. Sed cum Caiapha exclamant, Blasphemauit: quia dixit, Filius Dei sum. Reus est mortis, quia filium Dei se facit. Crucifige, crucifige, quia homo cum sit, filium Dei se facit. Planissime profecto, se esse filium Dei annuntiabat, et planissime ut filius Dei agnitus est piscatoribus, centurionibus, mulieribus et rudi populo, reclamantibus semper pharisæis et sophistis. Perditissima est hæc natio, qua sublimius quid se scire putans, minus scit, quam idiotæ. Nec Deo, nec Christo sophistæ credunt. Nam ut ait Ioannes, credere Deo est credere verum esse testimonium eius, quod testatus est de filio suo 1. Ioan. 5. Testatus est autem voce de cælo facta, Hic est filius meus, Vides fidem Christi scripturis semper concludi. Qui creditis in Deum, inquit

inquit Christus, in me creditis: sicut qui videt me, videt Deum. Vide igitur et crede, lector, et noli mirari, si hanc fidem vrgeo. Semper dixi, et dico, et dicam, esse omnia scripta, vt credamus, hunc Iesum esse filium Dei. Hoc mandatum accipit Christus a patre, vt se esse Messiam declararet. Ad hoc euangelizandum missus est ipsemet Christus. Ob id mortuus, quod filium Dei se dicebat. Ipse est apostolus confessionis nostræ, eius videlicet, quam testatam fecit coram pontificibus et coram Pilato: qua ingenue confessus est, se esse filium Dei, regem Iudæorum. Paulus deinde hanc fidem semper prædicauit. Si quando de fide indefinite loquitur, mox Christi determinationem addit, vt ea fides sit fides Christi. Ex prædicationibus eius, et ex mandato de prædicando semper colligitur, eum hanc solam fidem prædicasse: licet in disputando vetera exempla ad probationem adducat. Apostolatus Pauli situs est in illis Christi verbis: Mitto te ad gentes, vt aperias oculos cæcorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem, et a potestate satanæ ad Deum: vt accipiant remissionem peccatorum, et fortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, quæ est erga me. Vides hic fidem, qua iustificati sunt sancti. Hinc Paulus continuo ingressus synagogam, illum prædicabat, quod is esset filius Dei, semper affirmans, quod is esset Christus, act. 9. Hic inquit, est Christus, quem ego annuncio vobis. act. 17. Per omne sabbatum disputans, suadebat Iudæis, Iesum esse Christum, act. 18. Fidem eandem prædicauit Præfûli Felici act. 24. Viua voce testatur, se semper hanc fidem prædicasse, act. 20. Ad hanc fidem iuxta præscriptum mandatum prædicandam se missum, scribit Romanis, Corinthiis, Galatis et aliis. Vellem cogitares, qualis tunc esset Ethnorum et Iudæorum populus, et qualis fides ex his prædicationibus acquirebatur. Claræ sunt confessiones et ostensiones fidei Ioannis baptistæ, Natanaël,

Marthæ, Samaritanæ, Centurionis, Eunuchi, surdorum audientium, cæcorum illuminatorum, et reliquorum, qui omnes de hac fide laudantur, quod fidentes crediderunt, hunc esse Messiam filium Dei. Vtinam in fide et simplicitate ipsorum, Iesum esse filium Dei crederent nunc sophistæ, absque versutis illis technis, et idiomatum cauillis.

Non est hæc historia fabula, si firma fiducia tu credas, hunc esse illum Messiam, a Deo genitum, saluatorem tuum. Per eam fiduciam a Christo ipso nunc iustificaris, etiam si fuisses nequissimus latro, Lucæ 23. Etiam si nihil fuisses operatus, sicut ille latro: et sicut Paulus ait, Ei qui non operatur Rom. 4. Non ex operibus est hæc Christi salus, ne quis glorietur Ephes. 2. 2. Tim. 1. Si gratia est, non ex operibus Rom. 11. Mera gratia est, ut Christo credentes iustificemur. Galat. 2. Per hunc Iesum omnis, qui credit, iustificatur acto, 13. Omnia inquit, a quibus non potuistis per legem iustificari, vobis nunc in Christum credentibus remittuntur. Iustitia Dei effunditur, in omnes et super omnes eos, qui credunt in Christum. Rom. 3. Iustificatio est Christus omni credenti Ro. 10. Perfecta res est iustificatio hæc, et perfectum donum, quod nunc nobis datur. Credentibus in Christum non futura promittitur salus, sed præsens donatur. Hinc ipse ait, Fides tua te saluum fecit. Saluos ille fecit nos, eripuit a potestate tenebrarum, transtulit in cæleste regnum suum, quia credidimus. Promissiones olim factæ per eam fidem tibi nunc donantur: tanta adeo vis est simplicis illius in Christum consensus, idque per gratiam. Ita placuit cælesti patri eam in filium fidem gratam habere, et nouo spiritu viuificare.

Fidem solius promissionis plerique sibi hodie fingunt, non intelligentes, quod dare sit plus, quam promittere: et quasi Christus euangelio solum promittat, non potius

potius donet. Hebræi credebant olim promissionibus, quas vere non sunt tunc assequuti, sed futuras sperabant. Nostrum autem est credere in eum, qui promissa implet, et maiora præstat, quam fuerint promissa. Credentibus in Christum datur nunc regnum cælorum, vita ipsa æterna, iam nunc præsens, et transitus de morte ad vitam. Ita Christus ait, Qui credit mihi, habet vitam æternam, transiit de morte ad vitam, et ad æternam vitam, ut cælestia iam nunc gustet. Plura et sublimiora, quam fuerint promissa, dat credentibus Christus, naturam suam diuinam, corpus suum, spiritum suum, regnum suum, seipsum totum: ut efficiamur eius participes, amici cohæredes, et conregnantes in cælis.

Historicam illi, et inutilem aiunt hanc Christi fidem: quia etiam dæmones credunt, Iesum esse filium Dei. Respondeo, Dæmones credunt et contremiscunt: nos autem fidentes credimus, et credentes accipimus. Nos credimus in filium Dei, dæmones non credunt. Dæmones formidando credunt, ipsum esse filium Dei, qui venit ad eos perdendos. Nos fidendo credimus, ipsum esse filium Dei, qui venit ad nos seruandos, et a dæmonis potestate eripiendos. Dico ego me credere, ipsum esse filium Dei pro salute mea mortuum, et resuscitatum, qui mihi omnia donat, etiam cælestia, et seipsum totum. Hæc vera fides est, firma fiducia, ac viua persuasio de Iesu filio Dei, saluatore meo, qui me sibi fidentem gratis saluat, et regno cælorum nunc donat, non tantum promittit.

Imo simpliciter credere ipsum esse filium Dei, homini facit ad salutem, et dæmoni ad pœnam. Nam modica ab initio fides postea in nobis crescit, velut ex grano exiguo facta arbor magna. Ex eo solo, quod credis, hunc esse filium Dei, reliqua consequuntur, et pro nobis, et contra dæmones. Nam si filius est Dei,

hæres est æterni regni Dei: ergo in æternum est vnctus rex, ergo Messias, ergo suorum participum et amicorum saluator, liberator et benefactor, non aduersariorum dæmonum. Pœnitentiam, ac peccatorum displicentiam hæc fides præ se fert. Non potes tu vere credere, hunc esse filium Dei, pro diluendis tuis peccatis mortuum, nisi et oderis illa pro quibus ipse tanta passus est. Spem item, atque charitatem, hæc viua fides necessario comites habet, et alia subsequen-
tia facta, vt liber tertius mox docebit. Quæ de promissionibus insuper dicere tu potes, ex fide omnia sequuntur, vt accessoria ex suo principali. Nam si credis, ipsum esse filium Dei, credis, ipsum esse in promissis veracem, et promissa omnia complere. Si credis, quod filius est Dei, credis, quod potentiam habet et bonitatem Dei, qui vt mala odit, ita bona docet. Si filius est Dei, dona Dei veniens secum adtulit rex, orbis regenerationem ipse regenitus, mortis abolitionem per mortem suam, et nouam vitam per resurrectionem suam. Regnum Dei ad homines rex ipse veniens secum adtulit, cælum nouum, et spiritum nouum, qui nouas faceret creaturas, omnia noua. Qui de his omnibus non est certo persuasus, nescit, quid sit esse filium Dei: et ita non bene credit, quod male intelligit, quanquam credere se dicat. Qui ergo faciunt Iudæos nobis æquales, nec probe credunt, nec intelligunt, ad nos venisse regem, et regnum cæleste ad nos attulisse. Innouationem per Christum ipsi nullam cognoscunt. At nos in filio Dei longe plura cognoscimus et firma esse credimus. Qui vere credit, hunc esse filium Dei, in eo omnem plenitudinem credit. Filius Dei est nobis omnia, et continet omnia, Ipse est nobis pater, frater, dominus, et amicus, Ipse est sacerdos, templum, altare, et victima, Ipse est iustificatio, redemptio, et reliqua omnia. Ad ipsum esse filium Dei, plura sequuntur, quam hic possint referri: præsertim quæ de hominibus, de potentia, et gloria,
de vi-

de visione, cultu, et adoratione Dei alibi diximus. Quæ nunc ad rem faciunt, ex hac fide manifeste sequuntur, remissio peccatorum, amicitia cum Deo, reconciliatio, iustificatio, donum spiritus, et petitiones omnes, quas in fide petimus, etiam miracula, si spiritus sanctus eo usque fidem viuificet. Multi enim sunt gradus vitæ fidei. Illa dicitur fides, ut granum sinapis, quæ cum spiritu habet virtutem incendentem. Quanquam vero eo usque non profecerimus, semper est nobis credendum, hunc Iesum esse filium Dei saluatorem credentium. Hæc est fides catholica, a tantis doctoribus prædicata, a Deo ipso de cælo loquente, a spiritu sancto visibiliter descendente, a Ioanne baptista, ab angelis, a Christo ipso, ab apostolis omnibus, discipulis omnibus, et olim a Prophetis omnibus.

CAPVT SECVNDVM.

De Fidei essentia.

Prædicationem fidei, qualis vere fuit, apertam enunciauimus, ut ita aperte omnes credamus. Nunc vero penitiora fidei requiremus, ne a sophistis rudes arguamur, qui popularia tantum docuerimus. Dicamus ergo, quæ sit ipsa fidei substantia, ubi sita sit, quæ ipsius causa, quomodo in nobis formetur, quatenus sit spontanea, et an sit actus vel habitus. Fidem essentia sua nos dicimus esse fiduciam, actum quendam, per quem certo cordis impulsu credimus Christo, et ita credendo, eius spiritu viuificamur. Voluntarius est hic actus credendi in corde situs, alium intelligendi actum adiunctum habens. Antequam vero singula prosequamur, quædam de hac re aliorum dicta referemus. Quibusdam fides est cognoscere Dei erga nos beneuolentiam. Aliis fides est apprehendere iustitiam. Aliis est ipsa persuasio de remissis peccatis. Aliis est quædam pro-

missionum stipulatio. Hi omnes sine capite sibi fingunt membra, aut secluso principali, quærunt accessoria. Primis ita respondendum: Nos fide cognoscimus, imo quod maius est, vere experimur Dei erga nos beneuolentiam: fides vero in se est credere. Fidei essentia male diffinitur esse ipsius intellectus cognitio, cum fides nec in intellectu sit, nec cognitio, licet cognitioni sit adiuncta. Ita fidei ipsi cognitionem adiungi, docuit Barnabas a Clemente Alexandrino citatus lib. 2. Stromatum. Secundis similiter dicendum: Nos fide apprehendimus, quia credendo apprehendimus et iustitiam, et reliqua Christi dona; Fides vero in se est credere. Tertiis item, Fide nobis vere remitti peccata, fidem vero in se esse de Iesu Christo filio Dei. Quartis negamus esse stipulationem. Fides non agit contra Deum, ut contra debitorem obstrictum. Fide ipsa Christi nos accipimus promissiones: ac fides ipsa est de Iesu illo crucifixo, fides vera recta tendit in ipsum Christum, ut in scopum. Ipse vero huic fidei maxime gratificans, superaddit omnia dona prædicta, ut cognoscamus apprehendamus, remissionem peccatorum et promissiones accipiamus, imo cum ipso in cælestibus nunc regnemus. Si dictis aduersariorum diffinitionibus sit locus, eadem ratione, Fidem diffiniemus esse audaciam, quia per fidem habemus audaciam Ephes. 3. Fidem esse fortitudinem, continentiam, castitatem, et alia. Imo fidem ipsam esse charitatem.

Obiiciunt alii, Fidem esse substantiam rerum sperandarum. Heb. 11. Respondeo, substantiam seu fundamentum omnium esse Christi fiduciam. Sed quare ad res tantum futuras dixit apostolus tendere fidem? Respondeo, Ad Hebræos ille scribens, et veterum Hebræorum fidem commendans fidem describit, ut Hebræis potius congruebat. Non erat eis salus præsens, ut nobis est, sed solum sperabatur futura. Ideo fides eis optime dicebatur substantia rerum sperandarum.

rum. Nobis vero fides refuscitati Christi est substantia rerum sperandarum ac etiam præsentium, sed magis sperandarum, ut et nobis definitio illa conveniat. Fides est substantia spiritualis, per quam spiritualiter subsistimus et substantialiter in Deo vivimus.

Obiiciunt deinde: Fidem non esse actum, sed habitum, ut charitatem, iustitiam, et alias animæ virtutes morales. Respondeo, Anima ipsa nostra est actus, vera *ενδελεχεια*, actio continua. Substantia lucis est, quæ lux semper est actus, agitatio continua, et iugis energia. Eius modi vivens energia est fides vera, et de substantia lucis. Tam animæ cognitiones, quam morales ipsæ virtutes, sunt omnes luminosæ formæ. Sunt actus actiui, quanquam habitus dicantur, quoniam radicanter et firmiter hærent. Eadem est substantia, et essentialis species eadem, actus et habitus. Non aliter differunt, quam lux transiens, et lux manens. Actus durans fit habitus, et actus alius superueniens, cum eo copulatur, ut lux cum luce, calor cum calore. Usque adeo fides est actus, ut etiam in dormiente agat, et crescat, teste Christo. Concedentes ergo, fidem primam ex actu fieri habitum, eam quoque postea actum dici affirmamus, ne sub illo habitus nomine sopita videatur.

Iam exploditur illud argumentum, Fidei non congruere, ut iustificet, cum fides sit in intellectu, et iustitia in voluntate. Hoc contra illos facit, qui fidem aiunt esse cognitionem. Nos cum sacris omnibus scripturis, fidem in voluntate, seu in corde esse dicimus. Ita scribitur, Tardi corde ad credendum, Lucæ 24. Corde creditur Rom. 10. Si ex toto corde acto. 8. Cor incredulum Hebr. 3. Fides in corde est, sicut a corde sunt iustitiæ, vel iniustitiæ, Matth. 15. Evangelicus sermo in corde seminatur, ubi fides nascitur, Matth. 13. Assentiri mendacio, cordis error dicitur, psal. 94. et Heb. 3.

Si fi-

Si fidei ortum verum cupis habere, animaduerte similitudinem, seu comparisonem inter fidem Christi, et alios actus internos. Nam est analogia quædam. Actus voluntatis morales, virtute innatæ nobis deitatis, aut doctrina, aut vsu ipso in corde producti, ibi radicantur in anima. Fides item de rebus mundanis, vt apud logicos et phycos accipitur fides, ab argumento aliquo et nostro erga dicentem, vel rem dictam affectu, in nobis formatur. Ad eorum omnium in corde formationem, concurrunt et iuuant notitiæ intellectus, cum voluntas non feratur in incognita. At in fide Christi formatione vltra prædicta omnia, nouo superueniente spiritus auxilio semper est opus. Ipse fidei Christi actus, mouente spiritu sancto, in corde substantialiter productus, ipsi animæ formaliter hæret, a qua productus est. Christum fides hæc in nobis format, ideam, seu formam eius refert, sicut illa prior de Christo in intellectu habita notitia, quæ ad fidei formationem concurrebat. Non est falsa Christi visio, nec falsa imago, quam nobis infundit spiritus ipse Christi, qui veram in nobis imprimit ideam filii, cum luce diuina creatam notitiam. Est enim in luce Dei referens idea.

Vt clarius adhuc rem totam explicem, fidei Christi prima formatio ad hunc habet modum. Obiectum eius primum et verum, est Iesus ille Nazareus, qui fuit a Iudæis crucifixus. Intellectus ex auditu prædicationis format de obiecto illo suas notitias, conceptus varios, et propositiones: Quod ille sit missus a Deo, verus Messias, filius Dei, qui sibi credentes recipit, iustificat, eis remissionem peccatorum donans, regnum cælorum, et vitam ipsam æternam. Qui pro nobis mortuus est, et ad Deum resurrexit, vt nos ad Deum assumat. Qui in lege promissus, omnia legis promissa in nobis implet, et qui legem ipsam pro nobis implens, ab eo nos onera_e liberat. Cordis iam ad hæc propo-
ta fu

ta superest applicatio, mouente spiritu, seu trahente patre. Hinc est a corde vera fidei ratio sumenda. Nam ea, quæ proponuntur, interim cor respuit, interim recipit, et interim recepta male seruat, vt in parabola seminantis docet Christus Matth. 13. Quod non ideo est, vt aiunt Magi et Manichæi, quod sint animæ nostræ ita necessario adstrictæ. Sed quia donatis quædam sponte abutuntur, quædam sponte seu libere bene vtuntur. Quare hic a nobis aliquid exigit Deus? Quare punit non facientes? Quia ipse dedit, vt possimus. Insanum esset a quoquam id exigere, quod ipse nullatenus potest. Et multo infanlius, eum ob id acrius punire, quam Sodomam et Gomorram. Miro artificio agit nobiscum Deus. Ipse aperit corda nostra acto. 16. Ipse potestatem dat Ioan. 1. Aliud est adstringere, aliud potestatem dare, Potestatem, optionem, et electionem liberam nobis dat Deus. Deut. 11. et 30. Iosue. 24. et Iere. 21. et Ecclesiastici. 15. Ipse pulsans non necessario cogit. Sic enim ait, Ecce sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit Ianuam, intrabo ad illum apoc. 3. Ipse dat nobis, vt pœnitere possimus, et nos nolumus Matth. 23. et apoc. 2. Ipse iuuans manum porrigit, et nos renuimus prouer. 1. Ab eo probe illuminati, et ingressi, adhuc aliquando retrocedimus, ob id merito acrius puniendi, quia in gratia data manere facilius poteramus. Exemplum aliud libertatis clarum habes in peccato primi angeli et primi hominis, quod mere liberum fuit. Nos vero quanquam simus oppressi aliquam tamen habemus superstitem deitatis, et libertatis scintillam. Eam oppressionem opportune subleuat Deus, obicem satanae tollendo, et nos illuminando, vt id intelligere et velle possimus, atque ita corde credere. Cor ergo liberum est, quod credit, fidit, sperat, et diligit Christum. Cor est incredulum, diffidit, desperat et odit. Fides a corde radicem originis ducens, transit per intellectum et terminat

minatur ad obiectum, quod est ipse Christus. Ecce qualiter est fides cognitioni coniuncta, fides ex auditu, donum Dei et in corde.

Supereſt quædam obiectio phyſica, quam contra Chryſippum proſequitur Galenus, in libris de placitis Hippocratis, et Platonis. Origo motus voluntarii videtur eſſe in cerebro, a quo procedunt nervi, et animales ſpiritus, in quibus eſt illa muſculorum motrix, et ſpontanea facultas. Ibi etiam eſt mens et viſ rationalis, vt multis ibi oſtenditur: ergo non in corde. Reſpondeo, Externo miniſterio et ſpeculationi præſicitur cerebrum. Expectatur tamen ſemper cordis imperium et conſenſus: cuius voluntas, vt per cerebri miniſterium poſt ratiocinationes intellectus ſuum velle concludit, ita per cerebri miniſterium ſe foras exeat. Animales illi ſpiritus originem habent, a vitalibus ex corde prodeuntibus, in quo eſt prima vitæ, et animæ origo. In maximis apprehenſionibus, timoribus et doloribus, in corde maxime ſentitur affectus, velut in principe loco. Ibi eſt animæ et ſpiritus capacior locus, quam in cerebri vaſculis. Illud verum eſt, quod cordis voluntas non ita imperat, ipſi intellectus rationi, quin ab ea etiam reprimatur.

Princeps vna animæ facultas eſt in cerebro, ratiocinatio intellectus, ad quam veluti difficilem, in ſublimi ſpecula ſitam, magno ingenio ſunt varia organa facta. Alia eſt in corde ſimplex facultas, deliberatio voluntatis. Non poteſt cor velle, niſi obiectum ei intellectus miniſtret, quia voluntas non fertur in incognitum, ſicut et de incognitis nulla eſt fides. Imperat cor intellectui, quia ad cordis imperium intellectus ſe operi accingit, et intellectus ratio voluntatem cordis refrenat. Intellectus ea, quæ ſunt, vel apparent vera, perſequitur: voluntas vero ea, quæ bona. Voluntas per intellectum et ſenſum in res ipſas eadem via extrorſum tendit, qua res illæ per ſenſum et intellectum ad ſe introrſum venerunt. Qua ratione dicitur viſ illa volendi,

lendi, et in intellectu esse, et in libero ipso singulorum sensuum motu: cum præsertim sit anima vna, volens, intelligens, et sentiens. Sensus proprie non est ipsa organi passio, sed passionis dignitio, quæ est in anima: ob idque eius postea recordatur anima. Ad eundem modum velle et intelligere est proprie in anima, non in organis cordis aut cerebri: sed est in eis coniunctus quidam motus: sunt prima instrumenta, agentem ibi animam continentia, ob idque eis actio tribuitur. Sunt qui cordi solam tribuunt concupiscentiam malam et iracundiam. Sed illa est a serpente carni intruso, alliciente cor et voluntatem. Alioquin cor est natura sua deitatis particeps, et bene vult. Ex his omnibus, hoc in summa colligimus, a corde esse liberam voluntatem. Fidem in corde esse aut non simpliciter liberam, cum ad eam ratiocinatio vera intellectus exigatur, et spiritus sancti motus. Nunquam tamen datur fides, nisi volenti libero.

CAPVT TERTIVM, de Iustificatione.

CHRISTIANA fide iam ostensa, eaque firmo corde retenta, ostendendum nobis est, Christianos veros esse omnes in ea, et per eam iustificatos. Id quod ex locis capite primo citatis aperte deducitur. Quibus nunc pauca adiungere sufficiet, præsertim ex Paulo. Ad iustificationes legis alludens apostolus declarat ubique, nos ex sola gratia esse iustificatos, i. e. factos iustos, quia credidimus Christo Iesu. Hoc in omnibus epistolis docet, signanter in prima ad Romanos in qua et mortem, quæ per Adam, et iniustitias, quæ per legem intrarunt, adnectit, ut magnam ostendat iustificantis Christi gratiam, quæ nos a morte illa, iniustitiis et delictis omnibus liberauit, Deo in gratiam reconciliando, quia ei credidimus. Proinde capi. 3. conclusis Iudæis et gentibus sub peccato, addit, inquit: Nunc vero, tempore isto aduentus Christi, exclusa lege, iustitia Dei est per fidem

fidem Iesu Christi omni credenti ad remissionem præteritorum peccatorum. Ergo sumus iustificati, quibus sunt remissa peccata, a tempore, quo Christo credidimus. Nunc inquit, in præsentī tempore hæc sublimis gratia facta est, quæ ex impio facit pium, iustum, et sanctum. Adducit capite quarto exemplum Abrahamæ, ad hunc modum iustificati. Sicut imputatum est ei ad iustitiam, quia credidit: ita et nobis est imputatum, quia credidimus. Sicut Abraham propter vnicum illum fidei actum factus est amicus Dei, ita nos propter vnicum illam Iesu Christi fidem sumus Deo reconciliati, facti amici, qui eramus inimici, et de filiis iræ facti filii Dei. Capite deinde quinto, cum nos esse iam iustificatos ostendisset, illationem pulchram facit dicens: Iustificati igitur ex fide pacem habemus. Iam habemus, et nacti sumus diuinam pacem, per collatam iustificationis gratiam. Ibidem ait nos fide perductos, siue aditum habuisse ad gratiam istam, in qua stamus, et in qua stetimus a tempore, quo Christo credidimus. De eadem gratia, in qua stamus et stetimus a tempore datæ fidei, facit mentionem Petrus in fine epistolæ prioris, et Paulus ipse Ro. 8. et 2. Cor. 11. Verba etiam illa non excidant, quæ repetit Paulus, Nunc reconciliati, in præsentī tempore, nunc reconciliationem assequuti, per Christi scilicet aduentum. Nam antea non erat talis reconciliatio. Ad Galatas etiam, ad Ephesios, et in reliquis epistolis, gratiam hanc veram, ad præsens aduentus Christi tempus semper refert. Capite sexto subiungit, Eos omnes, qui per baptismum sunt cum Christo mortui, esse iustificatos, a peccato. Item liberati a peccato, facti sumus serui iustitiæ. Capite octauo illatio alia sequitur. Si ita iustificati sumus, nulla nunc est condemnatio in iis, qui insiti sunt Christo Iesu. Lex spiritus vitæ liberos nos reddidit a iure peccati et mortis. Quod lex præstare non poterat operantibus, Deus per Christum præstitit credentibus, et

copio

opiosius. Præstitit veram iustitiam, nos omnes iustos faciens, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Nos præ Iudæis glorificavit Deus per gratiam Iesu Christi. Reliqua capita et epistolas persequi non est opus, quia res est manifestior, quam ut egeat probatione. Cum præsertim dicat Christus, Vos iam mundi estis. Translati estis de morte ad vitam, et fides, qua in me creditis, vos saluos fecit. Omnes Christo credentes, sunt ab eo induti vestimento salutis et vestimento iustitiæ, ut ait Esaïas. Qui Christum induerunt, certe vestimentum induerunt iustitiæ. Omnes autem rite baptizati, Christum induerunt Galat. 3. Ergo omnes habent vestimentum iustitiæ. Populus tuus omnes ipsi iusti, omnes arbores iustitiæ. Esa. 60. et 61. Christus sponsauit nos sibi in iustitia, Hoseæ. 2. Iustificauit nos, iniquitates nostras portando, Esa. 63. Fundauit nos in iustitia super fundamento petrae, Esa. 54. id est, super iustificante Christi fide, quæ petra est.

Adde prædictis generalem regulam, Omnes legis promissiones esse in nobis, qui Christo credidimus, impletas. Loquor de promissionibus iuxta spiritum. Nam iuxta literam et secundum carnem, nacti sunt Israëlitaë suas promissiones: terram Chanaan adepti lacteque et melle satiati. Promissa est Abrahamæ feminis benedictio, multiplicatio, et hæreditas. Quæ omnia nobis, sibi credentibus contulit Christus. Nos enim sumus semen benedictionis Christi, requiem spiritus, et cælestem regni eius hæreditatem, per eius fidem adepti acto. 3. Rom. 4. et 9. Galat. 3. et Heb. 6. Sumus in requiem domini introducti nos, qui Christo credidimus. Heb. 4. Sunt et alia prædicta, Quod ablaturus esset Deus peccata nostra, et impietates a Iacob, legem suam in cordibus nostris daturus, nobis inhabitaturus, se fore nobis placatum, et nos fore populum eius, omnes theodidactos. Quæ omnia impleta sunt, licet iniuria temporum plerisque non

apparuerint impleta. Prædictum et impletum est, quod iustus ex fide viueret: quod sanandus esset omnis, qui serpentem aspiceret. Impletum est, quod visura esset omnis caro salutare Dei. Quod daturus esset nobis Deus panem de cælo verum. Quod effundendus in nos esset spiritus Dei. In Christi persona impletæ sunt omnes legis figuræ et omnia ceremoniarum mysteria: de quo in libro de circumcisione dicemus. Ad id vero, quod nobis de iustificatione propositum est, hoc vnum inferamus, quod infert Paulus Rom. 8. Omnes legis iustificationes esse in nobis, qui Christo credidimus, impletas per Christum ipsum, qui solus est legis scopus et complementum. Omnes legis iustificationes, purificationes, ablutiones, et sanctificationes, sunt in nobis impletæ, vt ait Paulus, abluti estis, iustificati estis, sanctificati estis, purificati estis in nomine domini Iesu Christi et spiritu Dei nostri 1. Cor. 6. Impletæ sunt etiam omnes de vocatione gentium promissiones: quanquam hæ non proprie dicuntur promissiones, sed prophetiæ, vt discernit Paulus. Rom. 15. Promissio in sacris literis propriè dicitur, quando præsentis, in gratiam ipsius et suorum, quid dandum vel faciendum dicit Deus. In promissione etiam nondum datur, quod promittitur, sed futurum speratur: alioqui non esset promissio, sed donatio. Futura promittuntur, præsentia donantur.

Ex dictis iam declaratur, quid sit saluare, et quomodo nos Christus saluauit. Saluare est remissis peccatis, in statu salutis reponere. Est saluum reddere eum, qui peribat, sanum facere eum, qui infirmabatur. Ita in euangelio sæpe legitur, Fides tua te saluauit, seruauit, siue saluum reddidit. Sicut a corporis, ita ab animæ morbis sanabat et saluabat Christus remittendo peccata. Hoc continet angeli prophetia. Matth. 1. Is saluum faciet populum suum a peccatis suis. Ergo saluauit, qui abstulit peccata. Ad idem Zacha. 8.

cha. 8. Saluabo vos, et eritis benedictio, postquam fuistis maledictio. Israël saluatus est in domino salute æterna. Esa. 45. et Paulus 2. Timot. 1. et ad Titum. 3. Saluauit nos, saluos fecit nos, et Ephes. 2. saluati estis. Non solum spe futuræ gloriæ, sed ad præsens sumus vere saluati, quia a morte et inferno liberati. Nec solum ab eis erepti, sed et in cælum euecti, spiritus noui donum, et æternam vitam iam adepti, per solam Christi fidem, ex mera ipsius gratia, sine nostris operibus.

CAPVT QVARTVM, de regno Christi.

Dicendum iam de regno Christi, in quod iustitia hæc per fidem nobis data nos introducit. Ratio efficax, quare nos iam saluatos, iustificatos et glorificatos dicimus, nascitur ex cognitione regni Christi, quod scriptura vocat regnum Dei, et regnum cælorum, id ipsum intra nos esse dicens. Non solum post mortem ab inferno defensi, in hoc regnum seruamur, sed et nunc viuentes in illud assumimur. Hoc regnum Dei in nobis, et gloriam eius in nobis experiemur certissime in libris de regeneratione. Quicumque in Christo sumus regeneriti, in hoc regnum sumus ingressi, et substantialem communicationem habet noster internus homo cum ipso Christo, in cælis regnante. Translati nos sumus in cæleste Iesu Christi Regnum, in cælestibus cum eo sedentes, vt ait Paulus. Eripuit nos Deus a potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii sibi dilecti, Colos. 1. Conuiuificauit nos cum Christo, et conresuscitauit, et confedere nos fecit inter cælestes Ephes. 2. Hinc sanctos altissimos nos vocat Daniel, ca. 7. Ioannes et Esaias vocant aues per medium cæli volantes. apoc. 19. et Esa. 60. Hoc ideo, quia conuersatio nostra in cælis est, Philip. 3. Delatum est ad nos regnum illud, quod est regnum spiritus, quo erat Christus

in sanctis suis, accensis in eorum cordibus illius æternæ gloriæ scintillis, ut dicat apostolus, eos futuri seculi virtutes iam degustare, Heb. 6. et gloriæ æternæ esse vere participes, ut iam sit opulenta gloria hæreditatis Christi in sanctis suis, Ephes. 1. Aeterna illa beatitudine iam spiritu fruimur, visione illius æternæ lucis, ac eius gloria donati per Iesum Christum. Aeternam illam vitam iam habemus, in nobis manentem, ut post Christum ait Ioannes. Societatem habemus cum patre, et cum filio eius Iesu Christo. Aeterna illa vita, qua victuri sumus in carne, nunc spiritu viuimus. Arra, seu arrabo gloriæ nobis datæ hoc manifestat. Nam arra est pars pretii. Arra gloriæ æternæ, et æterni illius regni, nobis iam datæ, æternæ illius gloriæ, et æterni regni nos iam facit participes 2. Cor. 1. et 5. Ephes. 1. Qui hoc in seipso non experitur, et in seipso Christum non agnoscit, non est Christo regeneritus. Qui hoc in seipso non agnoscit, non intelligit, quid sit regnum Dei, et qualiter Christus nunc regnet in sanctis suis. Vnum et idem est regnum Christi, quod est, et futurum est: nunc latens in spiritu, postea manifestabitur in gloria. Colos. 3. Prophetiæ, quæ futuram resurrectionis gloriam spectant, etiam nunc sunt in regnitis impletæ, per gloriam spiritus dati, illi enim iam cum Christo resurrexerunt, in cælestibus cum eo sedentes, congregantes, cohæredes, et fratres. Hæc est potentia resurrectionis Christi, et beneficium eius. Id quod nos vere facit huius gloriæ et regni participes, et resurrectionis Christi, quæ veram facit nostri spiritus resurrectionem. Hoc aperte docet Paulus Ephes. 1. et 2. Hinc dicitur Christus resurrexisse propter iustificationem et glorificationem nostram. Rom. 4. et 8. Quia iustificationis efficacia aliorumque omnium in nobis virtus et potentia inde robur habet. Sicut in resurrectione firmatum est regnum Christi, ita iustificatio in resurrectione nostra sortitur verum regni esse.

effectum: vt iustificati cum Christo resurgant, regnum illud assumptes, quod concuti non potest. Heb. 12. Per potentiam resurrectionis Christi donatum est iustificatis, vt vna cum ipso resuscitati, in regno eius sedeant et regnent. In regnum hoc nemo ingredi potest, nisi iustificatus, cum Regnum ipsum sit iustitia Rom. 14. Regnum hoc nunc nobis tribuit Christus dicens, Quærite primo Regnum Dei et iustitiam eius, ac deinde acquisito regno adiicientur vobis reliqua. Matth. 6. Regnum et iustitia nunc quæritur credendo filio Dei regi cælesti. Regnum hoc cæleste acquiri nequit, nisi ab iis, qui per baptismum resurrexerunt cum Christo. Ro. 6. Colos. 2. et 3. et Ioan. 3. De regno isto ibi dicitur, renatos ex aqua et spiritu sancto intrare in regnum cælorum. De regno eodem iam nunc præsentis, pulchrum Christi dictum Lucæ 22. Sicut disposuit mihi pater meus regnum, ita ego dispono vobis regnum, vt edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo. Id quod post resurrectionem ipsius est impletum. Eodem loco ait Christus, se non editurum, donec compleretur regnum Dei, id est, vsque post resurrectionem suam. Apud eundem Lucam cap. 9. et Marci 9. dixit Christus, non gustaturos discipulos mortem, donec viderint, venisse regnum Dei cum virtute. Donec viderint filium hominis in regno suo, Matth. 16. Nec perambulatos omnes ciuitates Israëliticas donec iam venerit filius hominis. Matth. 10. id est, vsque post resurrectionem. De eodem regno pulcre loquutus est Ioannes, eum nunc super terram esse docens, Fecisti nos Deo nostro reges, et sacerdotes, et regnabimus super terram apoc. 5. Excellentissima est hæc regnandi ratio. Nec abs re a Prophetis tam sublimis decantatur gloria nostra. Maxima ac pretiosa gloriæ diuinæ dona, vt inquit Petrus, sunt nobis donata, et naturæ diuinæ dona, quæ ita nobis gloriose donanda præ-

dixerunt prophetæ, 1. Pet. 1. et 2. Pet. 1. Per Ezechielem ait Deus, se nobis hic daturum plura dona, quam dederit vnquam, adeo, vt paradifum hic habeamus Ezech. 36. Eadem nobis donanda prædixit Ieremias, et animam nostram fore paradifum, Iere. 31. In qua re prophetæ ipsi non sibi ipsis, sed nobis prophetando ministrabant: non ipsis donata, sed nobis donanda prædicebant, vt ibidem ait Petrus. Hinc dicitur ecclesia Christi esse paradifus, Cantic. 4. Hortus conclusus, soror mea sponsa, Propagines tuæ paradifus pomorum, fons aquarum viuentium. Mira de hac gloria nostra canit Esaïas. Paradifum ipsum nobis restitutum prædicat cæleste regnum, et cælestem ciuitatem gloriosam cap. 51. 52. 58. 60. 61. 62. 65. et plerisque aliis. Paucis cum Ioanne dico, Qui vere sumus in Christo, tales sumus nunc in mundo hoc, qualis est Christus ipse in cælis regnans. 1. Ioan. 4. Quia ipse Christus in nobis est, qui nos tales esse facit. Qualis est cælestis ille, tales et hi, qui cælestes sunt, teste Paulo.

Ex his declaratur, quod in euangelio sæpe legitur, Ioannem baptistam primum. Matth. 3. deinde Christum ipsum Matth. 4. et Mar. 1. deinde apostolos omnes Matth. 10. et Lucæ 9. deinde septuaginta alios discipulos Lucæ 10. Hos omnes inquam, euangelizare regnum Dei, et quod prædicabant euangelium regni. Instare et appropinquare dicebant regnum cælorum, quod post Christi resurrectionem erat mox futurum. De eodem regno Dei iam præfente loquutus est postea eunucho Philippus, acto. 8. et Paulus acto. 19. 20. et 28. Ecce verum euangelium regni cælorum. Ego euangelizo vobis regnum Dei. Annuncio vobis Iesum Christum filium Dei in cælis regnare, et sibi credentibus, regnum illud, et seipsum donare. Vtinam in hoc sensu regnum Dei concionatores omnes nunc euangelizarent. Euangelium est nuncium bonum de filio Dei: sicut Græci *εὐαγγέλιον* vocauerunt nuncia et præconia de rebus bene gestis. Hoc euangelium ipsemet verus euangelista prædicauit, et deinde reli

de reliqui omnes. Vulgus totum in spiritu Dei clamabat. Benedictum regnum, quod venit in nomine domini, Marci 11. Quicumque dona Christi cælestia per eius aduentum et spiritum orbi collata annunciat, is dicitur vere regnum Dei euangelizare. Id ipsum Christus externis factis exprimebat, infirmos sanando, dæmonia pellendo, et cæcos, intus et extra illuminando. Vnde infert, peruenisse ad eos regnum Dei, Matth. 12. et Lucæ 11. Etiam quia subdit, se potentem superuenisse, satanæ regnum destruxisse, atque adeo regnum Dei ad nos attulisse. Euangelium igitur Christi est euangelium gratiæ, euangelium regni Dei, quando hæc venisse quis annunciat. Vnde merito Paulus vocat nuncium gratiæ Dei, act. 20. Hoc esse verum regni euangelium, testis est Esaias cap. 52. quam pulchri pedes euangelizantis pacem, euangelizantis bonum, annunciantis salutem, et dicentis ad Sion, Regnauit Deus tuus, id est, Christus. Eodem modo gaudium magnum euangelizat angelus, quia natus est saluator Christus, Lucæ 2.

Errant turpissime, qui euangelium definiunt, esse solam promissionem rei futuræ; quasi a remotis quid euangelio promittatur, non potius donetur. Quæ olim promittebantur, nunc per euangelium annunciantur impleta, vt aperte docet Paulus act. 13. Euangelium quod promissionem implet, aliud maius est, quam ipsa promissio. Euangelium Paulo dicitur olim promissum Rom. 1. Tunc non erat, sed promittebatur futurum. Futura enim promittuntur, præsentia donantur. Aeternam ipsam vitam, iam nunc præsentem, euangelio nos dicimus annunciari et credentibus vere præsentem dari, non tantum promitti. Si intelligerent isti, ante aduentum Christi fuisse regnum inferorum, intelligerent plane, esse nunc regnum cælorum. Ante aduentum Christi omnes in infernum ducebantur, non obstantibus promissionibus illis, nunc vero in cælum assumuntur. Iterum dico, regnum Dei intra nos esse, per Christum esse cælum ad nos allatum, per ipsum esse cælum nobis apertum, nosque cælum ipsum intrasse,

imo per ipsum nos factos esse cælum templum Dei, et regnum Dei. Christus in finali resurrectione tradet patri regnum, id est, sanctos, qui sunt regnum ipsius, patri tradet. Per ipsum nos sumus regnum, et sacerdotium sanctum, olim in vmbra, nunc in veritate. Nos sumus templum Dei 1. Cor. 3. et 6. et 2. Cor. 6. Nos sumus lapides viui, domus spiritualis 1. Pet. 2. et Heb. 3. Nos sumus cælum sedes eius. Nouas creaturas regenerans Christus, facit cælos novos. Nos sumus cæli illi, quos ipse plantat. Esa. 51. 65. et 66. Cæli illi enarrantes gloriam Dei, erant apostoli prædicantes psal. 18. et Rom. 10. Ipsi sancti sunt cæli enarrantes cælestem Christi iustitiam, psal. 49. Qui in pugna contra Antichristum docent veram iustitiam, sunt vt stellæ, et splendor firmamenti Dani. 12. Thesaurum suum optimum et cælum suum nobis aperuit Deus, vt rore cælestis pluuiæ per spiritum sanctum in nos effuso, omnes cum Christo in cælo regnemus. Cælestis illa ciuitas Ierusalem intra nos est, teste apostolo Heb. 12. alias non sumus Christiani, et regnum Dei non est in nobis. Magna adeo res est cum Christo regnare, vt ob id omnes vere dicamur reges. Vere regnamus, quia a potestate tenebrarum erepti transfati sumus in cæleste Iesu Christi regnum Colos. 1. Vocauit nos Deus in suum regnum et gloriam 1. Thess. 2. et quos vocauit, glorificauit, Rom. 8. Vocati sumus in consortium et participationem Iesu Christi filii Dei 1. Cor. 1. Participationem eius naturalem habemus, facti participes diuinæ naturæ 2. Pet. 1. Futuræ gloriæ iam sumus facti participes, et magna est gloria hæreditatis Christi in sanctis eius, Heb. 6. et Ephes. 1.

Ex his quorundam errorem perpende, qui ex huius regni cælestis introitu nobis impossibili, feruum arbitrium finistre concludunt, cum potius sublimitas regni erat concludenda. Nam cum regnum Christi sit regnum spiritus, et nos fi-

et nos fimus animales homines, transitus iste de carne ad spiritum, qui est introitus in regnum Christi, per eius cognitionem et fidem, non est in humanis viribus situs. Sed fieri debet patre trahente, illuminante, et ex gratia vocante: quia non est volentis neque currentis, sed Dei misericordis. Ex hoc tamen inferre seruum arbitrium perinde est, ac si dicas: non possum volare, ergo habeo seruum arbitrium. Imo vt sublimitas gratiæ Christi dignoscatur, oportet aliquas ab origine nobis esse vires ad ea tamen Christi dona impotentes. Ea siquidem est vera gratia, cum dono tu confers ea, quæ nostris viribus adipisci non poteramus. Quod autem hunc lapidem extollas, quæ gloria est, aut quod artificium? Sed de his alibi. Hæc nunc dixisse sufficiat, quæ ad regni Christi, et sublimitatis eius cognitionem attinent: vt te non tuis viribus, sed vocatione et gratia huc accersitum intelligas, eo solo quod credis in Iesum Christum filium Dei. Debes enim cogitare, certum esse, et singulare tempus, quo te mentis compotem Christus sua misericordia ad se vocat, docens, vt resipiscas et credas. Te ex iniusto tunc iustum facit, conferens remissionem peccatorum, regnum cælorum, et vitam æternam. Antea enim peccator eras, filius iræ, et sub regno satanæ. Est verum hoc tempus vocationis tuæ, quando fide Christum apprehendis, et regenerationis spiritu sancto donaris, a quo in cælestia euectus, incipis cum Christo regnare. Oportet ergo te tempora discernere, quando fueris sub Adam, et quando sub Christo: quando a peccato transis ad iustitiam, et quando Christum induis, nouus homo factus: qui et deinceps magis et magis adhuc innouaris.

LIBER SECVNDVS DE LEGIS ET EVANGE-

lii ac Iudæi et Christiani
differentiis.

CAPVT PRIMVM, QVOD Iudæum excellat Christianus.

Oportet hic quoque tempora discernere, quando fueris sub lege, et quando sub gratia, et quomodo ex Iudæo efficiaris Christianus, vt intelligas, quantum intersit. Quia tamen plerique hoc non intelligunt, fusius de hac re nos hic differemus, ne quis Iudæos faciat nobis æquales. Hoc primo capite differentias aliquot annotabimus. Secundo, in lege ostendemus, fuisse iustitiam carnis, cum in euangelio sit iustitia spiritus. Tertio, in lege fuisse iustitiam operum, cum in euangelio sit iustitia fidei. Ad primum ergo perpendendum est bene, quantam inter legem et euangelium differentiam notet Ioannes cap. i. dicens, Lex per Mosen, gratia per Christum. Umbra per Mosen, veritas per Christum. Lex et umbra est per Mosen tantum demonstrata, at gratia et veritas per Christum est facta, ad effectum perducta et completa. Sed qualis lex, et qualis gratia? Lex Moysi lex mortis, virtus peccati. Gratia vero Christi est pura misericordia. Et dicitur χάρις, gratuitus fauor, beneuolentia, quædam beneficia conferentis, dona donantis, ad omnia fauentis, illuminantis, dirigentis, et glorificantis. Est gratia a peccato liberans, et a seruitute legis. Est gratia gratis iustificans, spiritum sanctum infundens, regnum cælorum et vitam æternam iam conferens. Iudæorum seculo non fuit lauacrum regenerationis, ad cælestia tunc resurgere faciens. Ratio clara est, quia Christus non erat tunc

rat tunc resuscitatus. Illi nec in vita, nec post mortem assumi poterant in paradysum, qui nondum erat apertus: nos autem contra. Nunquam fuit aliquis Iudæorum in regno cælorum, quia nondum venerat regnum Dei, quod veniente Christo ad nos venit: sicut ipse ait, Lex et prophetæ usque ad Ioannem, et deinde regnum Dei euangelizatur, Matth. 11. et Lucæ 16. Nunquam fuit in eis regenerans ille spiritus *ὑιοθεσίας*, sed puerorum filiationem habuerunt carnalem, ut nihil differret a seruis Galat. 4. Illis datus est spiritus seruitutis in timore, nobis autem spiritus filiationis Rom. 8. Hinc nos præ illis clamamus abba pater, ut ait ibi Paulus. Aduentus Christi hæc operatus est, ut ipse docet. Nam postquam venit fides, non amplius sumus sub pædago: sed sumus facti vere filii Dei, eo quod credidimus Christo Iesu. Antea, inquit, eramus pueri, sub pædago et veluti serui. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum sub lege, ut ab omni legis seruitute nos liberaret, et adoptionem filiorum veram nobis daret. Illi Deo seruiebant in vetustate literæ, nos in nouitate spiritus. Ro. 7. Vbi duplex est notanda differentia, literæ et spiritus, vetustatis et nouitatis. Nouitas est ibi testamentum nouum. Nouum testamentum facit omnia noua, et nouas creaturas. 2 Cor. 5. et Gal. 6. Nunquam fuit aliquis Iudæorum electus, aut prædestinatus ea electione, qua nos prædestinauit Deus, ut liberam filiorum adoptionem reciperemus, et essemus fratres Christi, Ephes. 1. et Rom. 8. Et Moses et prophetæ sub lege erant, non sub gratia, legis seruituti et obseruationi erant obnoxii. Aduerte autem quid locis citatis dicatur Paulo esse prædestinatum, aut quæ sit illa gratia, quam ante secula donatam, iam acquisiuimus. Vere regnum Dei est, quod iuxta dispensationem plenitudinis temporum et Iudæis et gentibus in apparitione Christi donandum, a condito mundo destinauit Deus, Ephes. 3. et Colos. 1. Quod prædestinationis mysterium, sicut et reliqua omnia, impleta esse docet Paulus. Christus etiam ait, impletum esse tempus iuxta dispen-

dispensationem prædestinationis huius. Marci 1. Item ad prædicta differentia est, quod olim per prophetas, nunc per filium fit Deus loquutus. Heb. 1. Nunc visus, olim non visus. Nunc primum vere adoratur pater. Nam antea sola erat veræ adorationis umbra, vt in primo dialogo iam ostendi. Nunc vere diluit peccata, quibus obnoxii lege tenebamur, legem ipsam tollens. Non eam dedit Deus Iudæis requiem conscientiæ, quam nobis, nec sui veram cognitionem, sed sub illo terrore et umbra habuerunt cor velatum. At Christi manifestatio omnia manifestat et magnam secum affert gloriam, magnamque tranquillitatem internam.

Adde pulcrum locum, in quo differentiam inter nos et illos multiplicem notat Paulus 2. Cor. 3. Primo, quia Mosaica decalogi lex erat scripta in tabulis lapideis, Lex vero Christi est Ieremiæ lex cordis, lex fidei. Cuius ratione, eo ipso quod Christum agnoscimus, efficimur omnes *θεοδιδασκτοι*, quia patre trahente Christum discimus. Hæc Christi lex non indiget externo illo modo scribi, nec per Papæ decreta. Imo etiam si apostoli et euangelistæ nihil scripissent, (si tamen durasset in nobis Christi cognitio et fides) stare posset hæc noua Christi lex, scripta interno atramento, quod est efficacia spiritus Dei, qui legem illam in tabulis cordis imprimit. Hic sermo fidei Christi Paulo et Esaïæ dicitur sermo abbreviatus in iustitia, quia summa breuitate continet iustitiam et salutem nostram. Ait præterea apostolus, illam decalogi legem fuisse administrationem mortis et damnationis, propter transgressionem: hanc vero administrationem vitæ, nullis decretis adstrictam. Illam administrationem seruitutis, hanc libertatis: illam administrationem literæ, hanc spiritus. Comparat deinde gloriam faciei Moïsis, ad gloriam spiritus nostri. Sicut facies Moïsis ex consortio externo, quod habuit cum Deo, ad tempus splen-

splenduit, ita spiritus noster ex interno cum filio Dei confortio, interne et perpetuo splendet. Illa Moſis fuit ſuperficialis gloria, et quæ ad tempus durauit. Noſtra vero eſt gloria ſpiritus, plenior et perpetuo durans, ſicut facies Chriſti in monte transformata, perpetuo nunc in cælo relucet. Cum qua ſicut Moſes habuit temporale, et adumbratum, ita nos perpetuum habemus confortium, idque ſecluſo velamine et vmbra. Velamen eis inerat, ne quis eorum poſſet ſplendorem faciei Chriſti videre. Elias operuit vultum pallio, ne faciem Chriſti videret. 3. reg. 19. Ita et Moſes fecit Exod. 3. qui et poſtea per obturatum foramen non potuit faciem, ſed poſteriora Chriſti videre. Exod. 33. Eadem deinceps ratione Moſes ipſe ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ne filii Iſraël ſplendorem illum Chriſti in eius facie viderent, ſicut erat velamen literæ, ne intelligerent abdita intus myſteria ſpiritus. Imo nec ipſe Moſes erat ſui ſplendoris conſcius: ignorabat enim Exod. 34. Spiritus ſub litera erat tunc velatus, donec per Chriſtum eſt reuelatus, vt ait Paulus. Non clare nouit Moſes myſteria legis ſuæ, quanquam prophetico ſpiritu futurum Meſſiam ſub vmbra quadam viderit: ſicut a longe vidit terram promiſſionis, in quam non eſt ingreſſus. Soli Chriſto habenti clauem Dauid, et ſoli illi vero magiſtro datum eſt ſcripturas aperire, et regnum cælorum, in legis myſteriis ſub literalī cælatura clauſum, nobis patefacere. Non eſt ingreſſus tunc Moſes in terram promiſſam, ſeu in requiem domini: ſed eam procul videns et aliis demonſtrans, mortuus eſt. Deut. 3. 4. et 34. Ipſi Ieſu Chriſto homines in requiem introducendos reliquit Moſes, cum ipſe id præſtare non poſſet. Typus Iofue hoc olim indicauit in vmbra Chriſti: nam nec Iofue ipſe homines in requiem veram introduxit, vt ait apoſtolus Heb. 4. Pro ſuis ignorantibus oblationem illi faciebant, Leuit. 4. illud ſignificante ſpiritu ſancto, quando con-

diu constitit ritus ille, non esse illis manifestatam sanctorum viam Heb. 9. Illos vocat Christus seruos, nescientes domini voluntatem: nos vero amicos et fratres, eam ex ore magistri ad plenum edoctos, Ioan. 15. Desiderarunt illi, vt ait Christus, magistrum audire, et ab eo doceri: quod illis non contigit. Sed nobis ea, quæ erant a seculis abscondita, esse per Christum reuelata, docet sæpe Paulus et Christus ipse. Matth. 13. Alias inaniter Christus se tantum magistrum iactaret, et sermones suos tanti faceret, supra prophetas dicens nos beatos, quia eos audimus, dicto cap. 13. et Lucæ 10. Ratio huius est ipsa Dei voluntas: quia illi placuit per aduentum filii ea reuelare, quæ aliis fuerant abscondita. Matth. 11. et Ephes. 3.

Obiicies forsan, Nonne prophetæ futura hæc omnia viderunt? Respondeo, Sub velamine visiones adumbratas habuerunt. Quæ ipsi prædicebant, non ita clare, vt nos intelligebant. Sicut ait Daniel, Audiui et non intellexi: sicut Abacuc pro ignoratis orabat. Ad idem Ierem. 23. et 30. in nouissimo dierum intelligetis hoc. Ea quæ prophetis sunt reuelata, non propter ipsos, sed propter nos sunt eis reuelata, et in ea re non sibi ipsis, sed nobis prophetando ministrabant 1. Pet. 1. Id ipsum docet magister ille incomparabilis Ioan. 4. dicens, nos in labores eorum intrasse, et ex eorum labore fructum colligere, quem ipsi talem non colligerunt: quamquam nec ipsi fuerint fructus expertes, vt mox dicemus. Visio ænigmatica futurorum non talis tunc erat, nec tam excellens, vt est visio rei præsentis et cum visione possessio.

Sed ad Paulum reuertor, qui iam citato loco 2. Cor. 3. ad prædictorum probationem adduxit, quod dominus spiritus est. Ergo vera ministeria debent esse ministeria spiritus: non carnis, vt apud Iudæos. Ex eodem antecedente probat Christus, quod adoratio vera debet esse adoratio spiritus, quia Deus spiritus est, Ioan. 4. Ex eodem antecedente cum Paulo infer-

tur,

tur, nos præ illis esse liberos, quia ubi spiritus domini, ibi libertas. Concluditur ergo, spiritum hunc, et gloriam eius non fuisse in eis, nec libertatem veram, nec veram adorationem, nos postquam scissum est velum, reuelata facie gloriam domini, id est, faciem Christi, illuminato spiritus speculo, in nobis ipsis speculamur, et repræsentamus, in spiritus gloria videntes et habentes ipsum Christum. Spiritu transformamur ad eandem imaginem, i. e. ad similitudinem gloriæ filii Dei. Per illuminationem Christi transformatur spiritus noster simili modo, sicut facies Christi in monte transformata, nunc in cælo relucet. Et transformamur, inquit, a gloria in gloriam, a Iudaismo ad Christianismum, a gloria illa faciei ad gloriam hanc spiritus, a gloria velata ad gloriam reuelatam, a gloria temporali, ad gloriam perpetuam.

Vides aperte, quemlibet nostrum, etiam minimum, qui est in regno Christi, esse maiorem, quam fuerint Abraham, Moses, Daud, et reliqui legis prophetæ. Quod etiam eos omnes præcellamus, a fortiori colligitur ex argumento Christi, Matth. 11. Nam post Ioannem baptistam venit ad nos regnum Dei, et qui minor est in regno Dei, est maior Ioanne ipso, qui fuit maior aliis legis prophetis. Ergo nos, qui maiores sumus Ioanne ipso, maiores sumus aliis, qui fuerunt eo minores. Ioannes baptista fuit totus sub lege, non fuit baptismo Christi ad cælestia regenitus, cum obierit ante resurrectionem: ideo in terris fuit inferior eius conditio, quam eorum, qui ad regnum cælorum regenerantur. Per resurrectionem vero Christi est ipse Ioannes cælestia assequutus. Per resurrectionem admittuntur etiam patriarcharum et prophetarum animæ ad gloriam regni Christi, quia fidem eius illi omnes habuerunt. Resurrexerunt tunc illi cum Christo, Matth. 27. At cum in humanis agerent, non fuerunt eius regni ita participes, ut nos sumus: quia regnum cælorum nondum ad homines venerat. Hinc ait Christus Ioan. 12.

Ego si

Ego si exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum. Ergo ante exaltationem illam non erant animæ ad gloriam regni eius assumptæ. Viuentium quoque, nemo gloriam regni præsentis gustauit, quia Christus, nondum erat resuscitatus. Si statum populi Iudaici, qualis tunc fuerit, quis animaduertat, facile omnia intelligit. In Nicodemi legis periti persona, et in plerisque aliis, facile docet Christus, quantum hic de cælestibus sermo legis capacitatem superet. Ioan. 3. Terrestria illis maximæ curæ erant, quia præcepta, nobis vero cælestia, quia cum Christo resurreximus, Colos. 2. et 3. De nobis melius quam de illis disposuit Deus, ne sine nobis illi consummarentur. Heb. 11. Multiplices ibi inter nos et illos differentias ponit apostolus. cap. 12. Ex baptismo, et cæna domini, tot et tanta colliguntur mysteria, tot et tantæ Christianorum et Iudæorum differentiæ, vt nequeant hic referri: sed in libris de baptismo commode omnia traduntur.

Illud hic addam, quod hæc tanta per Christum nobis data dona, cum sint æterna, efficient etiam, vt in resurrectione finali præcellamus alios saluandos, siue Iudæos, siue gentes. Nam postquam per Christum omnes viuificabuntur, vnusquisque in suo ordine collocabitur, vt ait Paulus. Sed quis erit ordo? Primitiæ, inquit Christus. Deinde ii, qui sunt Christi in aduentu ipsius. 1. Cor. 15. Qui Christi aduentum sequuti sunt, in regeneratione hac, super thronos, cum ipso sedebunt, vt iudices apoc. 3. Matth. 12. 19. Lucæ 22. et 1. Cor. 6. Ipsi non venient ad Iudicium, vt iudicentur, teste Christo, sed sedebunt iudicantes. Mortui in Christo resurgent primi, et fideles viui tunc inuenti assumentur 1. Thess. 4. Atque ita illis velut iudicibus constitutis, iudicabuntur tribus Israël, ac gentes omnes et inter eas fiet segregatio ouium ab hædis. Matth. 19. et 25. Hinc post Christum ait Paulus, sanctos de aliis iudicatu-
 go in

go in peculium nos hic habet Christus, ita et in futuro seculo habebit, extra aleam constitutos. Reliquos vero omnes, siue Iudæos, siue Gentes, non simpliciter damnabit Christus, sed iuxta facta sua iudicabit. Rom. 2. Christus saluator est omnis generis hominum, sed maxime fidelium. 1. Timoth. 4. Non pariter erunt Iudæi hæredes nobiscum, quia non pariter erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Galat. 4. Sua seorsim habebit munera, sicut Abraham filiis aliis largitus est diuina munera. Nemini vnquam inuidens Deus, et Græcos, et barbaros omnes vocauit, omnibus retribuens: iis autem, qui eximie crediderunt, honores tribuit eximios, inquit Clemens libro septimo Stromatum. Concludendum est igitur, veram Dei in omnes suas creaturas esse iustitiam et misericordiam: at in pusillum gregem suum, solum sibi peculiariter prædestinatum, insignem gratiæ sublimitatem.

CAPVT SECVNDVM, QVOD
in lege fuerit iustitia carnis, cum
in euangelio sit iustitia
spiritus.

Sequitur iam differentia alia, ab initio proposita, quod in lege fuerit iustitia carnis, cum in euangelio sit iustitia spiritus. Populi iudæorum mundana iustitia tunc erat, vt ad tempus in terra illa bene viueret fauore diuino. Nostra vero, vt æternam vitam iam viuamus. Pro rudi hominum ingenio solet dari lex, et instructio rudis: atque ita rudibus illis coram Deo tandem profutura. Omnes quotquot fuerunt sub lege, fuerunt carnaliter, comparatione ad nouam spiritus regenerationem facta. Quamuis spiritus sanctus loquutus fuerit per eos prophetias, quamuis futura viderint: tamen suis gestis carnale quid, seu animale sapiebant

bant. Omnes sub vmbra gerebantur, et carnalia erant vmbra spiritualium, sicut terrestria cælestium. Eos fuisse carnales, ostendit Paulus 1. Cor. 10. Videte, inquit, Israëlem secundum carnem, et Rom 4. Quid dicemus Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem. Nota verbum, inuenisse secundum carnem. Nam ex iis, quæ in ipso Abrahamo, secundum carnem gesta sunt, relucet spiritualium typus. Sacerdotium Aaron carnale, et præceptum carnale Heb. 7. Iustificationes legis iustificationes carnis. Heb. 9. Iustitia tota legis dicitur Iustitia carnis Phil. 3. Eramus tunc in carne, nunc non sumus in carne, sed in spiritu. Rom. 7. et 8. Spiritualis homo iuxta Pauli sententiam non est sub lege; ergo nemo eorum fuit spiritualis. Paulus in epistola ad Galatas cap. 4. in allegoria duorum filiorum intelligit duos populos, Iudæorum et Christianorum, alterum secundum carnem, alterum secundum spiritum: totum illum populum carnalem ostendens. Præmia, quæ lex promittebat, erant eis omnia carnalia: nec ipsi solent, nisi carnalia, a Deo petere. Ratio, quare carnalia tantum lex tunc promittebat, et donabat, hæc est, quia paradisus non erat tunc apertus. Soli Christo id seruabatur. Pœnæ et maledictiones legis, omnes erant carnales et mundanæ Leuit. 26. et Deut. 28. In lege erat remissio peccatorum carnalis et mundana. Quærebant ipsi remitti sibi peccata, quasi a rege condonari delicta, ne absorberet eos furor domini, et ne carnales illæ legis vindictæ in eos venirent. De pœna damnationis æternæ non erat ibi apertus sermo. Ratiocinationes de hac re seorsim colligebantur. At Christus, qui solus æternam vitam intulit, solus æternas damnatis fore pœnas, aperte mundo declarauit, magnus vndique magister. Nemo igitur intelligat, illos olim ideo dici carnales, quia futuram gloriam non sperarent, vt de solis Saduceis dicitur. Iudæi eam hodie sperant ac etiam Mahometani, et nihilominus sunt maxime carnales. Carnales vocamus homines, qui spiritum regenerationis non assequuti

quuti carnales habent iustificationis ritus. Pro carnali expiatione erant in Leuitico statuta hostia, et sanguinis effusiones, in quibus nulla erat peccatorum remissio vera, ut ait apostolus Heb. 9. et 10. Erat quidem ibi remissio peccati, ut docet Deus Leuit. 5. 6. et alibi passim. At non erat vera, si ad hanc conferratur. Nec peccatum Adæ illa tollebat, nec pacatam conscientiam reddebant. Adhæc, ostensum iam est, carnalem et mundanam fuisse olim adorationem, in tabernaculo ligneo, et lapideo templo. Nunc autem spiritualiter adoratur Deus, in solo viuentis Christo. In eo solo videtur Deus, in spiritu, et interno homine.

Non desunt tamen hodie, qui Aegyptiacos Israëlitæ (omnes scilicet, exceptis duobus, reprobos) dicant fuisse omnes spirituales, quia omnes eandem escam spiritualement comederunt, et omnes eundem potum spiritualement biberunt 1. Cor. 10. sed cum Paulus ibidem vocet Israëlem carnalem, et dicat, fuisse sub nube figuram: differentiationem facit manifestam inter carnem et spiritum, inter nubem et lucem, inter figuram et veritatem. Erat ibi non spiritualis populus, sed cibus et potus ideo ibi spiritualiter dicitur: quia spirituale mysterium figurabat in manna et petra adumbratum. Petra ipsa Oreb erat spiritualiter Christus, quia Christum adumbrabat. Exemplum est, si dicas eundem spiritualement Christum in æneo serpente olim fuisse visum, eundem in manna manducatum, et in Abel ab origine mundi spiritualiter occisum, apoc. 13. in umbra scilicet et figura. Filius Isaac dicitur natus secundum spiritum, secundum promissionem, et quia spiritualement Christum allegorice significabat. Ille tamen in se carnalis erat. Si ex historia elicias allegoriam, quicquid est in lege, ea consideratione dicitur spirituale, et figura spiritualiter erit idem cum re, quam figurat. Lex item dicitur spiritualis, quia internum spiritus motum exigebat, quem ipsi carnales non satis præstabant. Rom. 7. Sola testamenti mutatio, si aduertas, alios homines eos fuisse docet. Aliud testamentum, aliam hæredis institutionem, et alias eius qualitates notat. Adeo fuit rudis et carnalis populus, et duro corde, ut ob id, præceptis eorum sublati,

cor nouum et spiritum nouum nobis per Christum dare voluerit Deus, et in totum nos innouare.

Fidem eos habuisse, quis nobis obiiciet. Quanquam fidem habuerint, carnales erant. Fides, quam habuerunt, fuit mundana quædam fides, Deo tunc grata. Quæ per eam fidem obuentura sperabant, erant fere carnalia et mundana, vt feminis multiplicatio et hæreditas, quam credidit Abraham Genes. 15. Quanquam prophetico spiritu sub ænigmate et vmbra quadam Christum viderit, cælestem futuram vitam, et æternitatem in eo crediderit: non tamen fuit in eo tunc regeneritus: temporalia tunc exposcebat, Atque ita non obstante futurorum spe, dicitur præsens tunc iustitia fuisse carnalis, sicut acta alia carnalia. Abraham credidit verbo Dei, in promissione veteri et carnali. Nos credimus verbo Dei in euangelio nouo et spirituali, promissiones omnes complente. Dicitur fides eadem, vt figura est idem cum figurato. Abraham in vmbra credidit promittenti: nos in veritate credimus adimplenti et vberius donanti. Fides illa Abrahæ fuit fides Christi, seu vmbra fidei Christi: et ille, qui secum loquebatur, Christum præfigurabat. Non fuit ibi completa veritas. Nec veras promissiones est Abraham assequutus, nec eius posterius aduentum Christi: quia Deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis illi consummarentur Heb. 11. Fidem veterum Hebræorum varie ipsis Hebræorum filiis commendat ibi apostolus, vt eos ita ad fidem inducat, et a minori ad maius nostram in Christum fidem concludat. Nam si illi fide Deo placuerunt, etiam carnales homines, vt ibi apparet in Gedeone, Iephte, Barac, et Samfone: quanto magis nos, quibus fides tam insigniter est commendata, et vltra illam eorum fidem donis cælestibus ornata? Qua, quæso, fide sunt Israëlitæ promissionem Abrahæ assequuti? Quando Moses et Iosue populum armatum ad inuadendam terram ani

ram animabant, eam esse illis a Deo promissam, comminiscabantur. Huius promissionis fiducia illis animum addebat. Alioqui non credentes potuissent in Aegyptum reuerti. Et qui increduli fuerunt, in deserto perierunt. Sed an propterea non erant carnales homines? Carnalis fuit promissio, quam ipsi sunt carnaliter assequuti: et credendo hi iustificabantur: illi non credendo repellebantur. Ita placuit Deo populum disponi. Concludamus ergo, placuisse Deo fidem Abrahamæ, sicut et fidem aliorum, et multa eos per eam fidem adeptos. Placebant et opera legis, quæ ipsemet Deus fieri præceperat: et ob id multa illis Deus bona faciebat, in futuro etiam seculo mercedem daturus. Quoquo tamen modo siue credentes, siue operantes, carnales erant, si ad spiritualia regenerationis Christi conferantur. Carnalis ita erat Abraham, nec propterea non dilectus a Deo. Quia ita Deus pro eo tempore statuit. Quoquo modo Deus velit, eius voluntati siue credendo, siue faciendo, obtemperare, est iustificatio vitæ, et vita ipsa: siue Deus quid promittat, siue non.

Promissio non necessario exigitur, ut quis iustificetur: quanquam eam semper exigi plerique hodie contendunt. Asylum habent ipsum Abraham: ut vero Abraham ipse non ideo iustificatus est, quia de promissionibus erat sermo, sed quia Deus loquebatur, cui credidit. Credidit Abraham Deo, et Deus imputauit hoc ei ad iustitiam. Quæ ratione et nos hodie iustificamur, credentes voci cælesti, Hic est filius meus. Aliud loquutus est Deus ad Noë, aliud ad Abimelech, aliud ad Loth, aliud ad Iob, aliud ad Ninivitas, et ad alios alia: quæ singuli credentes iustificabantur, etiam ubi de nullis promissionibus erat sermo. Quia non in vi promissionis, sed in voluntate Dei acceptum ferentis consistit iustificatio. Hæc est voluntas Dei nobis declarata, ut hunc filium videntes, in eum credamus, Ioan. 6. Ut

se ergo manifestavit Deus, ita credere oportet: ut faciendum præcipit, ita facere oportet, semper ad iustitiam. Quis tam blasphemus dicat, se Deo non crediturum, nisi Deus quid sibi promittat. Promissiones ipsi Abraham et posteris eius fecit Deus, adiiciens quoque beneficia, ut facilius ad credendum alliceret, et ut futura designaret, in nobis sublimius complenda. Eas vero carnaliter obtinuerunt illi ante aduentum Christi: postea vero spiritualiter. In ea fide secundum voluntatem Dei illi vivebant in terra, in qua nos nunc vivimus in cælo, ut ex hoc supereminentem erga nos Christi gratiam deprehendamus, in seculis his, quæ superuenerunt. Ephes. 2. Hoc tecum perpende, lector, Quare hodie non armis carnalibus accipimus promissionem, ut illi acceperunt? Quare Christus hodie non dat servis suis electis camelos, asinos, servos, agros, et diuitias, ut Abraham, et posteris eius dedit: sed crucem et persecutiones? Nisi aliunde hoc nobis compensetur, omnium miserrimi sumus, et præstaret fuisse Iudæum, quam Christianum. Item singularia gesta considera. Quare illi pro inimicis non orabant, sed erant viri sanguinis vindictæque auidi, oculum pro oculo requirentes? Quare tot uxores et tot concubinæ? Et libelles repudii? Nec in hoc ipsi conscientiam criminis habebant, sed iustificationes domini se servasse, passim affirmabant. Alia ipsis erat, quam nobis mens, nec tanta data ipsis cognitio. Ea propter ea ipsis licebant, quæ nobis non licent, Matth. 5. et 19. quia vult ibi Christus nos esse illis præstantiores. Libellus ille repudii significabat, carnalem illum populum et carnale cum eo initum fœdus, esse a Deo repudianda. Nobis vero est fœdus spiritus, et testamentum æternum.

CAPVT TERTIVM, QVOD

in lege fuerit iustitia factorum,

cum in euangelio sit iu-

stitia fidei.

Aliud initio propositum, quod in lege fuerit iustitia factorum, docet euidenter Paulus ad Galat. 3. Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, viuet per illa. Idem docet ad Ro. 10. et Philip. 3. Quæ verba ex ipsa lege Paulus sumpsit. Nam operum legis iustitia olim declarauit Deus, vt qui faceret ea homo viueret per illa, Leuit. 18. Hoc ex ipso Dei instituto per se constat: quia Iudæis data est lex operum, et quia opera legis dicuntur iustificationes. Ratio autem, quare iustificationes dicantur, hæc est. Quia cum Deus iustus sit, nihil potest nisi secundum iustitiam statuere: eius statuta et mandata non modo sint in se iusta: sed et iustum faciant sectatorem. Ideo statuta illa recte vocantur iustificationes, Lucæ 1. Rom. 2. et psal. 118. Necessario ambulat secundum iustitiam, qui operatur, quod Deus operandum præcipit. Cum data esset populo lex operum, licebat ipsis per opera iustitiam quærere. Semper eis promittit Deus suum fauorem, si eius legem, ceremonias et iudicia feruent. Proinde solent ipsi sua benefacta coram Deo referre, vt eorum votis satisfaciat. Hoc apparet in Nehemia, suas iustitias coram Deo narrante. 2. Esdræ. 5. et 13. In Ezechia, Esaia 38. et 4. reg. 20. Hoc per legem licere, constat Deut. 26. Dauid etiam pluries iactat se, quod custodierit mandata, et iustificationes domini, vt 2. reg. 22. psal. 7. 16. 17. 43. et 118. Nobis autem solum licet facta Christi narrare, qui omnia illa opera pro nobis operatus est, legem implendo pro nobis, cum nos id non possemus præstare. Carnali populo licebat in suis

factis gloriari: nobis autem solum licet gloriari in cruce domini nostri Iesu Christi. Hanc operum iactationem aperte improbat Christus in exemplo serui Lucæ 17. et in parabola iusti Lucæ 18. Tanta pro nobis operatus est Christus, tot et tanta in nos perpetua beneficia contulit, ut simus in perpetuum eius facti debitores et serui. Hac ratione ei tam obnoxii, quicquid postea faciamus, dicere debemus, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, facimus. Tanta sunt nobis, absque nostris operibus per Christum collata dona, ut sit demens, qui operibus eis satisfacere, aut propter opera se talia mereri putat. Eo magis, quia cum essemus impii, et nihil boni operaremur, ipse in nobis operatus est, nos ad se trahendo. Præuenit Christus omnia opera nostra solus ipse propter se peccata nostra diluens. Esa. 45. et 48. In gratia Christi nos gratis iustificantis sita est vis iustificationis nostræ, non in excellentia actus nostri. Nam si ex debito fidei esset, iam non esset gratia. Christus ob id solum, quod ei credimus, nobis tam multa donans debitores nos sibi constituit. Imo id ipsum, quod credimus, ipse donat, ut omni via et modo simus semper eius debitores. Atqui non propterea quod debentes operemur, inutiliter operamur, ut sequens liber docebit. Opera nostra, quæ iustificationem sequuntur, non relinquit Christus inania, sed mercedem ultro vult superaddere, et in hoc ipso nos sibi magis deuincit.

Sed ad iustitiæ legis probationem redeuntes, profuisse opera legis, fateri penitus cogimur. Alioqui populo rudi imposuisset Deus, tam enixe ipsa facta præcipiendo, et ea seruantibus fauorem suum promittendo. Titulus vanus esset iustificationes legis vocare, si in operibus legis nulla fuit iustitia. Imo nisi hoc aliquid esset, superuacua esset Pauli disputatio, et ipse de non quæstione fecisset sibi quæstionem. Igitur hoc præmissum esse oportet, quod iustifi

iustificationis respectus erat per legem in factis situs. Verba legis sunt manifesta, quibus eos monet dominus, ut faciant, quod iustum est. Facere autem, quod iustum est, quid aliud est, quam iustitia, et iustificatio legis? Facere iudicium et iustitiam, quod passim in lege legitur, quid aliud est, quam iustificatio? Quid est, quod Moses iubet reddere pignus, ut habeas iustitiam tuam coram Deo? Deut. 24. Repetita voce ait Moses, Iustitia, iustitiam sequeris, et per eam viues Deut. 16. Immolabant illi sacrificia iustitiæ et faciebant iustitiam Domini Deut. 33. Quis negare potest Zachariam et Elizabeth ante cognitum Christum dici iustos, quia versabantur in omnibus mandatis et iustificationibus domini Lucæ 1. Hoc solum perpende, quare iustificationes vocentur. Quare vocant Christus et Paulus iustitiam legis, si nulla erat iustitia?

Ex Daudicis psalmis et aliis prophetis iustitiam legis fuisse iustitiam factorum, aperte conuincimus. Nam psal. 10. iustum vocat eum, qui facit iustitiam. Iustus est qui operatur iustitiam, psal. 14. Iustitiam meam, puritatem manuum mearum, psal. 17. Iudicia Dei iustificata, in quibus custodiendis retributio multa. psal. 18. Oculi domini super iustos declinantes a malo et facientes bonum, Psal. 33. Beati qui faciunt iustitiam omni tempore psal. 105. Disperfit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, psal. 111. Similes alii sunt psalmi, in quibus fit mentio de faciendo iustitiam, et iustitiæ vocabulum cum operibus coniungitur, ut latissime habetur psal. 118. In plerisque vero aliis psalmis, visa transgressorum, et præuaricatorum hominum turba, iustitiam domini postulat Daud, Christum desiderans cum iustitias operum nostrorum insufficientes esse videat. Sermo de Christo, ob sui excellentiam obscurat legis iustitiam: nihilominus erat ibi aliqua iustitia.

Post Daudem in Esaia quoque, ex factis esse iustitiam, ha-

betur cap. 3. 5. 26. 32. 58. et 64. Et omnium clarissime apud Ezechielem. cap. 18. 20. et 33. vbi Iudaicæ iustificationis vim totam patefacit ostendens, quod bene operari, facere Dei mandata et iudicia, sit facere iustitiam. Idem docet Michæas cap. 6. et reliqui omnes prophetae. Hoc ipsum habet tota lex. Hæc est mandatorum legis iustitia, vt faciens ea homo viuat in eis, dicto cap. Leuit. 18. cui concordat Deut. 4. 5. 6. 7. et 2. Esdrae 9. Non in cassum ait dominus, hæc præcepta sunt vobis: sed vt in eis viuatis, et ea facientes longo tempore perseueretis in terra vestra Deut. 32. Non est ea ratio præcipiendi cassa aut inanis, sed ad vitam facit, ergo non est impossibilis. Super impossibili enim non viuitur: sed in ipsis factis iustitiæ. Ita simpliciter ipsi accipiebant dicentes, In factis his erit iustitia nostra, et in eis viuemus. Deut. 6. Deus ipse ait de homine iustitiam faciente, Propter iustitiam, quam fecit, viuet, Ezech. 18. illud viuere, quod lex dabat, non erat super aliquo fidei articulo fundatum, sed super factis, vt ait Paulus, Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo viuet in eis. Comprobat hoc ipse veritatis magister Lucæ 10. dicens, Hoc fac et viues, etiam vita beata. Item Matth. 23. Hæc oportuit facere. Iustitiam ibi vocat Christus dicens, Venit Ioannes per viam iustitiæ, id est, seruans legem. Ergo via illa obseruationis legalis non est penitus impossibilis, si per eam venit Ioannes. Iustitia aliqua erat, si iustitiam vocat Christus. Eidem Ioanni dixit Christus, Sine vt compleamus omnem iustitiam, et Matth. 5. nisi excelluerit et abundauerit iustitia vestra, plusquam scribarum et pharisæorum. Quanquam excellentia iustitiæ nostræ, sit ex gratia et fide Christi: tamen etiam in factis iustitiæ vult ibi Christus nos excellere et abundare. Iustitiam factorum vocat Matth. 6. dicens, Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Iustitiam factorum, per quam estis in cælo mercedem habituri. Nemo, nisi a Simone mago fascinatus, hic negaret, esse in factis iustitiam, et ei certam in cælo respondere gloriae

gloriæ mercedem. Iustitiam factorum docet Ioannes in epistola, Qui facit iustitiam, qui exercet iustitiam, iustus est, ex Deo est, sicut Deus iustus est, iuste omnia faciens.

Quia vero ex Paulo male intellecto quidam hodie facta omnia vituperant, ex ipso Paulo ostendamus, non solum iustitiam legis, sed et iustitiam naturæ, esse iustitiam factorum, quæ et Christianis plurimum possit. Naturalis iustitia est reddere vni cuique, quod suum est: est omnibus prodesse et nemini nocere: est facere, quod conscientia et naturalis ratio apud omnes dicitur, ut quemadmodum tibi fieri velles, ita alteri tu facias. In hac iustitia docet Paulus gentes iustificari, et saluari, sicut Iudæos Ro. 2. Opera legis vocat iustitias, siue iustificationes. Factores legis ait iusti efficientur. Qui legem factis exprimunt, iusti habebuntur. Circumcisio prodest, si legem obserues. Dei iustitia est, ut qui male faciunt, male accipiant: et qui bene faciunt, bene accipiant. Qui male faciunt, obtemperant iniustitiæ. Operantibus bonum erit gloria, honor et pax. Redditurus est Deus unicuique iuxta facta ipsius, scilicet iis, qui in benefaciendo perseverant, vitam æternam. Imo ait, quod benefactis quæritur gloria, honor, et immortalitas. Item quod ipsa bene facta, aut male facta, cum eorum regula sit naturæ lege descripta, tam Iudæo, quam Græco proderunt. Ait item, Si præputium iustificationes legis seruauerit, erit iustitia. Si gentes opera fecerint iustificationibus legis similia, ipsæ quoque iustificabuntur. Gentes a natura doctæ, ob innatam deitatem passim obseruabant iustificationes legalibus similes, opera, quæ naturalis ratio dicitur. Ea ipsa vocat Paulus opera legis scripta in cordibus gentium. Quibus seruatis iustificabuntur per opera gentes. Quibus seruatis æquiparatur Iudæo Gentilis. Imo præcellit in hoc, quod Iudæus a suamet lege reus transgressionis arguitur. Vnde infert Paulus, Et iudicabit Ethnicus te Iudæum, qui per

qui per literam, et circumcisionem transgressor es legis. Vides hic modum iustificandi Iudæos et Gentes, a nostro distinctum, per opera, quæ lex vel naturalis ratio dicitur. Nobis data est certa regula fidei, ut in ea sola iustificemur: at ipsis non talis est data. Ideo natura supplet in eis, per conscientie regulam, docens opera naturaliter bona. Ea vero cum sint naturaliter bona, omnibus in futuro seculo proderunt, cum sint omnes ex factis suis iuste iudicandi. Hanc naturæ regulam ad nos spectare, docet Christus, dicens, Omnia, quaecunque volueritis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis: hæc est lex et prophetæ Matt. 7. Qui exercet misericordiam in proximum suum, etiam Samaritanus ille iustus est, et Iudæo iustior, Lucæ 10. Aduersarii quidam hodie nolunt concedere, Samaritanum illum esse ob misericordiam iustificatum: sed suis promissionibus aliter ludunt, quas ubique requirunt. Non solum Samaritanus ille eos conuincit, sed et publicanus, qui nec promissiones, nec Christum sciens, cum oraret, Deum sibi fore propitium, iustificatus est Lucæ 18.

Ex singularibus aliis gestis ostendere possumus, etiam omissis promissionibus, in factis fuisse legis iustitiam et naturæ iustitiam. Phinees perfodiendo fornicarios iustificatus est, Num. 25. et psal. 105. Quæ licet fuerit tunc carnalis hominis iustitia, et carnalis sacerdotii ei data remuneratio; fuit tamen Deo grata, et in futuro seculo profutura. Obstetricibus Aegyptiorum simili iustitia domos fecit Deus, quia pueros abscondebant. Exod. 1. Rahab hospitalitate sua ex factis iustificata est. Iaco. 2. et tamen promissiones non habebat. Factum Rechabitarum iustitia fuit, et remuneratio mox sequuta, Iere 35. Factum hic intellige, non ut in homine dormiente: sed quod operatur quis Deum timens, misericordia motus, ut Samaritanus, zelo bono, ut Phinees, conscientia id dictante, Rechabite patri suo ob
edien

ediendo fecerunt. Ieiunium Niniuitarum iustitia fuit, licet nullas ibi haberent promissiones, sicut nec pro facto obstetricum fuerat quicquam promissum. Sed timebant obstetrices Deum, et credebant Niniuitæ, posse Deum ruinam vrbs auertere. Abimelech rex Gerar, iustus dicitur et integro corde Genes. 20. et promissiones nullas habebat. Niniuitæ credentes Deo Ionæ prophetæ iustificati sunt, qui nec promissiones ab eo factas, nec legem sciebant. Agar promissiones non habebat, sicut nec Rahab, nec Thamar, nec Ruth, nec regina Saba, nec Iob, nec Cyrus, nec Naaman Syrus, nec Cornelius: et tamen eorum iustitiam legimus. Promissio ergo non in quauis iustificatione requiritur, vt quidam hodie clamant. Qualiscunque de Deo fides in infulis nouis, sufficere potest, modo quis secundum conscientiam recte operetur, Rom. 2. et acto. 10. Nam parcit misericors dominus super hominibus illis, qui quasi iumenta, nesciunt inter dextram suam et sinistram Ionæ 4. et psal. 35. Factum Loth recipientis angelos hospitio, iustitia fuit, etiam si nullæ ibi essent promissiones. Abstinencia Danie- lis a vino et pollutis cibis, iustitia fuit. Factum viduæ Sidoniæ, recipientis Eliam, iustitia fuit. Factum viduæ mittentis in gazophylacium iustitia fuit, teste Christo. Eleemosynæ, quas Nabuchodonosori indixit Daniel, iustitia erant, etiam in Ethnico, nec promissiones, nec legem habente. Vt paucis dicam, Ipsa vis vocabuli iustitia factum esse docet, cum sit reddere vnicuique, quod suum est. Originalis et naturalis ipsa iustitiæ vis in facto est, est animi motus ad factum, ad reddendum vnicuique quod suum est. Iustitia naturalis et diuina est, aliis facere quemadmodum tibi fieri velles. Hæc est naturalis regula, doctore ipso Christo, qui vice legis et prophetarum hanc naturæ regulam dedit, mandata legis abrogans.

Abraham item ex factis iustificatus est, offerens filium suum

suum super altare, teste ipso Deo : Per memetipsum iuravi, quia fecisti rem hanc. Gen. 22. et Iac. 2. Eum antea et ca. 15. sola fide iustificatum docet Paulus Rom. 4. Quia nullo penitus existente ibi facto dictum est, Credidit Abraham Deo, et Deus reputavit hoc illi ad iustitiam, scilicet, sicut si iustitiam fecisset. Hæc est vis Hebraicæ dictionis **צדק** hassab, cogitans reputavit. Reputatum est ei, sicut si princeps apud se animum sui militis cogitans, ex gratia et privilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta. Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahamæ, nec nostræ: sed ex gratia id ibi factum est. Figura fuit rei futuræ, ut Christi in nos gratiam magnam intelligamus. Nos ita Deo placemus Christo credendo, et ita hunc affectum ille nobis reputat iustitiam, ac si omnes legis iustitias fecissemus. Imo plus, cum sit hæc sublimior regni cælorum iustitia: et eo magis, quia illæ legis iustitiæ male servabantur. Hæc est causa mutati fœderis, et hanc pravam observationem Iudæis sæpe obiicit Christus. Hinc rationes efficaces sumit Paulus contra literalem illam legis iustitiam.

Primo, quia carnalis erat iustitia, insufficiens, imperfecta, non veritas, sed umbra, quæ nec peccatum Adæ, nec infernum tollebat, nec paradysum aperiebat mortuis, nec in regnum cælorum viuos inducebat. Secundo, quia non erat constans, eam non assequebamur. Ea quæ debebat, nemo est integre operatus, quin transgrederetur. Nam rebellis caro tendit semper ad malum, insita nobis lege membrorum contraria legi Dei, ut in vetitum semper nitamur. Tertio, quia lex peccatum indicabat, et cognitio peccati, quæ per legem erat, delictum maius faciebat. Vnde concludimus, verum esse dictum Pauli, Carnalem hominem non potuisse ex operibus legis coram Deo iustificari, quin transgrederetur. Singula verba suum pondus habent. Coram Deo ait, quia plerique hominibus iusti videbantur, at
non co

non coram Deo, qui cor nouerat, vt Christus declarat. Ecce legis difficultatem, imo impossibilitatem, si iugem obseruationem velis. Impossibile fuit legem iugiter obseruare. Nihilominus dabatur plerisque ea mens, ad certa saltem momenta, vt legem cum affectu tenentes nullam tunc transgressionem facerent. Faciam, inquit, vt in præceptis meis ambuletis, legem meam custodiatis et faciatis Ezech. 36. 37. et Deut. 30. Obseruatio legis erat, quando quis operabatur, quod poterat, confidens, misericordem dominum defectus condonaturum: qui ob id expiationes dedit, quibus, quoquo modo reconciliarentur: ab Adæ tamen peccato, et infernali morte, per legem nunquam liberati.

Cum itaque legalis, et naturalis ipsa iustitiæ vis sit in facto, sit animi motus ad factum, Abrahamæ et nostram reputans Deus fidem ad iustitiam, ex mera sua gratia, non propterea naturalem totam iustitiam et operum omnium bonitatem deleuit: cum eorum sit coram Deo habenda ratio, non solum in Iudæis et Gentibus, sed et in nobis fide iustificatis. Ad huius item iustitiæ robur et confirmationem, facta ipsa plurimum faciunt, instar Abrahamæ, ex factis quoque iustificati, Genes. 22. et Iaco. 2. Aliquid gratiæ, et maioris fauoris Dei, peperit factum illud ipsi Abrahamæ, cum tunc copiosiore, quam antea, fecerit Deus promissionem, et tunc iurauerit Deus, quod antea non fecerat, quando Abraham crediderat. Tunc est firmata, roborata, et aucta eius iustitia. Ex illo ergo cap. Genes. 15. est cum Paulo primo dicendum, Abrahamum esse sola fide iustificatum, sine aliquo tunc facto. Rursus ex cap. 22. cum Iacobo dicimus, Abrahamum ex factis quoque postea iustificatum, accessione ad priorem iustitiam facta firmataque tunc, et perfectiore reddita priore iustitia. Hoc Iacobus ipse docet apertissime, dicens, emori iustitiam fide par

fide partam, si consequentia facta eam non fulciant: dicens etiam, ex operibus esse fidem Abrahæ perfectam redditam et consummatam. In pauca rem totam contrahentes, dicimus, homines olim in lege naturæ, et lege scripta, variis rationibus, et varie iustificari. Erant iustificationes plures, quas ob id plurali numero iustificationes vocat scriptura: ut pro quocunque dicto, vel facto, vel cum affectu cogitato, iuxta Dei voluntatem iustificaretur homo. In Abraham autem, patre et veritatis typo, iustificatio vna describitur, quæ fide est parta, et facto locupletata. Christiani ergo fide iustificati, possunt adhuc per opera iustificari, accessione ad priorem fidei iustitiam facta. Quam operum accessionem, et factorum in animam impressionem, sequens nunc liber docebit.

Liber

LIBER TERTIVS, DE CHARITATE CVM

fide collata et operibus
bonis.

CAPVT PRIMVM, DE MER- cede, et gloria differentia.

DE Charitate nunc et operibus dicturi, præ-
ludii vice argumentum vnum in eos proferemus, qui
nec charitati nec operibus quicquam tribuere volunt.
Ponamus, quod cuiquam in Christum credenti dicat
ipse saluator, Fides tua te saluum fecit, vade in pace.
Aut si quam aliam fidem volunt, ponamus quod ali-
cui eam reputet Christus ad iustitiam. Hic sola fide
iustificatus dicetur, sine operibus. An propterea
opera omnia, quæ hanc fidem in Christiano iustificato
consequentur, erunt inutilia? Absit. Quare pro ta-
libus Christus præmium et mercedem fore prædicat?
Hoc alia res est, quam prior iustificatio. Fidei iusti-
ficatio, tamquam legis iustitiæ complementum, præ-
sentem statum respicit: futuri quoque seculi gloriam
inducens. In ea vero gloria poterit augeri merces
et rependi, sicut rependitur gentibus omnibus. Re-
pendetur, inquam, ad certam futurorum symmetriam,
et mensuram, vt ea mensura, qua aliis metimur, re-
metiatur nobis. Non ludebat Christus, sed serio lo-
quutus dixit, patrem redditurum mercedem in pro-
patulo, pro eleemosyna, oratione, et ieiunio, quæ
fiunt in occulto. Matth. 6. Inimicos diligens,
præmium maius habebit, quam diligens amicos.
Matth. 5. et Lucæ 6. Plus diligenti plus condona-
tur,

tur, Lucae 7. Vocanti pauperes ad mensam rependetur in resurrectione iustorum. Lucae 14. Etiam pro potu aquae frigidae certam mercedem dabit Christus. Matth. 10. Aiunt isti, iustificatis fore omnibus æqualem gloriam, et reprobis æquales pœnas. Hinc fit, ut Iudas Christi proditor, non grauius puniatur, quam cuius alius, qui Christum non nouit. Nugabatur igitur Christus, tam graue dicens esse Iudæ crimen, esse maius Iudæ quam Pilati peccatum? Res profecto stupenda. Eo magis, quia sacris literis aperte docemur, futurum, ut vnus alterum præcedat, vnus maior, alter minor. Quibusdam tolerabilius erit in die iudicii, quam aliis. Quidam grauius punientur, et erunt filii geennæ duplo plus quam alii. Duplo maius accipient iudicium, et damnationem maiorem ob mala opera. Matth. 5. 10. 11. 23. et Marci 12. Alii plagis vapulabunt multis, alii paucis, iuxta delicti rationem, Lucae 20. pro mensura peccati erit plagarum modus, Deut. 25. ex seminato fidei grano nos crescimus et augemus ad triginta, sexaginta, et centum: super talento dato lucramur ad duplum, quintuplum, et decuplum. Sicut stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15. Quia opera illorum consequuntur illos, et quia iudicabitur de singulis secundum opera ipsorum, apoc. 14. et 20. Item apocal. 18. Duplicate duplicia secundum opera eius: quantum glorificauit se in deliciis tantum date illi tormentorum. Hæccine videtur eis vera iustitia, ut maiori crimini non maior pœna infligatur? Nonne de omni facto, et verbo ocioso, reddenda est ratio in die iudicii? Quorsum attinet tam altum de dictis et factis scrutinium vsque ad vltimum quadrantem, si nec dicta, nec facta prodesse ibi possunt, vel obesse? Supremus equidem ille iudex iuxta cuiusque opera vel facta pœnas vel præmia rependet. Filius hominis venturus est in gloria, et tunc rependet vnicuique iuxta facta ipsius, Matth. 16. Super reci-
tatio

tatione factorum sententiam laturus est, dicens, Esuri-
enti et sitienti tu dedisti, ob id benedictus. Tu non
dedisti, ideo peribis. Item quia tu nudum vestisti, tu
nos vestisti, et reliqua, Matth. 25. Pro iis quæ be-
nefecimus, mercedem accipiemus, et qui peccauerit,
peccatum suum reportabit, nec erit personarum respec-
tus, Colof. 3. Apud istos, qui opera omnia vilipen-
dunt, ridicula est hæc ex factis iudicandi ratio, cum
solam fidem ibi spectandam dicant. At veritas tota
contradicit. Nam qui fidem veram sunt adepti, ibi
non iudicabuntur, ut iam est ostensum: sed erunt ipsi
iudices. De factis vero aliorum erit iudicii altercatio,
de singulis eleemosynis, et aliis operibus. Obserua le-
ctor, aliud esse fide quem iustificatum, nunc in regno
cælorum vivere, et aliud ex operibus bonis mercede-
dem in futuro seculo accipere. Perpende quæso, iusti-
ficanti fidei, et homini iustificato, aliquid ex operibus
accedere, siue illud sit iustitiæ incrementum, siue fu-
turæ gloriæ aliqua merces. Perpende adhuc, quod fi-
dei iustificatio animam nunc glorificat et totius homi-
nis glorificationem superesse. Si ergo est totius homi-
nis aliqua felicitas, ad eam actus totius erunt accom-
modi. Alioqui frustra essent homini dati sensus et
membra, si per ea nec potest iuvari ad salutem, nec
lædi ad damnationem. Demum hoc cogita, etiam ipsi
Christo in deitatis plenitudine, et in omnibus iustissi-
mo, adhuc opera profuisse ad gloriam perficiendam, ut
in summam sit sublimitatem exaltatus, quia se sponte
ita deiecit et morti obiecit, Phil. 2. Ergo qui pro
eius fide propaganda, martyrium sponte patiuntur,
peculiaris gloriæ palmas habebunt, apoc. 7. Sicut
actibus malis, quibus non est data remissio, responde-
bit peculiaris pœnæ remorsus: ita actibus bonis, si
perduraueris, respondebit peculiaris gloriæ gaudium.

CAPVT SECVNDVM, DE

Charitatis illustribus

epithetis.

His præmissis latius est nunc de charitate dicendum. Cuius supremam laudem satis nobis indicant duo hæc apostoli præconia, Maxima omnium est charitas. Excellentiorẽ viam vobis ostendo. Sed fusius de ipsa loquamur, ne quis solis titulis eam nobis extollat. Nam maxima dici non potest sine maximis proprietatibus, et excellentiis maximis. Hoc præmiũ est notandum, charitati semper tribui perfectionis epitheta. Vt quando venerit, quod perfectum est, scilicet charitas, abolebitur quod ex parte est, scilicet fides. Varias fidei acceptiones hoc loco plerique sibi fingunt, quasi ratio Pauli non generaliter doceat: Fides iustificans excidet, imperfectior est igitur charitate. Annon fides vera est quam ait apostolus, esse iudicem non apparentium? Vbi igitur apparebunt omnia, non erit tunc fides, sicut nec spes. In futuro perfectissimo seculo erit charitas, non fides aliqua. Christus charitatem habuit, non fidem, sed quid aliud maius fide, scilicet scientiam omnem. Nostra igitur in Christum perfectio est charitas. Charitas nos Deo magis assimilat, quia Deus ipse charitas est. Perfectio et plenitudo legis est charitas: et qui diligit, legem impleuit Rõm 13. Charitatis nomine tota lex summam continetur. Consummatio legis est dilectio. Christus in dilectione totam legem consistere dixit. Nam qui diligit, non furatur, non occidit, et reliqua. Vestis nuptialis, quam semper debet indutam habere, quisquis ad nuptias Christi per fidem intrarit, charitas est cum reliquis, quæ fidem ornant operum vestimentis. Matth. 22. Charitas est oleum, quod semper in lampadibus suis habere debent, qui lampades il-

las

las in regno cælorum per fidem accenderunt, Matth. 25. Sublimis et eximia est charitatis via, 1. Cor. 12. Maxima omnium est charitas, 1. Cor. 13. Charitas ædificat, charitas permanet, charitas patiens est, benigna est: non invidet, non est petulans, non inflatur, nihil fastidit, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Præterea Galat. 5. complementum legis unico verbo docet Paulus in charitate. Et Ephes. 3. Si iactis in charitate radicibus, cognoscere valeas illam omniscientiæ præeminentem dilectionem Christi, impleberis in omnem plenitudinem Dei. Et ibidem cap. 4. Corpus Christi in nobis facit incrementum per charitatem. Item Galat. 3. super omnia charitatem, quæ perfectionis est vinculum, commendat. Et 1. Timot. 1. Finis præcepti est charitas ex corde puro. Et Iaco. 2. legem regiam vocat vere liberam, quæ dilectione consummatur absque seruitutis timore. Et 1. Pet. 4. ante omnia charitatem, quæ multitudinem operit peccatorum, eos vehementer habere monet. Demum, duo esse Christianorum præcepta, ex ipsis Christi verbis infert Ioannes. Primum, ut credamus nomini Iesu Christi filii Dei. Secundum, ut diligamus nos mutuo, Ioan. 13. et 1. Ioan. 3. Charitatis status post adeptam Christi iustitiam, est eximia quædam, et cælestis via in cælesti regno, ut in cæna domini ostenditur. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum, citat Clementem, Petri discipulum, cuius hæc ait esse verba, Charitas extollit in altitudinem, quæ non potest explicari, Charitas operit multitudinem peccatorum, Charitas nos Deo conglutinat, in charitate consummati sunt omnes electi, absque charitate nihil est Deo gratum, eius denique perfectionis non est explicatio. Opus hominis maximum ait esse Deum diligere, et maius quam Deo credere.

CAPVT TERTIVM, QVID

fides efficiat, quid charitas, et opera.

VI fidei peculiarem vim nunc intelligas lector, hoc aduerte primo, Adæ mortem infernalem, qua detinebaris. Huius mortis cognitionem te habere oportet, vt iustificationis vim perspectam habeas. Idcirco Paulus eam mortem in epistola ad Romanos admiscuit iustificationis tractatui. De qua re nos scripsimus satis in libro de peccato Adæ. Hæc sola ratio peccati, etiam barbaras fateri cogit mediatorem aut propitiatorem aliquem. Euidens res est, si se mole peccati oppressum quis intelligat, et liberari cupiat. Secundo aduerte iustificationes legis non potuisse te ab illa infernali Adæ morte liberare. Imo abundauit delictum propter transgressionem. Tertio aduerte, te non modo per fidei Christi iustitiam ab illa Adæ morte, inferno, et a legis iniustitiis liberatum, sed etiam alia adeptum eximia spiritus et corporis Christi cælestia dona, et cæleste regnum. Vt autem gratia ista, per Christum tibi prædicatum debite fruaris, oportet primo, vt malorum pœnitentia ductus, ita resipiscens te totum Christo credas, certo persuasus ipsum esse a Deo genitum saluatorem tuum, qui magna sua gratia te id credentem saluat: qui ob hanc fidem te ita iustum reputat, ac si totam mundi iustitiam esses operatus. Quod ille redemptionis tuæ precium suo sanguine persoluit, et pro te omnia redemptionis tuæ mysteria operatus est: sicut et pro te omnia legis opera operatus est, et compleuit, si forte te ad ea ex genere Abrahamæ teneri putabas. Quod sola eius misericordia et gratia, sine tuis meritis, tibi sunt condonata peccata, et vita restituta.

Hic sen

Hic sensus vitæ Christi debet in te necessario acquiri, vt cum hanc gratiæ ipsius dulcedinem olfeceris, iustificantis fidei, et redemptionis gustum percipias. Fides igitur Christi sola viuificat, iustificat, saluum reddit, et redimit. Viuificat a morte, iustificat a peccato, saluat ab infirmitate et damnatione, redimit a captiuitate. Vna sola est perfecta iustitia, constans, ab inferno liberans, quæ est ex sola fide Iesu Christi. Nemo vnquam ex operibus est hanc iustitiam adeptus, atque ita nemo vnquam est per legem iustificatus. Adam nos captiuos diabolo fecit, Christus nos ab ea captiuitate redemit, per solam hanc fidem, quia ei credidimus. Adam nos interfecit, Christus nos viuificauit, per solam hanc fidem. Adam nos fecit peccatores, Christus nos a peccato iustificauit, per solam hanc fidem. Adam nos in inferni damnationem præcipitauit, Christus nos ab inferni præcipitio et omni damnatione seruat, per solam hanc fidem. Similiter lex nos tanquam seruos sub iugo tenebat, Christus nos ab ea seruitute eripiens, liberos reddidit, per solam hanc fidem. Lex nos accusabat, Christus nobis propitiatur, per solam hanc fidem. Lex nobis male dicit, Christus nobis bene dicit, per solam hanc fidem. Lege peccatum augebatur propter transgressionem, Christus et peccatum deleuit, et transgressionis occasionem fustulit, per solam hanc fidem. Denique Christus per solam hanc fidem nos ab omni Adæ et legis maledictione liberauit et iustificauit. Imo et alia ipsi fidei velut ex abundanti adiecit lauacri spiritus et cælestis cibi cælestia dona, et cæleste regnum. Hæc omnia gratis semel contulit Christus a tempore, quo ei credere cœpimus. Nec solum collata fuit semel gratia, quando credidimus: sed per fidem Christi in ea gratia seruatur et sustinetur iustus, qui ex fide viuit. Per fidem Christi est iam data vita æterna, in cuius possessione, certa, et cælesti possessione per fidem Christi nos regeniti seruamur: consequente

semper manducatione ligni vitæ, vt postea dicemus.

Prædicta omnia ob fidem data, nec charitatem, nec opera bona mercede sua priuant. Iis non obstantibus, imo iuuantibus, charitatis opera si beatitudinem in futuro seculo reuelandam spectes, mercedis suæ, seu augmenti gloriæ, rationem habent. Hoc primum illa præstant maximum fructum, futuræ gloriæ auctam mercedem. Secundo, fidem ipsam vestiendo seruant, sine quibus nudata moritur. Tertio, opera spiritus carnem mortificant, et spiritum magis viuificando, fidem magis augent, ac iustitiam augent, firmant, et roborant. Quarto, peccatis singulis respondet certa pœna, quam passim tollit charitas, et tollunt opera bona. Quinto, in ædificando corpus Christi in nobis, Charitas habet energiam supremam, in cœna domini declaratam. Sicut nos per officia charitatis, vnus membri in alterum, magis, et magis in vnum corpus ædificamur: ita corpus Christi magis in nobis per eandem charitatem facit incrementum. Ephes. 4. Tunc Christus vltro ad nos venit, sese nobis aperit, nobis se magis insinuat, et mansionem in nobis facit, Ioan. 14. Hoc est in cœna verum charitatis symbolum, vt sicut nos ex charitate panem nostrum frangentes Christianis communicamus, ita Christus ipse se nobis communicat, et perfectius tunc in nobis est. Hanc charitatis vim in tractatu de cœna domini cognosces adeo efficacem, vt substantialiter ob id nobis adiungatur Christus, secundum carnem et ossa. Nec hoc solo dono nos his donat Christus, sed et pro ea cœnæ charitate in resurrectione rependet certam gloriæ mercedem Lucæ 14. Mirandum sane de illis, qui hoc augmentum agnoscere nolunt: nolunt intelligere, quid sit superlucrari et thesaurizare. Nos scripturæ morem, signanter doctrinam verborum Christi in omnibus sequi volumus, dicentes primo, quod credentibus in filium Dei, ex gratia datur nunc iustitia, et æternæ illius vitæ

vitæ fruitio, Ioan. 3. 4. 5. 6. et 17. Secundo dicimus, quod in ea vita, gloriæ mercedem augemus per charitatem et opera bona, Mat. 5. 6. et 25. præsertim in vocando pauperes ad mensam, dicto cap. Lucæ 14. Imo dare calicem aquæ frigidæ, certam mercedem habet Matth. 10. Fœneratur domino, qui miseretur pauperi, et retributionem eius reddet ei Deus, prouer. 19 Nec minimam tu facis eleemosynam, quin tibi reposita maneat, nec ab ærugine, nec a tineis perdenda, vt ait Christus. Eam eleemosynam tibi repositam postea tu inuenies, Ecclesiastes, 11. Qui seementem facit parce, is parce messurus est: qui seementem facit copiose, liberaliter, ac benigne largiendo, is copiose messurus est, 2. Cor. 9. Diuina pecunia, non iumentis habentibus seruum arbitrium, sed hominibus negotiatoribus ad mensam data est, vt eam velit Christus cum fœnore exigere. Matth. 25. et Lucæ 19. Nondum se nouit factum Christianum, qui charitatis vim in cœna domini non nouit, et qui mercedem istam totis viribus sibi non comparat et thesaurizat. Infelix erit seruus, qui talento fidei dato nihil superlucrabitur, et qui super fundamento iacto, nihil superædificabit. Pro hoc omni opere, quod superædificamus aut mercedem certam accipiemus, aut certam pœnam. 1. Cor. 3. et 9. Momentanea hæc afflictionis lenitas, et modicus pro Christo labor, mirum, et supra modum magnum, et æternum gloriæ pondus nobis parit. 2. Cor. 4. Hæc omnia nobis hic relinquere voluit Christus, vt interim negociemur, sicut ipse nobis negociandum præcipit: alioqui frustra in mundo viuimus. Quod enim ad fidem, et internum hominem adtinet, translati sumus in aliud cæleste regnum, et non sumus de hoc mundo. Quia tamen adhuc corpus adest, oportet eum in dies ad pietatem exerceri: vt in omnibus fructificemus et fiamus abundantiores: vt ex mammona nobis multos amicos faciamus, ac magis et magis Christus in no-

bis formetur. Si charitatis vis esset omnibus nota, non mirarentur quidam quod mulieri dixit Christus, Remitti ei peccata multa, quia dilexit multum. Lucæ 7. Nam tametsi illud sit fidei proprium, sicut ibidem ait Christus, quod fides eam saluam fecit, tamen qui diligit, plus est, quam qui credit. Vbi fidei additur insignis aliqua dilectio, aut insigne aliquod opus, multo fortius condonantur peccata, confirmatur iustitia, et gloriæ merces diligenti supra non ita diligentem vltro parata est. Ac dici tunc posset, Quia fecisti rem hanc, tibi condonantur peccata: quia hoc fecisti, iustificaris, Genes. 22. et Iaco. 2. perfecta scilicet, et consummata magis iustitia. Tale bonis operibus testimonium dat Deus, vt Cornelii eleemosynas et orationes in conspectum Dei ascendisse, dicat angelus, antequam Christo ille crederet, acto. 10. Idem de vidua paupercula docet Christus Lucæ 21. et de Samaritano Lucæ 10. Martyres quoque virgines, et alii, qui post adeptam Christi fidem, magno operati sunt, peculiarem ob id habent gloriam, vltra alios credentes, vt docet apocalypsis.

CAPVT QVARTVM, DE factorum origine et ef- ficacia.

Non abs re iam fuerit, operum naturales causas perquirere, quanquam præstaret ea factis potius exprimere. Quia tamen plerique de ipsis finistre philosophantur, volo et ego meam philosophiam in medium proferre. Quanquam fides, charitas, et alii interni habitus ad operandum promoucant, tamen alia princeps est operum causa, cuius illi habitus sunt instrumenta. Motus spiritus est, qui sponte et libere in opera prorumpit, vltra omnem volitionem, seu qualitatem internam. Imperatur actus exterior ex solo animi du

mi ductu, motrices spiritus ad externa membra mittentis. Et hic motus, seu prosequutio spontanea, supra omnem volitionem est. Maior est difficultas in prosequendo, quam in volendo. Nos multa dicimus, volumus, et cognoscimus, sed pauca facimus rebelante carne. Ultra omnem volitionem oportet ipso motu membra rebellia vincere, ac contrarios actus superare. Et hoc, quod difficilius in actu superest, est summe Deo gratum. Christus quia in omnibus vincebat humanum affectum, ut faceret semper voluntatem patris, ideo fuit semper gratus patri. Egregium est nobis exemplum. Quanquam in Christo non est rebellio peccati, tamen caro semper actum mortis exhorrescebat. At Christus ut patri complaceret, et quia nos amabat, non solum libero animo interne consensit: sed et externum actum libere prosequutus est, etiam cum lachrymis, sudore sanguinis, clamore valido, carnis multiplici dolore, et cruciatu maximo. Hoc non faciebat Christus ex seruo arbitrio, sed mere libere, ex dilectione erga patris voluntatem, et erga nos miseros. Actus ergo ipse pluris fuit quam ipsa volitio, quam semper habuit Christus: quia in executione sibi ipse vim maximam fecit, adeo ut ex ipso conatu erumperet sudor ut guttæ sanguinis concreti. Luc. 22. Eius instar oportet, ut nos nobis ipsis vim faciamus violentia quadam regnum illud possessuri. Matth. 11. Violentia est in resistendo carni, et contraria faciendo. Ultra priorem fidem, vim sibi maximam fecit Abraham filium unicum dilectum suis manibus occidendo: ob factum illud magis iustificatus. Adde quod scriptura sancta prudenter opera respicit ea distincte commendans. Aliud est præceptum de non furando, et de non appetendo res alterius: quia aliud est ibi delictum: sicut in concupiscendo uxorem alterius, et adulterium committendo. Sicut ergo in actu

actu ipso est nouum delictum, ita a contrario in bono opere est nouum præmium, vltra priorem volitionem. Qui sapientius philosophati sunt, experti sunt, in operibus virtutis sitam esse arduam illam felicitatis viam: et vltra omnem habitum internum superesse ipsam operationem tamquam finem vltimum. Experti sunt viri, ab operibus animum affici, ab illis bonum in animo habitum generari, et genitum roborari. Ab ipsa operatione animus afficitur, sicut ab obiecto afficitur sensus. Per actus difficiles animus probatur, et bona opera bonum animi motum secum trahunt. Difficilis virtus paupertas, difficile est bona dare et crucem tollere, At Deo est id tanto magis gratum. Vltra omnem volitionem, seu mentis internam qualitatem, nouus quidam requiritur ipso executionis tempore conatus, et spontanens membrorum rebellium motus, qui miræ est efficacæ. Quæcunque sit præexistens fides, et qualitercunque sit arbor facta bona, adhuc tamen in nobis supersunt membra rebellia, ab omni bono opere retrahentia: contra quæ conari nos iugitur oportet, et hic labor non erit inanis in domino. Quanquam anteuertens Christus a priori arborem fecerit bonam, vt facere possit fructus bonos: non tamen propterea eos semper facit, rebellante carne. Aliquid hic nobis relinquitur faciendum. Quanquam item a priori fecerit Christus arborem bonam: non tamen propterea sublatus est confirmatorius ille a posteriori processus, ab effectis ad causam. Fides adiumento est factis, et ad faciendum iuuat: sicut contra ex factis fides ipsa perficitur, Iac. 2. Vt ex bono habitu bonus actus generatur, ita contra a bonis actibus bonus habitus generatur, et genitus roboratur. Ab ipsa operatione animus afficitur, nec fiunt vnquam bona opera, quin aliquid in animum imprimant. Vfus operandi summos artifices facit, heroica facta fortes viros, et Christianos veros, quos fides fecerat Christianos, charitas consum

consummat. Sine actibus refrigescit habitus, et fides emoritur, ut ait Iacobus. Non ita producitur ab habitu actus, nec a fide opus, ut ab igne calor: sed spontaneus cordis motus, et conatus liber accedit. Alioqui nunquam non operaremur, et ut iumenta duceremur, cum seruo nostro arbitrio. A bonis igitur operibus, bonus habitus in animo generatur, a bonis operibus animus efficitur bonus: et qui per fidem erat factus bonus, melior adhuc efficietur: eiusque bonitas operando firmatur, roboratur et augetur.

CAPVT QVINTVM, DE
charitatis et fidei collatione,
ipsiusque charitatis ex-
cellentia.

Collationem nunc superest faciamus inter fidem et charitatem, ut quibus rationibus fides sit maior et quibus charitas, ostendamus. Hoc præmittendum est, fidem veram persistere non posse, sine spe et charitate, licet eis dicatur esse prior. Non potest quis vere credere, hunc esse authorem vitæ æternæ, quin vitam illam mox speret. Non potest quis vere credere, rem aliquam sibi esse in omnibus utilem, quin illam mox amet. Eo magis, quia spiritus ipse fidei author charitas est, ad charitatem excitans, et spem certam ita faciens, ut Christo credens nunquam pudeat. Quanquam ergo iungantur hæ virtutes, quia tamen vere differunt, collatio inter eas locum habet, ut sacris litteris exprimitur. Principio negari non potest, fidem esse primam, primum salutis principium, et ostium regni cælorum. Fides maior est, quia per eam habemus Christi gratiam, cui gratiæ nihil potest comparari. Fides maior est, quia est hypostasis, seu fundamentum æternæ salutis. Quia tamen excellentia
ipsius

ipsius fidei non est ipsius fidei propria, sed gratiæ Dei non erit repugnantia, si iterum dicamus, charitatem esse maximam. Non propter nostræ fidei merita nos iustificat Deus, sed propter suam misericordiam et gratiam. Placuit Deo, eam in filium fidem acceptam habere: idque magis, quia in ea ipsa filii gloria patris gloria patefit. Quamuis in fide sit primum, et perpetuum nostræ salutis fundamentum, tamen si ea, quæ sequuntur, scruteris, charitatem inuenies esse maiorem. Hæc sit prima ratio, quare ipsam charitatem voco maximam. Quia ea, quæ a nobis exiguntur, donata iam per fidem iustificationis gratia in charitate maxime sita sunt, et maximum allatura fructum. Secunda ratio. Quia charitas latius se diffundit. Fides est in Deum, charitas in Deum et in proximum, in caput et membra. Corpus Christi in nobis per charitatem ædificatur, per officia vnius membri in alterum. Tertia ratio, Quia charitas efficaciam ipsi fidei tribuit, et eam viuificat. Charitas fidem viuificat, quia spiritus sanctus, qui charitas est, est vita ipsius fidei, et quia opera charitatis viam fidem seruant. Quarta ratio, Quia ardua magis res est amare, quam credere. Ardua quæque charitas facile tolerat, omnia suffert, et facilia reddit, vt paupertatem, mortem et alia: qua etiam ob charitatem Christus pro nobis tulit, nos ita impense amando, Quinta ratio, Quia charitas permanentior est, Charitas naturaliter symbolizat, cum regno futuro, in quo nihil erit, nisi charitas. Sexta ratio. Quia fides est ostium, charitas est perfectio. Fides inchoat, charitas consummat, improbi plerique crediderunt in Christum, sed improbus nemo dilexit Christum, tanta est dilectionis perfectio. Regni Christi ostium est fides, et eius perfectio charitas, ac media via tota charitas. Finis vltimus est charitas, mansura, sicut origo nostræ salutis est charitas, et amor Dei erga nos.

Septi

Septima et vltima ratio, Quia Deus charitas est. Nihil est quod nos Deo magis assimilet, quam charitas, quia Deus charitas est. Charitas ipsa Deus est per spiritum sanctum in nos diffusa, nos charitate inflammans. Quare potius dicitur Deus charitas, quam fides? et spiritus sanctus charitas? quia proprium naturæ diuinæ est amare, non credere. Semper igitur concluditur sublimis et eximia charitas, et Deo magis similis charitas.

Quanquam hæc sunt satis ostensa, adhuc tamen ostenditur charitatis perfectio ex ordine doctrinæ Christi, a quo tanquam a vero magistro, omnem discas veritatem. Nam regnum Dei ipse euangelizans semper nos fide vocabat. Postmodum autem in nouissimo dedit charitatis præceptum, eius vim mire commendans. Ioan. 13. 14. et 15. Nouum præceptum in regno cælorum est de charitate. Præceptum inquit nouum do vobis. Tunc est perfecte Christus in nobis, quando eum cum affectu diligimus: tunc se nobis insinuat, et facit in nobis mansionem. Fides nouis tyronibus est primo instituta, vt postea Christum magis et magis diligant, et roboretur etiam fides. Suos puillos Christus pollicitationibus et miraculis in fide primo instituebat. Petri dilectio non fuit initio requisita, quia nondum erat in eo, licet iam crediderat. In nouissimo autem dixit ei Christus, Petre amas me? Tunc inuenta est in eo dilectio, scilicet in viro perfecto. Sicut Paulus charitate ait se factum virum, et aboleuisse puerilia 1. Corin. 13. Imo: (tanta est veræ dilectionis difficultas:) ter repetita est Petri dilectio, vt nemo Christum vere diligere credatur, nisi fuerit pluries probatus interrogante tunc Christo: Diligis me, diligis me, amas me? Relinque omnia, et sequere me. Duo sunt hæc argumenta, charitatem esse nouissimam ostendentia, nouissimum Christi præceptum, et nouissima Petri dilectio. Ecce quare scriptura fidem vocat hostium, et perfectionis prædicata chari

charitati tribuit. Hæc ratio perfectionis charitatem maxime arguit, quod maior de Christo cognitio requiritur, ut eum ames, quam ut ei credas. Tardius instar Petri eum amas, quando fueris cum eo diu conuersatus. Tunc nascitur vera charitas et amor Christi, cognita rei bonitate et excellentia, et cognitis tantis beneficiis eius in nos collatis. Prædicta omnia doctrinæ Christi vestigia in ipso discipulo Paulo licet intueri. Nam sicut ordinem fidei et charitatis, in præcipiendo seruauit Christus, ita et Paulus hunc ordinem seruans, in omnibus epistolis a fide semper inchoat, contra neophytos Iudaizantes, ut ratio temporis exigebat, multis de fide viriliter agens. Demum omnes in charitate semper concludit sua, charitati dans perfectionis epitheta. Quod primo apparet in epistola ad Romanos, ubi aperto Iudæis et gentibus ostio fidei, eos vult in charitate consummari et cap. 12. et 13. ad charitatem et bona opera se conuertit, charitatem dicens, esse omnium consummationem, et complementum: et per eam excellentiore quodam modo Christum nobis appropinquare. Propinquior inquit est nunc salus nobis diligentibus Christum, præsentem, quam tunc, quando credebamus eum futurum. Res enim absentes non æque diliguntur, ut præsentem, licet credantur. Qua ratione et nos excellimus Iudæos. Non fuit tunc tanta dilectio Christi futuri, quanta est nunc dilectio præsentis. Prædictum charitatis ordinem et eius perfectionem docet idem Paulus in epistola priore ad Corinthios cap. 13. charitatem miris modis supra fidem omnem extollens. Similis est scopus in epistola posteriore, cap. 6. ad Galat. 5. Ephes. 4. et in aliis epistolis. Hinc ait Ignatius, in epistola ad Ephesios, principium vitæ est fides, finis est dilectio. Ex lege id ipsum ostenditur. Nam dilectio Dei non initio præcipitur in dialogo. Sed in fine eam adiunxit Moses anno ultimo vitæ suæ, idque in Deuteronomio, post tantorum

torum factorum repetitionem et beneficiorum Dei commemorationem. Antea enim vix rudis populus induci poterat miraculis ad Deo credendum.

Alia charitatis perfectio ex hoc colligitur. Quod fides de se quasi in contemplatione sola consistens in solum Deum tendit. Non est ita actiua vt charitas, quæ contemplatiua est, simul et actiua, in Deum tendens et proximum. Ideo dicitur quod fides per charitatem est efficax. Efficaciam accipit a charitate, ac etiam efficaciam dat charitati. Fides ad bene agendum nos viuificat, viuificante spiritu fidem illam, et nascente actiua charitate, a qua fides accipit robur et efficaciam. Fides non tam multa faceret, nisi a spiritu sancto viuificaretur. Spiritus autem sanctus charitas est, et charitas ociosa non est. Ergo quod fidem viuificat et operationem excitat, charitas est.

Non solum in actiuis efficaciam tribuit charitas fidei, sed in contemplatione Christi et Dei. Nam postquam Christo credidisti, in eum dies noctesque meditans eiusque excellentiam ac tanta in te beneficia recolens: tunc cum amans fidem magis viuificabis. Ipse te tunc ita diliget, et amabit, vt sis ei verus amicus. Quando ad amorem eius peruenis, tunc verum est Christo te penitus hære, ab eo pendere, et in eum toto corde ferri, vt neque morte, neque vlllo terrore, queas ab eius mutua charitate diuelli, instar exercitati Pauli. Rom. 8. Si rem aliquam ego intense diligo, ei totus hæreo, ab ea pendo, et me ducit quo vult, cum præfertim me mutuo amari sciam. Proprium charitatis est aperire viscera tua ei, quem diligis, omnes tuas voluntates in ipso esse fitas, et quod omnia sua tibi complaceant. Charitas est, quæ nos in visceribus Iesu Christi reponit, complet et perficit. Aspice Christum, qui se tibi talem exhibet, vt eum possis diligere, tanquam amicum et fratrem, et tuum in omnibus propitiatorem, qui te ita amat, vt pro
Z. te mor

te mortem subiisse sibi complaceat. Super omnia te mihi reddit amabilem, o bone Iesu, calix, quem bibisti pro me, opus redemptionis meæ. Magna est vis huius dilectionis, et amoris: cui prævia fides, quasi rei perfectiori viam parat.

Fides itaque, ut iam concludam, si pure et nude eius proprietatem consideres, non tantam in se continet perfectionem, quantam charitas. Fides Christi alia ratione nos afficit, quia nos per eam Christus vivificat et spiritum sanctum donat, qui viam eam reddit. Christus eam fidem acceptam habet, et quæ per eam nobis donat, per alium actum donare potuisset. Quia non natura fidei, sed gratia erga nos et amor Christi iustificationem efficit, ut in hoc ipso nos Christo magis adstrictos agnoscamus, et eum magis amemus. Christus ex sola sua misericordia, iustificat sibi credentes, non propter eorum fidei naturam. Illi ergo sunt hodie, qui magica quadam cognitione, quam vocant fidem, se solos iustos existimant: cum tamen eos veram Christi fidem ignorare, sit satis ostensum. Qualemcunque fidei excellentiam quis adipiscatur: ex hoc nunquam vere sequetur, quin charitatis actus et opera bona, suam mercedem habeant, quoquomodo ex tali fide ea nasci ipse contendat. Omnium eximia est ac maxima charitas, ardua, permanens, sublimis, Deo magis similis, et perfectioni futuri seculi magis propinqua.

De Regen

DE REGENERATIONE
SVPERNA, ET
DE REGNO ANTI-
christi,

LIBRI QVATVOR.
PROPOSITIO.

Generationem filii Dei naturalem, de spiritu sancto, de substantia superna, prioribus septem libris, ut nobis datum est, diligenter explicuimus. Nunc generationem nostram supernam, quæ et regeneratio dicitur, de eadem Christi substantia veram esse, superest ostendamus. Ipse est per sermonem Dei ex spiritu sancto naturaliter genitus, et nos per gratiam ipsius vere substantialiter. Generationem hanc in nobis esse vere cælestem, qua nouus homo desuper generatur, sacra doctrina certissime tradit. Generationis huius veram efficaciam per resurrectionis Christi sublimem potentiam tu nunc, Christiane lector, intelliges ex aqua et spiritu desuper genitus, simul et natus, ac cælestem substantiam nouus homo consequutus. Generationis nouæ supernæ in te ipso videbis magna mysteria, cum Christo ipso ad cælestia immortalis resurgens, nouus homo ex veteri factus et ex terreno cælestis. Ad hanc vero rem, ab ipsis principiis ordine deducendam, de Adamo et lege sunt nunc quædam præmittenda. Nosse prius oportet, qualem ob Adæ peccatum sit passus totus orbis iacturam, ut Christi restitutio integra plenius dignoscatur. Nosse insuper legalem vim, qua pec-

catum augebatur, esse per Christum sublatam, et legis typos esse per eum omnes impletos. Demum id quoque nosse est necessarium, instauratorem Christum, non solum vtramque illam Adæ et legis iacturam fide refarcire, sed et cælestia alia ipsi fidei dona super largiri per cælestem ex aqua et spiritu sancto regenerationem, ac cælestis cibi exhibitionem. Hinc factum, vt nos hanc totam redemptionis Christi energiam nunc ostensuri, cogamur de originali peccato legis veteris circumcisione, et testamenti noui ministeriis, hic quoque differere. Quam nostri consilii rationem postea latius aperiemus, omnia ad baptismi veri probationem adducendo. De regno item Antichristi, post sermones de Christo, pleraque suis locis adiiciemus, vt sint apertæ nobis antitheses, et opposita iuxta se inuicem posita magis elucescant. De Adami itaque et Bestiæ perditione ac integra Christi reparatione, primo libro trademus. Deinde Iudaicæ circumcisionis mystica significata, et reliqua Christi et Antichristi mysteria, completa esse ostendemus. Tercio, tria esse docebimus, apostolatus efficacia ministeria, prædicationem, baptismum, et cænam domini. Quarto, mysteria omnia baptismi ordine recensebimus, pænitentiam et fidem prærequiri ostendentes. Erit itaque totius operis summa tractatio de baptismo, quem in iis, qui Christi fidem non norunt, esse nullum dicimus, ac perinde paruulis inutilem, et adultis necessarium. O Christe Iesu, domine Deus noster, adesto, veni, vide, et pugna pro nobis.

DE ORBIS PERDITIONE, ET

Christi reparatione.

LIBER PRIMVS.

Circa primam illam Adæ perditionem, qua primus parens perdidit orbem, de originali peccato, et eius maculoso reatu varia sunt a plerisque prodita. Qualitates quasdam in infantibus quidam ponunt, alii qualitatum priuationes ob quas, in gehennam æternam illos coniiciendos omnes affirmant. At ego id tantum recipiam, quod euangelicus sermo, et ipsa mundi genesis, aperte nos docent. Paruulos in futuram gehennam damnare nequeo, cum nec Ismaëlitas ipsos, nec Niniuitas, nec Barbaros alios ita damnent scripturæ. Paruulis, non baptizatis, data est a Christo benedictio. Clementissimus ille et misericors dominus, qui impiorum peccata gratis sustulit, quomodo eos, qui impietatem non commiserunt, tam rigide damnaret? An in paruulos non baptizatos sententiam illam mortis laturus est, dicens, Ite maledicti in ignem æternum? Quomodo eis maledicet quibus ipsemet benedixit? Si ita reprobæ essent innocentissimæ illæ Dei imagines, non tanto amoris indicio paruulos non baptizatos in vlnas suas tam sæpe Christus sumpisset. Non dixisset, quod ipsorum angeli vident faciem patris sui. Nam hoc fauoris indicium indicat, eam ipsam faciem paruulos visuros. Ludere mihi plane videntur, qui infantuli salutem, ex mea voluntate pendere volunt, ex hoc quod ego eum inscium baptizem, vel non baptizem.

Eo magis quia baptismi mysteria longe alio tendunt, quam ut ei possint conuenire. Ludunt illi plane, qui in lege naturae olim nec infantes, nec eorum parentes damnabant, et nunc eos omnes damnant, quasi venerit Christus animas perdere.

Paruulos simpliciter damnandos affirmant, quia Paulus ait regnasse mortem ab Adam usque ad Moysen, in eos quoque, qui non peccauerunt Rom. 5. Sed quare dixit, Usque ad Moysen? Moyses enim non sustulit originale peccatum.

Ut vero rem totam ostendamus, est nobis perpendendum, duplicem esse mortem, ut Ioannes in apocalypsi vocat mortem primam et mortem secundam: ambas ex Adæ delicto sequutus, licet varia ratione. Ex Adæ delicto est omnibus sequuta corporis mors, quam infernus comitatur usque ad Christi iudicium, in quo mors et infernus destruentur, ut docet idem Ioannes. Huius infernalis mortis causa est incorporatio fatanæ, in hominem intrusio et potestas, ut mox declarabo. Vnde et paruuli ipsi, ex innato isto inquinamento subiiciuntur corporali morti et inferno. Nec solum paruuli, sed et omnes, qui ante mortem Christi mortui sunt, ob vnum illud Adæ peccatum. Inde quoque est postea sequuta gehennæ æternæ mors secunda, quæ post cognitionem boni et mali peccantibus iudicio finali decernetur. Ob delictum Adæ est facta quædam fatanæ in homines potestas, ad malum cognitum stimulans: vnde in finali iudicio sequetur corporis et animæ mors: quæ dicitur mors secunda irremissibilis. Vtraque hæc mors habet suum actum, vnde nascitur, qui et mors dicitur. Primæ mortis actus fuit manducatio Adæ. Secundæ mortis actus varii sunt peccatorum nostrorum post cognitionem, in quibus est spiritualis mors. Ex Adæ peccato est nunc in hominibus quædam peccati mors, quæ et mors prima est, cum inferno tendens ad mortem secundam. Vasa sunt iræ, parata ad interitum. Omnis, qui non venit ad Christum, manet
in mor-

in morte. Viuentes nunc mortui sunt, qui in serpentis cognitione viuunt, sicut qui ad Christum veniunt, transeunt de morte ad vitam, Ioan. 5. Iam satis constat, mortem secundam, seu actus peccati eius, non esse in paruulis, licet dicantur esse in eis peccatum primum, mors et infernus. Hæc vero in finali iudicio destruentur. Adæ peccatum omnibus condonabit Christus, omnes a morte et inferno resuscitando. Atque ita ob primum Adæ peccatum non erit tunc damnatio. Tatianorum hæresis esset dicere peccatum Adæ nunquam tollendum, nec ipsi, nec infantibus remittendum.

Quæramus iam, de qua morte Paulus loquatur? Quæ est illa mors, quæ regnavit vsque ad Moysen? An prima, an secunda? Profecto vtrique prima tendens ad secundam: cum viuerent tunc omnes fere in errore, et ignorantia oraculorum Dei. Ro. 8. et acto. 17. Cognitio oraculorum Dei mentem illuminat psal. 18. Qua ratione dicuntur Iudæi præ aliis gentibus esse beati, quia quæ Deo placent manifesta erant illis, Baruch. 4. et psal. 147. Regnavit ergo peccatum incognitum et ignorantiae mors, vsque ad Moysen, id est, vsque ad legem. Per legem enim eatenus illa mors tollitur, quatenus Deus, qui vita est, reuelatur, et cognoscitur: licet iterum occasione accepta per præceptum, reuixit peccatum et mors, propter transgressionem. Regnavit mors, ait, in eos, qui non peccauerunt instar transgressionis Adæ. Legem transgrediendo peccauit Adam: at gentes non sunt legem ita transgressæ, cum legem non haberent. Nilominus omnes in Adam peccauerunt. Omnes habuerunt peccatum mortis primæ et inferni, etiam paruuli. Peccatum aliud erat cognitionis, adultos ducens ad mortem secundam. Nam in gentibus legem non habentibus peccati rationem faciebat insita boni et mali cognitio conscientia accusans vel excusans Rom. 8. Damnantur ergo infantes morte inferni, non ita morte futuræ gehennæ. Iræ Dei non est fas nobis extendere ultra quam ipse indicauit.

Iterum hic perpendamus, quantam vim habet illud, Quod per vnum hominem peccatum omne et mors vtraque intrarit, et regnarit in mundo. Insufficiens est ratio eorum, qui peccatum aiunt intrasse per Adam, sicut per Ieroboam intrauit idololatria per Israël, in qua et eius successores perierunt. Hæc non est apta similitudo, cum longe plura effecerit Adam. Nam mortem ille in nobis causauit, reos nos nasci fecit, et in nobis impressit, vt adulti amplius peccemus. Causa huius est, quod serpentem diabolum nobis intrusit, serpenti potestatem sui faciens. Ita ab oppresso et leproso nascuntur oppressi et leprosi. Deum ille a nobis retraxit, et serpentem induxit, duo maxima mala. Faciem Dei a nobis fecit abscondi, vt in tenebris ambulantes, sine fide, et sine timore Dei, quisque in suam viam declinaret, semper in errore, idque magis vsque ad Mosen. Factum illud, præoccupante cognitionem nostram serpente, causauit in nobis naturalem carnis apostasiam, inobedientiam, rebellionem, a iudicio Dei horrorem, et fugam: sicut ipse Adam a facie Dei fugiens, voluit se abscondere. Post peccatum non amplius vidit Adam faciem Dei. Statim ortus est turbo venti, et territus Adam a facie Dei latitabat. Est tamen post illam boni et mali cognitionem ab innata deitate in eo excitatus pudor, velut initium pœnitentiæ, mali detestatio, et animi repressio. Pudor ille quamuis præcedentem malam causam arguit, in se tamen bonus est, Hinc nos in adolescentibus pudorem laudamus. Sed pœnitentia paulisper omiſſa, eius peccati mala nunc prosequamur.

Cum primum serpentis scientia mala in nobis ab infantia se exerit, tunc visa quæque pulcra concupiscimus, per ea crescere ambientes. Si non obtinemus concupita, mox cum impatientia sequitur iracundia in alium, inuidia, et maior superbia. Hæc omnia in nobis sunt dæmonis stigmata, ipsi dæmoni insita. Maxime omnium cupidus est dæmon

mon gloriam nostram affectans, et ab homine adorari cupiens. Quia vidit ab initio tam multa homini data, impatienter est percussus. Ira magna contra nos ille rugit. Invidet homini, Euam ita compellens, quasi Deus homini inuideret. Superbia inprimis est dæmoni propria, quando quis sua pulcritudine elatus, quasi alter Deus, recusat Dei voluntati subiici: sed tumens, de se magna præsumit, quasi alter lucifer. Quid alia innumera dæmonis mala commemorem? In nobis, ut dixi, est quidam a iudicio Dei horror et fuga, ut cum ipso Adam nos a facie Dei abscondamus, ad humana præsidia confugientes: idque instar dæmonis, lucem fugientis. Ingratitudo instar ingrati dæmonis est, quasi non admodum Deo teneri videamur. Negligentia est a dæmone in nobis remissio quædam, et auersio, qua Deum facile obliuioni tradimus, instar Adæ, qui sui creatoris est facile oblitus, sicut et dæmon ipse. Luxuria et gula leges membrorum sunt et concupiscentiæ ipsius proles. Auaritia concupiscentia quædam est: et auaritia fuit in Adam, quando plusquam illi sufficere debuit, concupiuit. Auari Deum non videntes, hæc amant, quæ carnis pariunt securitatem. Rerum præsentium magnam fiduciam habent, sicut dæmon præsentia maxime concupiscit, quasi futurum ei nihil immineat, quod ipse excæcatus cogitare non vult. Confusus et turbatus est dæmonis intellectus in cogitanda sua damnatione: excæcante eum semper malitia et cupiditate nobis nocendi. Cuius rei typum in hominibus videmus. Transgressio inde ab initio nata est. In Adam fuit transgressio, et Legis Dei præuaricatio, instar præuaricatoris diaboli. Prima præuaricatio, et legis Dei transgressio, fuit a Diabolo. Nam Dei voluntas angelis cognita, est ipsis lex Dei. Cum Dei voluntatem, erga homines perpenderet dæmon, ea non obstante, ut præ homine glorificaretur, et hominem sibi subiceret, in hominem semper præuaricatus est, hominem

ad præuaricationem semper stimulan. Serpens ipse ad transgressionem stimulan, efficit, ut lege augeatur delictum, quanquam lex bona sit. Rom. 7. Naturaliter ita omnes nitimur in vetitum, ut quanto plura monachis vetueris, et plures eis leges condideris, tanto eos feceris magis peccatores, instar Adæ et Iudæorum Hoseæ 6. Decalogum ipsum fere et dæmon et Adam sunt primi transgressi. Deficiente vnus Dei fide ac dilectione est nomen eius falso a dæmone assumptum, cum mendacio, et testimonio falso: et dæmoni assensit homo. Sabbatum ibi violatum. Nam in quiete tunc cogitauit dæmon suam calumniam. Adulterium item, unde generatio sequuta dicitur generatio adultera, viparæ progenies, coitus quidam ibi fuit carnis cum dæmone, seu copulatio quædam cum sit ibi dæmon in carnem intrusus, et deinde posterius ex patre diaboli geniti, ut ait Christus. Carnali copula delectatur dæmon, et carnem nostram amat. Furtum ibi fuit pomi, et furtum maius, quo voluit homo se facere Deum: Furtum maximum diaboli usurpare ea, quæ Dei sunt: sicut furtum maximum Antichristi, qui se facit Deum in terris, supra fratres suos se extollens.

Omne itaque mali genus a serpente et Adam ducit originem: et incipit in nobis, quando scientiam boni et mali habere incipimus, stimulan nos doctore serpente, idque a puero. Adam est causa efficiens nostræ perditionis: quia ob eius delictum facta est serpenti potestas, ut corporis et animi corruptionem in nobis causet, et inordinatas reddat omnes partes animæ nostræ, quando nos suam scientiam docere incipit. Tunc nos mori incipimus, tunc etiam pœnitentia et fide indigere incipientes, ut resipiscamus, postquam lapsi sumus. Mori dico incipimus, quia non repente, sed sensim morimur, per eum modum, quem Iacobus tradit, qui et in primis parentibus seruatus est. Nam Eua primo rem visu pulchram concupiuit, intelligens esse, et scire desiderans:

rans : deinde fragilitate muliebri temere comedit : demum consentiens illi vir , etiam comedit. Simili mysterio nos pueriliter primo concupiscimus res visu pulchras , et cuiusvis rei scientiam affectantes , muliebri quadam fragilitate. Concupiscentia illa postquam adolevit et concepit , parit peccatum mali operis , sed non ad mortem. Peccatum vero cum in viro perfecto Adam , seu rationis iudicium habente , consummatum fuerit , progignit mortem , quando toto consensu carni applaudimus , et mala quæque extrinsecus operamur. Iaco. 1.

Quando autem consummata in aliquo fit ad secundam mortem damnatio , solius Dei est Iudicium. Hoc veruntamen dico , Deum tam multa Israëuitarum scelera non imputasse ad mortem , nisi iis qui vicesimum annum excefferant. Num. 14. et 32. Cui concordat Exo. 30. et 38. Pulchra est ibi allegoria de corporali morte ad spiritualem : pulcrum item mysterium , quo solum post vicesimum annum exigitur oblatio propitiationis peccati. Circa vicesimum annum incipit vera peccatorum remissio , sicut tunc incipiunt vera , et actualia secundæ mortis peccata. Non ergo in infantibus , nec in pædobaptismo. Aliud mysterium , quod soli illi , qui vicesimum annum excedunt , accipiunt sortem in terra promissionis , id est , regno cælorum , aliis omissis , nondum huius vocationibus capacibus. Num. 26. Non est sine mysterio toties repetitus annus ille vicesimus. Soli illi , qui vicesimum annum excedunt , dicuntur numerati , et in sortem asciti , Num. 1. et sequentibus. Naturali etiam ratione non censentur Deum ad mortem offendere , qui ad homines ita offendendos , habentur imbelles. Efficacem de hac re nota rationem in Deuteronomio. Quare non fuit in paruulis peccatum ante vicesimum annum ? Quia inquit , non habuerunt scientiam boni et mali , Deut. 1. Peccatum ergo mortale non committitur ante vicesimum annum , sicut nec
crimen

crimen corporali iustitia capitale. Nota ibi verbum de scientia boni et mali, correspondens verbo de scientia boni et mali in peccato Adæ: et quod scientia boni et mali non dicitur ante vicesimum annum sufficiens ad mortis punitionem. Similitudo est inter politicam et cælestem iustitiam, Deo ipso iudice, ut extremo supplicio nemo afficiatur ante vicesimum annum. Ex verbis ipsius Dei colligimus, quod tunc incipit nostrum peccatum, quando scientia incipit: et quod tunc est ad damnationem sufficiens, quando est scientia sufficiens. Idque totum iustissima ratione, quia scientia ipsa est comes peccati, ac etiam eius causa. Vnde et noua per bonum spiritum scientia tunc superuenit, qui priorem cohibet.

Quia vero scientia prior a puero sensim incipit, et mala, teste Deo Genes. 8. ideo nos oportet diuinum omnibus a puero terrorem sensim incutere, ut resipiscant: ac sensim etiam Christum docere. Hic verus est catechismus, ante baptismum, quo et Ioannes vsus est, viperarum progenies vocans carnales homines: eos quasi pueros pœnarum metu deterrens, ad pœnitentiam vocans, et ad Christum inducens.

Confirmat insuper hanc mortalis peccati ætatem succedens baptismi peccatum ipsum remittentis ætas, quam postea dicemus. Tempus remissionis peccatorum tempus nouæ scientiæ, et doni spiritus sancti, id ipsum confirmant. Adde, quod tempore, quo præualere incipit illa satanæ mala scientia, præualere etiam incipit in homine luxuriæ stimulus, angelus satanæ, circa annum vicesimum. Hoc naturæ experimentum monere nos debet, ut cum summa ratione dictum a Deo credamus, de peccato anni vicesimi, et eius deinde expiatione. Ob id spiritus domini, qui insitus est et superuenit, exinde se magis exferit, ut malo dæmoni occurratur. Omnibus a creatione insitus est spiritus deitatis, Genes. 2. et 6. Et quando ventum est ad capacem ætatem, ille nos interne docet, et in spiritus libertate passim constituit, ut

tuit, ut a malo discedamus. Propter ipsum enim est sub potestate nostra virtus peccati, ut ad Cain ait ipse Deus Genes. 4. In ea ætate luxuriæ maxime vigere Adæ peccatum, vel hinc ostenditur, quod circa pudenda maxime erubuit Adam, et ea membra præ aliis tegere curavit. Quia enim a muliere venerat peccatum, in eo membro stimulus maxime apparuit, quo vir mulierem contingit. Eum ob id maceratione quadam reprimere curavit Adam: ob pudorem item eum contegit, a peccato oculos auertendo. Infantuli vero nullius horum sunt capaces, nec pudoris, nec repressiois. Antequam a serpente doceantur, nullius horum sunt conscii: nec catechismum, nec pœnitentiam, nec fidem admittunt. Typum et ordinem Adæ omnes ita servamus, ut prior ille nostræ infantia sit similis innocentissimo illi primo Adæ statui: ac deinde incipiat omnis ad malum cogitatio, per serpentinam sapientiam a puero pullulare incipientem dicto cap. Genes. 8. Sicut Adam non erubescibat nudus, ita nec infantes. Per serpentinam sapientiam cœpit ille apertis oculis pudore affici, et malum cognoscere, sicut et nos. Sicut in ipso non cœpit peccatum ante transgressionem, ita nec in nobis vere incipit antequam transgrediamur, seu malum cognoscentes committamus.

Similitudine alia nos gerimus typum Adæ, et primorum parentum instar, in peccatum maxime prorumpimus, accedente extrinsecus rei visæ et concupiscibilis scandalo, ut fuit pulchrum pomum. Extrinsecus adueniente per visum, re concupiscibili, et per auditum falsa Euxæ doctrina, simul et intrinsecus nos sugillante serpente cum ipso Adam labimur. Et dicimur tunc eius imaginem in peccatis gestasse, ut postea denuo nati, et a secundo serpente Christo, aliam externo sermone, et interno spiritu sapientiam edocti, eius imaginem novi homines gestemus, priorem Adamum cum serpentis concupiscentiis mortificando. Non
intelli

intelligas, Adamum intrinsecus a serpente ita fuggilatum, vt fuerit in eo lex membrorum, quemadmodum in nobis. Nobis enim vere inest serpentis aculeus, et fatanæ stimulus. 2. Cor. 12. In membris nostris et carne nostra est verus serpentis nidus, Rom. 7. Quanquam vero nihil horum habuit Adam, ante peccatum, potuit tamen non solum externo sermone, sed et mentis imaginatione, interne a serpente stimulari. Nam sola aëris inspiratione spiritus ille interiora nostra penetrat, ratiocinationes falsas intellectui obiiiciens et cor impellens: idque magis in nobis.

Ecce quam misere nos malus dæmon vndique obfideat et opprimat. Nam corporis nostri molem occupat, animam inde inficit, et membra singula mire stimulat. Meritem nostram intus exagitat, imaginationibus falsis decipiens. Sensibus delectabilia obiiicit, falsa audiri facit, et vndique nos concutit. Cor ebeatat, cerebrum defraudat, et sensus inebriat. Nisi misericors dominus innatum nobis suæ diuinitatis spiritum ex gratia illustraret, vt aliquando bene cogitemus: et nisi nobis etiam non cogitantibus, mali dæmonis conatus per bonum angelum retunderet, singulis momentis nos præcipites ageremur.

Quamuis autem vniuersæ carni intrusus nunc sit serpens, et originalem habeat etiam in carne infantium nidum: hoc tamen nec infantes illos damnat, nec tollitur per baptismum, cum sanctis etiam insit. Non abiiciuntur carnis fordes in baptismo, nec tollitur lex membrorum, nec angelus fatanæ. Perpetuo in nobis ipsis duos habemus pugnantes principes, Deum in spiritu et serpentem in carne. Vnde primo sequutum est, vt ad extinguendum eum serpentis aculeum, per Adamum carni inductum, omnes, originali sententia corporali morti et comiti inferno subiiciamur, siue paruuli, siue magni. Sequitur secundo, quod serpens sua boni et mali scientia nos omnes a puero inuadens, peccatores

tores nos sensim facere incipit, quando nos docere incipit, ad mortem tunc secundam perducendo. Serpentina sapientia quando eam gustare incipimus, nos in peccatum adigit, et in nouum quoddam mortis barathrum præcipitat, ut nouum mortis genus, nouam per Christum vitam requirat, spiritualis mors spiritua-lem vitam. Sequitur hinc per antithesim quandam vera pœnitentiæ, fidei, et baptismi commoditas. Tunc enim prædicanda est pœnitentia, postquam lapsi sumus, ut resipiscamus. Tunc Christo nos oportet fide immitti, ut nobis peccata remittantur, et ab iniustitiis nostris iustificemur. Tunc oportet nos denuo nasci, ut de serpentis carnali vita transeamus ad cælestem illam spiritus vitam. Quemadmodum a serpente aper-
tis nostris oculis, per illam rerum cognitionem quo-
dammodo efficimur sicut dii, scientes bonum et ma-
lum, et ab eo tunc occidimur: ita per Christum po-
stea denuo in baptismo morimur, ut viuificemur, id
quod prius vixerat, mortificando. In quo mysterio,
peccatis remissis nos iterum Christus scientia boni et
mali per spiritum sanctum donat, et noua deitate dei-
ficat, a serpentis nos vindicans deitate, quæ est mun-
di sapientia.

Hanc peccati rationem declarat Christus, veritatis
magister. Ioan. 8. Nam Iudæi, a peccati seruitute se
liberos existimantes, libertatem allegabant, quia semen
erant Abrahæ. Quibus Christus respondit, Qui facit
peccatum, seruus est peccati, ergo qui peccatum non
facit, non est seruus peccati. Seruitus enim peccati
est facere peccatum. Ab hac seruitute ait Christus
nos indigere, ut ipse nos liberet, qui hætenus feci-
mus opera patris nostri diaboli et serpentis, cuius
desideriis obsequuti sumus, ut ibi ait. Ergo qui ope-
ra diaboli, et desideria nondum fecerunt, nondum
indigent a seruitute liberari. Ex sententia ipsius
Christi, hac præsentia a peccato liberatione nondum
indi

indigent infantes, qui nondum sunt a serpente facti sicut dii, scientes bonum et malum. Qui serpentis scientiæ deitatem nondum habet, nondum est capax nouæ Christi deitatis.

Qualiter ergo inquires, a Christo paruuli iuuantur? Respondeo, paruuli a Christo iuuantur in eo, in quo ab Adamo et serpente sunt læsi, nempe vt corporaliter resurgant, a corporali morte et inferno, cui per Adamum et serpentem facti erant obnoxii. Infernus dabit mortuos suos, et pusillos et magnos, apoc. 20. In conspectum Dei ibi venient pusilli, et inferno destructo ipsi euadent, vt ait Ioannes. Benedictio Christi, paruulis hic data, vertetur eis in gloriam, quando a Christo resuscitabuntur. Hæc est dispositio Christi mirabilis, cum ratione maxima. Alieno solo facto infantes illi pereuntes alieno solo facto iuuabuntur, nos alieno et nostro. Solo Adæ facto illi pereuntes, solo Christi facto iuuabuntur, sine pædobaptismo. Certe resuscitabuntur, et id, quod eos damnabat, tollitur. In inferno nunc infantium animæ detinentur, ob Adæ peccatum, ob quod etiam corporaliter sunt mortui. Spirituali tamen morte nondum sunt illi mortui: ergo ab ea non opus est eos nunc in spiritu resurgere. Hæc est ratio fortissima, si quis intelligat, actionem spiritualesse regenerationem. Infantibus non congruit lauacrum regenerationis, et renouationis spiritus. Non eis congruit iustificatio Christi, quæ est ex fide. Redemptionem redemptoris omnium Christi in futuro seculo illi perpetuam nanciscentur, sublato omni corporalis mortis et inferni aculeo. Nos vero, qui sapientiam habemus huius mundi, qui a serpente diabolo iam sumus per scientiam illam malam in peccati seruitutem adacti, et fidei Christi redemptione iam nunc indigemus, vt spiritualiter iam mortui, spiritualiter per Christum iam resurgamus, lauacro regenerationis tincti. In alio etiam paruulos

uulos iuuit Christus. Nam eius ad inferos descensus plurimum contulit paruulis, sicut et aliis ibi detentis, ut dixi in primo dialogo. Lux aduentus Christi illum tenebrosam horrorem innocentissimis illis, sine propria culpa detentis, leniuit. Eis quoque assistunt boni angeli cum diuinæ faciei splendore, ab illa dæmonum iniuria quodammodo vindicantes. Imbecillior est nunc inferni virtus, quam ante. Aduentus Christi omnia innouauit, et omnibus opem tulit, etiam paruulis, et eorum angelis. Cælestia, terrestria, et infernaliam, aduentum Christi senserunt, et per eum sunt immutata.

Aliam prædictis de exquisita ratione peccati potes addere rationem. Quod peccatum in nobis, sicut in Adam, sit inordinatus gustus immaturi fructus, declaratur per mysterium arboris scientiæ boni et mali. Nam arbor illa Christum præfigurabat. Per Christum erat lignum scientiæ cum ligno vitæ coniungendum, sicut reliqua omnia ipse recapitulat. Soli Christo datum est, ut vera scientia boni et mali homines donet, per spiritum sanctum suum in baptismo, sicut ligno vitæ, id est, corpore suo, in cæna dominica. Nec solum scientiam boni et mali, sed adiutorium validum, ad bonum prosequendum, et malum vitandum, ipse donat. Illa diaboli usurpatione præmissa clarius nunc manifestantur dona Christi. Cognito ad quid carnis scientia valeat, clarius cognoscitur, quantum prodest, et possit Christi spiritus. Carnem voco totum hominem cum omnibus Adami viribus a serpente occupatis, vix aliud quam peccati opera facere valentibus, præsertim in adolescentia. Quanquam ipsi hominis animæ sit insitus ab initio spiritus deitatis, tamen a superueniente carni serpente est ita in nobis sepultus, ut vix illi liceat respirare. Imo hoc iugiter in adultis conatur dæmon, ut scintillam illam spiritus Dei nobis insitam, magis et magis semper obruat, et se magis et

A.

magis

magis in animam intrudat. Huic rei diuinam opem fert nouus regenerationis Christi spiritus, qui ab anima dæmonem seiungit, animam ipsam incorruptibiliter innouans. In eo quoque spiritu firmam contra carnis impetus habemus ancoram, vt vigentibus carnis procellis spiritu firmi ambulemus, et spiritu facta carnis mortificemus, ne regnet peccatum in mortali corpore nostro. Tunc iterum efficimur prudentes sicut serpentes, donata sapientia a secundo serpente Christo, qui nos a primi percussione sanat, vt est in æneo serpente figuratum. Bona igitur erat arbor scientiæ boni et mali: quia in Paradiso Dei nulla mala nasci potuit arbor. Imo tanquam preciosissima, erat vna cum arbore vitæ, in medio paradisi. Erat tunc Adamo vetita, et soli Christo reseruata, vt per eum veram sine fraude scientiam adepti, efficeremur sicut dii. Ille enim suæ deitatis communicatione deos eos vocat, ad quos sermo Dei factus est, Ioan. 10. In lege dicebantur homines dii, in vmbra nostræ veritatis: quia veritas per Christum facta est, cuius vmbra per Moysen est demonstrata. Ad ipsius ergo veritatem spectabat arbor scientiæ, et soli ipsi erat reseruata. Tunc erat immaturus fructus, vt non posset vsui esse. Item furtum eius, et ante tempus occupatio, efficitur mors, ob præcepti transgressionem.

Voluit itaque diuina sapientia, a preciosissima illa arbore Iesu Christo, qui est arbor vitæ, vitalem fructum ipsi Adæ primum impartiri, vt cum Deo ita viueret animalis et terrenus homo. Vt innocentem in ignorantia illa statum seruaret, donec per Christum alterius arboris scientiæ ad eum et nos veniret fructus. Ecce hic magna gratiæ Christi mysteria, vt etiam si Adam non peccasset, Christus qui iam erat verbum apud Deum, illam scientiam mundo impartiturus postea fuisset, statu Adæ tunc meliorato, sicut status noster, quod ad spiritum attinet, factus est melior statu Adæ. Cæterum serpens ille
anti


antiquus, qui est diabolus et fatanas, totum hunc ordinem inuertens, curauit sua scientia carnis scientiam spiritus præuenire, ut immaturum inde fructum omnes comedamus. Qua ratione et Christus nos a serpente liberans, maturam scientiæ arborem nobis donat, per spiritum suum, et eam alteri præmittit, ut prius spiritu sancto baptizemur, quam lignum vitæ in cæna domini manducemus. Vult enim nos Christus cum spirituali diiudicatione manducare, ne temere cum Adam manducantes pereamus.

Naturali igitur regula (præcedente eo, quod est animale, et sequente eo, quod est spirituale, ut ait Paulus) antequam Christi cognitio per eius fidem ad nos veniat, præoccupamur a serpente, omne malitiæ genus ab eo docti. Tunc a puero omnis ad malum cogitatio tendit, per serpentinam sapientiam, quæ rei concupiscibilis est, et carnis sapientiam, id est, naturalis error, mors et ignorantia Dei. Cæci omnes nascimur, et serpens ipse a puero nobis oculos aperiens peruertit, ut rectum nihil videamus. Hic vides, quid homo possit per suum ingenium. Nam scientia nostra est contra naturam, naturaliter inimica Dei et veritatis: quia a serpente diabolo, qui est pater mendacii, scientiam boni et mali ab initio sumus edocti: progenies viperarum, generatio praua, adultera, peruersa, et peccatrix. Discipuli sumus serpentis, qui verissimilia pro veris obtrudit, et falsa multa veris immiscet, ut est in exemplo primæ matris, quam tali commixtione decepit. Nam vera quædam ipsi Euxæ dixit serpens. Et quando loquitur mendacium, a seipso loquitur: ut quando Euxæ dixit, Nequaquam moriemini. Quando autem verum loquitur, fraude id facit, idque coniecturis colligit, aut audiuit: sicut audiuit ibi arborem scientiæ boni et mali a Deo vocari. Vnde colligit calidus serpens futurum, ut adepta ea scientia aperiantur oculi manducantium, et efficiantur veluti dii scientes bo

A. 2.

tes bonum et malum. Eadem ratione colligimus, philosophos vera multa scripsisse: aut quia illa sunt fraude serpentis falsis admixta, aut quia ab illa deitatis scintilla, quæ animis inest, verum lumen sæpe producit. Nemini tamen possunt hæc in prima adolescentia bene contingere, cum sit ibi a virentis carnis procellis submersus ille diuinitatis spiritus, et occultus ille ignis ob multum humorem se exerere nequeat. Sicut adolescentulus non est idoneus apprehensor moralis disciplinæ, ita nec euangelicæ, tametsi vtcunque tunc instruatur. Non est vere idoneus apprehensor, vsque ad integram ætatem. Hinc post instructionis ætatem priorem, integram baptismi ætatem annorum triginta nobis Christus indicauit, non infantiam vnius diei. Qui enim fieri potest, vt renatus ex aqua et spiritu sancto videat quis regnum cælorum, id est, eius mysteria intelligat, nisi ætatem habeat scientiæ regni capacem? Ad scientiam enim regni cælorum adipiscendam matura ætas requiritur, ad quam etiam auditus, lectio, exercitatio, et carnis cum ieiunio et oratione mortificatio plurimum conferunt. Vnde merito dixit Christus, semen regni iactum, primo herbam producere, deinde teneram spicam, demum plenum granum in spica: et tunc esse tempus aptum, ad adultum hominem metendum, Marci, 4. Ex his conclude primo, Adultam in baptismo ætatem requiri, vt fiat ibi peccatorum remissio, vt milites Christo fiant, qui militare valeant. Conclude secundo, paruulos maturum scientiæ Christi fructum nondum posse gustare, cum immaturum scientiæ serpentis fructum nondum gustarint.

Ad hanc rem facit mysterium paradisi per Christum nobis restituti, qui est illo Adami longe excellentior: nempe regnum ipsum cælorum, quod intra nos est: in quo soli viri perfecti maturos spiritus sancti et corporis Christi fructus manducant. Plantauerat olim Deus hortum in Eden

a parte orientis. Eden vero erat Syriæ locus amœnus, vt colligitur 4. reg. 19. Esa. 37. Ezech. 27. et 31. Vnde et domus regum Damasci a propheta vocatur domus Eden. Amos. 1. Vfurpauerunt illi sibi terræ promissionis partem et nomen. Ex hac terra ad orientalem plagam ipsius Eden perrexit profugus Cain versus Babylonem, Genes. 4. In eo ergo loco fuit primo paradysus terrestris, in quo fuit terra promissionis. Dicitur vero plantatus a patre orientis, et terra illa dicitur ad orientem vergere, eo quod ad occidentem sit mare. Vnde et occidentem Hebræi vocant mare  In huius horti medio plantatæ erant arbores vitæ et scientiæ, duæ vnum Christum figurantes, seu duplicia eius dona, corporis et spiritus. Erant item in medio horti, instar Iesu Christi, qui est arbor vitæ et scientiæ in medio mundi plantata, sicut est vere natus Christus in medio habitabilis terræ loco. Hinc dicitur Ierusalem posita in medio terrarum et gentium, Ezech. 5. Medium terræ, et medium populorum dicitur, Esa. 24. et psal. 73. Cui concordat geographica veritas, quanquam terræ facies deformis vix medium locum admittat. Non solum vero est locus ille in medio terrarum, et gentium, in medio et temperato solo, sed et in medio marium, oceani et mediterranei. In circuitu eius sunt maria, Cyprium, Aegyptium, Arabicum, Persicum, Hircanum seu Caspium, ac etiam Euxinum. Non est in aliis regionibus locus talis, ad quem sit ab omnibus terris tam facilis accessus, in quem maria omnia tendant, et magnis in terram factis sinuum excursionibus, illi loco appropinquant. Locum etiam illum terrestris paradisi esse locum terræ promissionis, probat Ioël, qui eam terram ait fuisse paradysum Dei, antequam hostis eam inuaderet, Ioëlis 2. Probat id ipsum Esaias cap. 51. 58. et 61. et Ezechiel cap. 36. Nam Sion arx, et locus paradisi, ab Adamo factus squalidus, desolatus, et sterilis, iterum per

Christum fit deliciarum hortus, et paradifus Dei. Effufis baptifmi aquis nos in paradifum reftitui, docet ibi Ezechiel. Ea ipfa eft cæleftis Sion, a cuius introitu nos vsque ad Chrifti reftitutionem vetuit Deus per cherubim, cum acie gladii verfatis, Genes. 3. Figura illa indicat, non effe amplius in terris inueniendum paradifi locum, donec Chriftus reftituat.

Quod fi quis dicat, non fuiſſe illum locum paradifi, quia inde non egreditur fons, et quatuor flumina: nos dicimus, ob peccatum hominis, et superueniens diluuium, effe ruptos fontes, et immutatos fluuiorum ordines, vt docet Moſes. Facta item montium et vallium deformitates variæ. Imo pro nobis facit, quod illa flumina circa locum illum vtrunque commemorantur. De Tigri et Eufrate manifeſtum eſt. Gihon ibi eſſe legitur. 3. reg. 1. et 2. para. 32. Hic ipſe in Eſaia et in Euangelio dicitur poſtea Silohe: et Chaldaeus interpres vocat Gihon שִׁלְחָה Siluha, ſiue Silohe, locis iam citatis. Piſon vero quartus fluuius eſt, in vicina terra Havila, quæ eſt Arabia pars, Genes. 2. 25. et 1. Samu. 15. Quid de cherubim? In nube ſunt ipſi poſtea viſi: vnde et paradifum eo translatus, quidam retulerunt. In nube eos Deus collocauit, hortum totum propter peccata deſtruens, ſicut deſtruxit templum, in quo erant Cherubim, Chriftum adumbrantes. Indicabat Deus, ſe velle omnia in melius reformare, per Chriftum ibi adumbratum: id quod manifeſte docet in reprobatione lapidei templi, Eſa. 66. Ad tempus reliquit ibi Deus hortum, ſi forte eius rei cognitio vicina homines prouocaret ad peccati cognitionem et poenitentiam. Paradifus ergo ille carnalis fuit ipſamet promiſſionis terra, quæ per peccatum primam illam amiſit pulchritudinem, ſicut et reliqua tota terra per peccatum eſt alterata, vt tribulos proferat et ſpinas. Perire debuit hortus ille pollutus, et propter hominem factus, cum deeſſet homo cultor horti
et cu

et custos. Opera enim et cultura hominis indigebat hortus, vt docet ibi Deus. Quanquam porro terram illam primam amiserit paradisi pulchritudinem, adhuc tamen postea lacte et melle manare dicitur, et aliis dotibus ornatur, Num. 13. vt vestigium quoddam, et paradisi vmbram illa contineat, in Iudaica restitutione. Ille idem locus, a quo est primo eiectus Adam, est Abrahæ postea promissus, et filiis Israël iuxta literam restitutus. Quæ figura fuit veræ restitutionis nobis ibidem factæ: quibus id totum quod a seculis perierat, est iam spiritualiter restitutum. Restituta est nobis terra promissionis, cælestis paradysus, vera domini requies, et spiritus sancti summa voluptas: maximæ piis animis delitiæ. Christum vere possidere, et cum eo iam regnare in æternum. Ibi fuit paradysus, et ibi natus Christus, ei soli loco paradysum primo restituit, cum deinde vniuerso orbi communicans. Cælestis illa Ierusalem et Sion, cælestis paradysus, regnum ipsum cælorum, intra nos est: huiusque gloria longe maior, quam terrestris illius Adæ paradisi. Gloria maior, et latius diffusa. In anima ipsa est nunc paradysus, vt ex Esaia, et Ezechiele est iam citatum, et docet Ieremias cap. 31. In nobis est fons ille paradisi, vnde flumina aquæ viuæ orbem irrigant, Ioan. 7. Erat Iudæis, sicut ipsi Adæ, paradysus carnis, nobis autem paradysus spiritus. Data est ipsi Adæ lex, per quam in deliciarum horto secundum carnem perpetuo viueret. Data est Iudæis lex, per quam in terra promissionis secundum carnem ad tempus bene viuerent. Nobis vero, sublatis legibus, quas sunt illi transgressi, restituta est gratis cælestis paradisi iustitia, in qua secundum spiritum perpetuo viuimus. Immortalem illam futuram vitam nos iam in interno homine viuimus. Corporealem requiem habuit Adam, Iudæi in requiem domini, quæ carnis erat requies, vt quiete viuerent, ingressi sunt. Nos vero in requiem

cœlestem et perpetuam, magna spiritus tranquillitate: nemine nos accusante, sed Christo propitiantē. Christus ea, quæ a seculis erant deserta, reædificat, paradysum ipsum Esa. 58. Desolatum et desertum ibi docet propheta paradysi locum, quem Christus restituit. Idque facit cum fœnore multiplici. Nam altera tantum arbore in paradiso vesci poterat Adam, nos vtraque. Nos vera scientia boni et mali in fidei baptismo per spiritum sanctum donamur, et lignum vitæ in cæna domini verum cibum habemus. Vere sunt nobis baptismus spiritus, et cæna corporis Christi, plus quam duæ illæ arbores paradysi, cum illud fuerit vmbra huius veritatis. Altera postquam fuerimus e supernis nati, iugiter vti nos oportet, vt cælesti illa paradysi vita viuamus. Hæc est arbor vitæ in cæna domini, qua et iugiter suo modo utebatur Adam: Alteram nos semel insigni spiritus dono per regenerationis lauacrum accipimus, sicut eam semel Adam male accepit. Hic itaque paradysus, et eius dona infantibus non competunt. Non possunt hæc restitui, nisi lapsis ob comestionem immaturam et maturum fructum per Christum iterum comedentibus. Hæc est siquidem perfecta medicina, vt contraria contrariis curentur.

Ex dictis hoc inferas: cum Christus per spiritum sanctum suum in cælum nos erigat, regni cælorum cognitionem et fruitionem donans, ac viuum illius immortalitatis gustum: manifeste sequitur, eos in Christum blasphemare, qui carnalem illum Adæ paradysum huic regno cælorum præferunt: quasi potentior fuerit Adam in lædendo, quam Christus in sanando. Eos etiam Paulus manifeste damnat, ostendens, gratiam hanc Christi multis nominibus casum illum Adæ vincere, et superabundare, Rom. 5. Si vnus inquit delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum, per vnum Iesum Christum exuberauit: Et iterum, Si vnus delictō mors regnauit, per vnum, multo

multo magis qui exuberantiam gratiæ et exuberantiam doni iustitiæ accipiunt, in vitam regnabunt, authore vno Iesu Christo. Tertio ait, Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit gratia. Et Christus ipse ait, Ego veni, vt vitam habeant, et abundantius habeant Ioan. 10. Nihil vnquam habuit Adam, quod cum gloria resurrectionis Christi, et spiritu regenerationis eius nobis datis, possit conferri. Nam spiritus est hic nouus, gloria noua, et cælum nouum, in quo nos cum Christo noua ratione regnamus. Nos soli vere comedimus de fructu illo paradisi, non carnaliter, vt Adam, sed spiritualiter. Nos soli vera Christi carnem nutrimur, et eius sanguine potamur. Nos soli per Christum spiritu sancto et salubri illa boni et mali scientia donamur. Nos soli vere Deum in Christo videmus, quem in angeli vmbra, et tantum carnaliter vidit Adam. Differunt hæc ab illis, sicut cælum a terra, spiritus a litera, veritas ab vmbra. Primus Adam de terra terrenus, et animalis homo: secundus de cælo cælestis et spiritualis Iesus Christus, et qualis est cælestis ille, tales et hi, qui cælestes sunt. 1. Cor. 15. Regnum Christi est regnum spiritus, et cæleste. Ea quæ per Adam erant mortua, nunc Christus spiritu viuificat, vsque ad cælum meliora reddens, et se totum ad nostrum vsum accommodans.

Obiiciunt illi, imperfectam esse Christi redemptionem, quia non id totum, quod perdidit Adam, restituit Christus. Respondeo perfectissimam esse Christi redemptionem, in eo quod ipse voluit esse redemptum. Maxima ac perfecta eius in nobis dona dicuntur. In Christo nos non solum habemus λύτρωσιν redemptionem, sed ἀπολύτρωσιν, perfectam et consummatam redemptionem, Colos. 1. Perfecite nos Christus ab inferno eripuit et in cælum transtulit: nunc secundum animam, postea secundum carnem. Satanæ scopus erat, animam perdere. Ob id est in carnem intrusus, vt

A. 5.

animam

animam laceſſat. Animas etiam ad ſe poſt mortem omni diligentia trahit. Ob id quoque ſapienter Chriſtus, quod nobilius erat, prius ſanauit: contra carnis item aculeos opem tulit eximiam. Imo immortalem verum hominem ex carne et oſſibus, nunc facit Chriſtus, vt oſtendemus libro quarto. Serpentis iacturam nunc perfecte reparat Chriſtus in anima, et ſuperaddit. Corporalis namque externi hominis mors, quam ipſemet Chriſtus ſua ſententia intulit, vitari non poteſt, niſi ipſe contra ſeipſum agat. Peccati morte per ſerpentem primo mortuus eſt Adam: mox factus ſerpentis ſeruus, et ſatanas in eius carnem intruſus. Ob quam rem ipſi Adæ iam pœnitenti, medicinali ſententia eſt decreta in puluerem reuerſio, vt hac via poſſet caro polluta mundari, et munda reſurgere. Quamquam in ſolam pœnam hoc ei feciſſe videtur Deus, tamen et formam liberationis ſpectauit, per Chriſtum futuram: qui pro nobis mori voluit in carne munda, vt ſpem alterius mundandæ daret. Si iterum obiicias, Quod plures perdidit Adam, quam ſanauit Chriſtus: reſpondeo, Eximii doni eſſe proprium, vt paucis conferatur. Multi ſunt vocati, pauci electi. Omnes etiam, quos læſit Adam, ſanat Chriſtus, in eo in quo læſi ſunt: omnibus enim mortem primam et infernum tollit. Omnes in Adam mortui, omnes in Chriſto reſurgent 1. Cor. 15. Ad mortem ſecundam non ex facto Adæ, ſed ex factis propriis damnabuntur, qui bona et mala cognoſcentes mala fecerunt. Ecce verum iudicium Dei.

Quæſtiones hic non nullæ ſuperſunt, quibus explicatis omnia magis illuſtrantur. Prima quæſtio, Quare illum ſerpentis aculeum non penitus in nobis extinxit Chriſtus, ſuo ſpiritu nos viuificando? Reſpondeo, Quia voluit Chriſtus nos ſibi militare, ideo hoſtem dimiſit. Arma ſpiritus contra carnis procellas ſufficiencia nobis dedit, vt ſerpentis caput iugiter conteramus, et hoſtem ipſum, qui nos ſemel interfe-

cit, nos

cit, nos pluries mori faciamus, carnem cum serpente mortificando. Ad maiorem gloriæ victoriam ea res nobis cedit, si tam sævum hostem iugiter vincamus, aut de iam victo in dies magis et magis triumphemus. Non tantum fuisset Dei artificium, si ipsum Adamum impeccabilem fecisset. Sicut eum voluit initio examinare et probare, ita nos redemptos probare vult: sicut et filios Israëli, relicto inter eos Chananæo. Quod infirmitates carnis, et labores alios nos patiamur, auget in nobis potius gloriam regni Christi, quam diminuat. Nam in hac carnis infirmitate voluit Deus suam potentiam et gloriam manifestare, ut singularis in hac re virtutis Dei eminentia dignoscatur. 2. Cor. 4. Carnis sordes, et stimuli serpentis, in nobis adhuc manentes, non faciunt nos inferiores, sed per gratiam Christi maiores: et gloriamur in infirmitatibus nostris, ut inhabitet in nobis virtus Christi. Nam virtus in infirmitate perficitur, ut responsum est Paulo, cum angelum satanæ a se abigi rogabat 2. Cor. 12. Eo magis, quia ab hac pugna, qui legitime certauerit, reportabit gloriæ coronam.

Secunda quæstio, Quare illa passionis via nos saluare voluit Christus? Quia ita pater volebat, quia ita docebat, et quia nos ipse amabat. Ut tantæ victoriæ nobis daret exemplum, et ut mortuam carnem carnis morte liberaret. Sicut peccatum superbiæ fuit, quod homo se faceret Deum: ita medicina fuit, quod Deus verbum se faceret humilem hominem. Dignus erat homo infinita pœna, qui maiestatem offenderat infinitam. Nec lege naturæ, nec lege scripta, se instaurare homo poterat. Homo satisfacere non sufficiebat, et de reatu mortis agebatur. Oportuit ergo homine maiorem ibi satisfacere, et morte satisfactionem mortis fieri: quæ mors iustum esset illius a morte redemptionis precium. Hæc autem fuit mors preciosissima filii Dei, precium alterius mortis dignissimum, grata Deo redemptio, immensi

menti sceleris immensa compensatio. Vniuersalis hostia, pro vniuersali delicto, hostia gratissima, cuius nidore delinitus pater iram remisit. Obtinuit mors innocentissimi filii Dei, ab ipso satana inique procurata, prioris mortis captiuorum liberationem, ipsamque deinceps infernalis mortis erga credentes sublationem. Magnum est hoc mortis Christi mysterium, quod in ipsius mortem baptizatos, quasi secum mortuos, et resuscitados assumit ad cælestia, infernum nunquam visuros. Magnum vndique beneficium, magna gratia, et magnus erga nos amor, quod omnia omnium peccata et miseras in se transtulit. Se ante Deum pro omnibus reum constituit, pœnam nobis debitam sustinens, quasi flagitia, et scelera nostra ipse commisisset: sicut ait, Quæ non rapui, tunc persoluebam, psal. 68. Ipse erat illa mactata victima legis, in quam coniectis manibus conficiebantur aliorum peccata, et maledicta. Singulari item ratione hominem esse oportuit, qui liberaret: sicut homo erat, qui captiuitatem fecerat. Iniuriam sibi factam quæretur dæmon, si Deus ipse aut angelus quispiam, ab inferis eriperet hominem, iusta Dei sententia, in prædam datum hosti, cui se subiecerat. Si homo non vicisset inimicum hominis, non iuste victus esset inimicus. Sed quare mortem Christi procurauit dæmon? Quia graue illi semper fuit in terris iustum aliquem videre, qui alios doceret. Hinc iustos ipse occidi perpetuo curauit, et vt eos sibi ad inferna raperet. Excæcatus dæmon Christum quoque cogitabat, per mortem in infernum tradere, etiamsi viuientis illius fuisset maximam contra se virtutem expertus. Cogitabat ideo, quia insignes alios omnes ab origine mundi, eo deductos, velut sibi subditos detinebat. Et hunc magis appetebat, quia sibi magis nocebat. At in huius morte fefellit dæmonem regula sua. Cum in hunc, qui mortem nullo modo merebatur, ius mortis dæmon inique habere voluerit,

ius

ius mortis tunc merito perdidit. Et eo magis id meruit dæmon, quia semper antea in homines fuerat iniquus, contra Deum agens hominemque Deo carum decipiens. Serpens ipse, qui ab initio lignum conscenderat, ut homini imponeret, serpere deinde humi iussus est, demittendæ suæ potestatis indicio. Serpens ille astutus, qui in lignum se exaltans, per lignum vicerat: a serpente illo astutius in lignum exaltato iuste victus est, ipsemet id contra se procurans. Christum in inferno ligatum tenere putans, per Christum eo descendentem est ipse legatus, et carceres ipsius confracti. Hinc dicitur Christus spoliatus dæmones in confusione maxima reliquisse; Colos. 2. Nimirum, si per discipulos Simonis magi, ut ait Ignatius, prædicabant dæmones, non fuisse veram mortem Christi, ne in eorum confusionem crederetur vera resurrectio, potestatem inferni tollens. In laqueo itaque, quem Christo tetenderat dæmon, ipsemet captus est, cum in morte esset Christi virtus abscondita. Captivam inde duxit Christus captiuitatem, captiuitatem captiuauit, et dedit dona hominibus. Sicut tridui fuit tentatio serpentis in paradiso, a sexta die, qua creatus est homo, per sabbatum, usque ad primam sabbati, qua fuit eius in hominem infernalis victoria: ita triduo Christus in inferno manens, partem diei sextæ, et totum sabbatum, prima sabbati de inferno victor surrexit. Per omnia mortis et inferni mysteria transiit Christus, ut nos a morte et inferno liberaret, ac omnia mysteria compleret. Decens ergo et necessaria nobis fuit mors Christi, quamvis in ipso non esset moriendi necessitas. Deceuit perfectum doctorem facere, quæ docebat. Passus est ille, et patiundo vicit, qui homines in passionibus docebat fore victores. Si in sola Dei forma veniens, docuisset homines Christus, non tam commoda videretur doctrina, solo verba data, sicut quæ verbo et exemplo: cum præsertim sit eius virtus nobis ad

bis ad faciendum communicata. Eorum doctrina facile contemnitur, qui dicunt, et non faciunt: nam loqui est semper facile, præstare autem difficile. Carnem pati oportuit, cum in carne esset peccati omnis origo: et artificium maius est in imbecilla carne tantam gloriam et potentiam manifestare. Bene igitur omnia fecit, et magno sibi nos amore deuinxit, ita pro nobis tanta humilitate se offerens.

Ipsam Adæ peccatum, quod fuit interna causa propriæ ipsius mortis, fuit etiam externa causa mortis Christi. Christus in se non habebat necessitatem moriendi, sicut nec Adam ante peccatum. Nisi fuisset interfectus, Christus perpetuo vixisset. At genus humanum non fuisset tunc redemptum, nisi ipse pro nobis mori sponte et libere voluisset, magno suæ erga nos dilectionis beneficio. Christus ipse antequam Adam peccaret, iam in verbo erat apud Deum, futurus verus homo. Si Adam non peccasset, citra mortem fuisset Christus incarnatus nos ad gloriam cælestem viuentes, immutaturus absque aliqua morte. Cum autem per peccatum, sit caro tota corrupta, quam oportebat mortem obire: voluit pater misericors, ut Christus in carne veniens, morte sua mortem nostram tolleretur, nunc in spiritu eam tollens, demum in tota carne.

Tertia quæstio, Quæ est illa æterna mors, quam sibi et suis promeruit Adam? Non enim videtur æterna. Respondeo, Adam ipse æternam mortem promeruit, cum æternis animæ doloribus: et morte æterna omnes cum æternis doloribus, quod in se erat, similiter interfecit. Id est, quod nisi Christus subuenisset omnes in Adam moriebamur, nunquam resuscitandi. Hac ratione dicitur Christus resurrectio, quia sine eo nihil vnquam resurgit. Resurrectio omnis per Christum est, Ioan. 6. 11. et 1. Corint. 15. Vere est ipse resurrectio, quia eius opera non solum omnes resurgimus, sed etiam ad ipsius immortalitatem. Non esset nobis immor-
tali

talitas sine Christo, cum ille sua morte immortalitatem nobis peperit. 2. Timot. 1. et 1. Pet. 1. Homo, quod in se est, moriebatur nunquam amplius futurus Iob. 14. et Ecclesiastes. 12. Spiritus vadiens et non rediens, psal. 77. Sola Christi misericordia datur hæc resurrectionis vita ipsi homini, qui alioqui quasi pulvis, et arida herba peribat, non amplius cognoscendus psal. 102. Habemus ergo, quavis exceptione seclusa, generalem regulam, Filios Adam et paruulos et magnos, omnes natura filios iræ, omnes in ipso esse mortuos, morte infernali, quæ in se erat æterna: nisi ex mera gratia, et liberali misericordia succurrisset Christus.

Magi tamen nostro seculo nati, ob feruum suum arbitrium, negant, hanc esse gratiam Christi liberam, sed necessariam: quia Christus non potuit contradicere voluntati patris. Mirum diaboli præstigium. An non potuit Deus aliud velle? An non potuit Christum a morte seruare? An non potuit Christus patrem rogare? Potuit Deus Christum a morte seruare, Marci 14. et Heb. 5. Potuit Christus proposito sibi gaudio frui, sine morte et ignominia. Heb. 12. Hallucinantur miseri, quid id, quod ex suppositione necessarium dicitur, faciunt simpliciter necessarium: vt nec Deus, nec Christus aliud possint. Prouidentiam Dei, et prædestinationem Dei, insano ore iactant, quasi inde sequatur illa in omnibus adstringens necessitas. Illud verum est, quod Christus non potuit contradicere voluntati patris. At voluntas patris ab omni tempore et necessitate est mere libera, ac etiam voluntas Christi. Sicut vero ipse libere in omnibus potest, ita facit, vt nos in aliquibus libere possimus, ipse potestatem dans.

Quarta quæstio, Quare tam seuerè egit Deus, toti orbi hæc tanta mala mox inducens, ob vnius hominis peccatum, non ita magnum, sicut pleraque alia a posteris commissa, quæ ipse tolerat? Respondeo, Deus ita in originali iustitia omnia creauit, pura, et immaculata, vt peccante

cante homine et seipsum maculante, necesse fuerit, cum ab immaculata vita pelli, cum se talia non compatiuntur. Nunc vero nobis ab origine macularis ea punitionis ratio cessat. Nouum peccatum non est nobis incompatibile, sed coinquinata cum conquinatis se compatiuntur. Ob infirmitatem conceptionis nostræ inquinamenta nostra tolerat Deus, ne totiens oporteat nos omnes repente perdere. Hoc apparet in orationibus Moſis pro populo. Hinc orat Dauid, Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Et alibi, Tu noſti figmentum meum, et ſtultitiam meam. Ad remiſſionem nobis ea infirmitas facit, ſi ad propitiatorem confugiamus. Quanquam vero ad tempus multa tolerat Deus, tamen ubi conſummátum fuerit peccatum, mortem ſecundam non pœnitentibus tandem infert. Hanc autem pœnitenti Adæ, et morte prima punito, non intulit Deus pro peccato primo. Qua ratione eſt grauior peccati noſtri ſecundi, quam primi Adæ peccati punitio: ſicut grauior eſt mors ſecunda, quam prima. Idque tanto magis, quanto maior eſt in nobis boni et mali ſcientia. Secundum ſtatum mutationem, mutatur ratio pœnarum, ſicut ratio delictorum iuſtiſſimo iudicio.

Quinta et vltima quæſtio, An vera ipſa ſubſtantia diaboli ſit in homine? Qualis facta eſt per peccatum in ipſo Adam mutatio? Facta ſiquidem fuit ibi mutatio, et in oculis, et in reliquo corpore, et in anima, quæ mox in cognitionis vitium eſt tranſmutata, cum inſigni pudore. Hinc homicidarum, flagitioſorum, et a dæmonibus occupatorum ſolent facies mutari. Hanc totam rem plenius cognoscemus, ſi conſeramus hominem terreum cum ipſa terra, quæ per ipſius peccatum eſt immutata, ita infecta, vt niſi culta, victum non proferat: et adhuc tribulos proferat et ſpinas. Non terram modo et fructus eius, et animalia, ſed et mundum totum infecit dæmon, et obſcurauit. Fumus
quidam

quidam immensus vniuersam huius mundi domum, per peccatum repleuit, et hominibus intuendi conditorem, liberum aspectum non permisit, nec ea, quæ ei sunt placita, peruidendi, vt ait Petrus libro primo Clementis. Multam in nobis esse a malo spiritu, caliginem, in ipsomet rationalis animæ loco, experientia docet, et modos varios ego iam indicaui. Oculos Adæ externe velut aperiens dæmon, mentem intus obscurauit. Quanta sit hominum cæcitas, nos in aliorum factis iudicamus. Ipsi quoque de nobis iudicant, et nemo se trabem in oculo gestare videt. Dæmonis est hoc præstigium, ex primo peccato cœptum, et deinceps auctum.

Ea quoque, quæ in cælis sunt, infecit, turbauit dæmon, et tanquam nostræ captiuitati condolentia captiuaui, sollicitudine quadam, qua de nostra salute erant boni angeli solliciti. Hinc de Christi aduentu gaudent angeli. Lucæ 2. Hinc quæ in cælis, et quæ in terra sunt, instaurasse dicitur Christus. Ephes. 1. et Colos. 1. Corporalis cælorum ruinæ est ipse instaurator. Nam corpus ipsum cælorum est a serpente pollutum. Stellæ, quæ erant creatæ mundæ, sunt nunc immundæ coram Deo, Iob. 25. et noxiæ inde nunc fluxiones ob peccatum. Potestate in hominem accepta, potestatem accepit dæmon in ea, quæ erant ad vsum hominum facta: sicut et in animalia, in quæ erat initio soli homini data potestas. In animalia se extendit maledictio: a serpente sunt infecta, et nobis noxia facta, cum præsertim sint de ipsa terra maledicta, sicut et fructus. Ob dæmonis infectionem, est in animalibus pollutio, et pudor, in cibisque noxia nutritio. Hinc benedictione mensæ docet Paulus cibos a nobis sanctificari per sermonem Dei, et orationem, quasi esset antea in eis immundities aliqua. Etiam metalla et res alias docet lex ab immunditia purificari, antequam ad vsum diuinum admoueantur, Num. 31.

An propterea dicemus, in singulis hominibus, animalibus, fructibus, metallis, in singulis cibis, in singulisque cæli et terræ particulis, esse substantialiter singulos dæmones? Non ita res habet, sed est facta potestas dæmoni, substantialiter intrandi. Sicut anima et angelus vim habent, quasdam luminosas formas producendi: ita et dæmon producit quasi luminosas, aut cum Petro caliginosas: id quod fortilegiis et incantationibus quoque fit. Deo se ob peccatum velut retrahente, licuit dæmoni omnia, quæ erant ad vsum hominis condita, velut occupare, et suo nidore inficere, tam cælestia, quam terrestria. Ad huius similitudinem dicitur fumus inferni solem obscurare, apoc. 9. Se ipsum quoque dæmon obscuravit et deformavit. Insignis et tenebrosa per peccatum facta est deformatio, in angelo, in Adamo, et in nobis. Insignis et lucida per regenerationem fit reformatio ad diuinam imaginem Christi. Angelus serpentis formam accipiens, a priore diuina forma ita degeneravit, ut eam accipere non amplius possit sine deformitate, quoquo modo se lucis angelum fingat. Adam per peccatum est subito momento secundum corpus et animam deformatus, ac fœdatus, flatu draconis totus infectus. Nos miseri ita deformes nati, adhuc quotidie peccantes, ideam diaboli impressius accipimus, externe facientes quæ ipsum in nobis interne facientem videmus. Illud ergo in nobis stigma dæmonis, aculeum, infectionem, quia est vere impressio dæmonis, cuius ratione dæmon ingreditur, et egreditur, ac substantialiter inest: nos dæmonem vocamus angelum fatanæ. Ipse diabolus est omni carni potenter intrusus. Ipse fatanas est peccatum in nobis habitans. Ipsemet est nobis morbus et mors. In carne nostra et membris nostris, est serpentis nidus, stimulus peccati, aculeus mortis, lex membrorum, angelus fatanæ. In nobis est radix germinans iniquitatem, genimen viperæ, et serpentis. Serpens terra vescitur, id est, carne nostra, cuius illecebris afficitur maxime. Carne nostra ipse ita vescitur, ut pingue pabulum

serpen

serpenti paret, qui carnis curam gerit. Contra vero, qui carnem mortificat, serpentem contabescere facit.

Peccatum ergo originale in nobis, ut iam definiam, est serpentis occupatio, inhabitatio, et potestas, ab ipso Adam ducens originem. Peccatum hoc in parvulis est substantialiter, mors prima et infernus. Sub maledicta carne, et a serpente occupata, in libidine concepti sunt. Non solum partus, sed et conceptio ipsa est maledicta, Genes. 3. In voluptate et libidine concipiuntur ab immundis immundi, Leuit. 12. Iob. 14. 15. 25. et psal. 50 Venenum serpentis et errorem habent ab utero psal. 57. Ex patre diabolo geniti, Ioan. 8. Semen diaboli, inimicum semini Dei, dicto cap. Gen. 3. Arbor mala faciens fructus malos, est a diaboli radice mala. Progenies viperarum, generatio peccatrix, adultera, prava, et filii rebellis matris, quæ præ viro lapsa est. Hinc fit etiam, ut matrem huius concupiscentiæ causam, proles potius torqueant, de vulva egrediantur cum fletu, inquieti sint, inobedientiam quandam insitam habeant, et rebellis carnis signa præ se ferant. Sed quum desit scientia boni et mali, hæc non arguunt eorum culpam, nec innocentiam lædunt, teste ipso Deo. Nullum est penitus nec in cælesti, nec in terrestri iustitia, crimen, sine scientia boni et mali: quamquam sine ea sint nunc infantium animæ sub tenebras in infernum deductæ. Ob Adæ peccatum non solum in eorum carnem est intrusus serpens, sed et in animam sunt inductæ tenebræ. Sub potestate sunt tenebrarum, et tenebras ob id iam in infantia perhorrescunt. Cum innata luce Dei sunt in nobis et tenebræ. In anima nostra esse lucem et tenebras, docet Christus, dicens, Si lumen, quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Hinc pugna nascitur, ut quis per illuminationem Christi ab ea tenebrarum potestate liberetur. At infantuli nec pugnant, nec illuminantur, sed manent adhuc sub infernali regno.

SECUNDA LIBRI PARS,

de cælesti, terrestri, ac infernali fa-
tanæ et Antichristi potestate,
et de nostra victoria.

Infernale diaboli regnum, quod ipse a condito mundo habuit, et habet, fiet nunc magis perspicuum, si magni Antichristi regnum coram exponamus. Non solum infernale dixeris regnum, sed totius huius mundi regnum. Princeps huius mundi Christo dicitur diabolus, qui et Paulo dicitur Deus huius seculi. Antichristus quoque est rex mundi, Deus huius seculi, Deus in terris. Magnam ipsius in cælestibus, terrestribus, et infernalibus potestatem nunc aperiemus, de dæmonibus pauca præmittendo. Non solum ex hominis delicto, carnis dominium habent infernales illæ et potentes furia, sed et in cælestibus potestatem habent. Dicuntur de cælo cecidisse, quia ceciderunt a beatitudine, pulchritudine, et verbi visione, ad ima respicientes, atque ideo super pectus gradientes. Nihilominus inter cælestes oblique incedunt. Spiritus nequam inter bonos angelos in cælestibus agunt, et cum eis ibi pugnant. 3. reg. 22. Iob. 1. et 2. Dani. 10. et 12. apoc. 12. Zacha. 3. et in epistola Iudæ. Cælestes illi principatus, potestas et dominationes, de quibus loquuntur apostoli, tam boni, quam mali angeli, intelliguntur in cælis. Rom. 8. 1. Cor. 15. Ephes. 1. 3. 6. Colof. 1. et 2. et 1. Pet. 3. In cælestibus illi agunt, unde est nobis pugna contra spiritus nequam in cælestibus, ut ait Paulus. Sicus regnis, principatibus, potestatibus et dominationibus aliis præfunt in cælo angeli: ita et Papatui præfunt angeli. Hinc in cælo erit nunc prælium magnum
contra

contra draconem et angelos eius, qui bestiae regnum sustinet, vt post Danielelem est a Ioanne prædictum. Cælestes angelos bonos ab initio fere vicit diabolus, in Adæ ministerio, eos inde excludens. Primos parentes vincens draco, angelos etiam bonos grauiter affecit, qui pro eo pugnabant, sicut pro nobis pugnant. Antequam Christus opem ferret, malorum angelorum erat regnum et victoria. Desideratissimus ideo fuit angelis bonis aduentus Christi, qui eorum iacturam instauraret. Nobis instauratis, illi instaurantur, et maxime gaudent. Gaudium magnum est angelis cæli, nobis resipiscentibus, sicut fletus magnus, nobis pereuntibus. Nobis victis, illi vincuntur, spoliati munere et potestate nobis rite ministrandi. Illi pro nobis pugnant, quasi ministri, et nobis vincentibus illi vincunt. Imo illæ angelorum pugnae nostras pugnas designant, et figurant, ac in nobis illæ complentur, vt manifeste apparet Dani. 10. 12. et apoc. 12. Propter nos in ministerium missi illi pugnant, nobis ministrando, Heb. 1.

Hoc meminisse oportet, hominis a Christo regniti conditionem esse angelo sublimiorem, vt ipsa fraternitas Christi manifeste docet: qua non angelos, sed nos vocat Christus fratres, angelos vere ministros. Nostræ pugnae angelorum pugnis præualent, vt ipse pugna Israëlis angelo bono præualentis est nobis ostensum Genes. 32. et Hoseæ 12. Imo ob id, quod angelo præualuit, est dictus **ישראל**, Israël, id est, præualens Deo, siue angelo, vt ibi manifeste exponitur. Idque propter nos, qui veri sumus Israëlitæ, angelis præuidentes. Nos angelos iudicabimus, vt ait Paulus. Nos regni Christi participes facti, si viriliter stemus, angelis præualebimus, angelos iudicabimus, angelis imperabimus, vt Christus imperat. Ea, quæ ipse facit, nos faciemus, Ioan. 14. Nos faciemus stellam satanæ de cælo cadere, castra Assyriorum nos nunc perdemus, sicut et urbem

Iericho: id quod olim per angelos factum est in vmbra huius veritatis. Christus dedit nobis hanc potestatem, et auctoritatem, vt spiritus nobis subiiciantur, in illos nos vere pugnemus, et de cælo cadere faciamus Lucæ 9. et 10. et apo. 12. Potestatem, quam accipit Christus a patre, non angelis, sed nobis ipse communicat. apoc. 2. sicut nec angelos assumit Heb. 2.

Nemo igitur improbus quæatur, quasi non satis liberarit nos Christus a morte, et dæmonum subiectione. Liberavit nos vere Christus a morte, immortalem novum hominem faciens. Liberavit a dæmonum subiectione, cum eos ipsos dæmones fecerit nobis subditos, vt nos calcaneo conteramus caput serpentis, quasi rei abiectæ. Iugis tamen nobis adhuc superest pugna aduersus angelos illos nequam in cælestibus. Nam regnum cæleste nunc turbant transformati illi spiritus, sicut olim terrestre turbarunt, in forma terrestris animalis, ipso Adamo segniter resistente. Ex hominis primi delicto est facta magna serpentis potestas, quæ hominis secundi beneficio tollitur.

Pollutio magna facta est per serpentem in cælo, in terra et in paradiso ipso. Ex consortio spiritus immundi est cælum factum immundum, sicut terra, et terreus paradisos. Cælum factum est immundum inuenta in angelis Dei prauitate, vt ait Iob. Adeo sunt cæli, sol, luna, et astra, a serpente omnia contaminata et polluta, vt eadem ratione, qua nos oportet in cinerem reuerti, oporteat etiam cælos ipsos, cum sole, luna, et stellis, ignea vi in die iudicii dissolui. Alioqui sine tanta desolatione fuissent omnia innouata. Ignis repurgatio ob peccatum est sequuta, vt a peccato nos per ignem saluamur. Vt per peccatum cœperunt calidum et frigidum esse nobis noxia, ita et ignis. Alioqui non fuisset ignis hic ita vorax. Deus ipse non fuisset nobis ignis consumens. Non tam potentem ignem spiritus misisset Christus in terram, si Adam non peccasset: sed simpliciore
via nos

via nos glorificasset, citra combustionem vel mortem. Ad tollendum vero illum diaboli ignem, qui nos ita in libidinem calfacit, misit Christus potentio-rem alium ignem, qui carnem vrit, debilitat et mortificat. Est itaque elementaris huius ignis pollutio quædam per diabolum facta, sicut et caloris natiui. Aërem quoque et aquam ille turbauit. Nullæ, si Adam non peccasset, fuissent tenebræ nubes, nec horrenda fulgurum tonitrua, sed simplici rore irrorasset Deus terram, ex ascendente puro vapore, vt habet litera Geneseos. Propter peccatum est orta venti tempestas, in ipso paradiso, Genes. 3. Dicitur enim ibi רוח היום ruah haïom, ventus eius diei, eo die scilicet ortus. Ionas quoque, qui primo gerit typum hominis peccatoris, deinde Christi saluatoris, fate- tur, propter peccatum esse ortam venti tempestatem. Habes ergo naturalia elementa cum cælo ipso esse a serpente omnia polluta, et terrestrem ipsum paradisu- m. Omnia sunt polluta, excepta arbore vitæ, carne vera Iesu Christi. Substantia ipsa lucis huius est a dæmone violata et polluta. Aliam lucem, seu aliter videbat Adam, antequam ei dæmon oculos aperiret. Lux tunc erat, in qua ipsæ naturæ rerum pa- resiebant, quas primo cognouit Adam. Lux ergo ista non est vera et pura illa lux prior. Atque ita est ne- cessario destruenda. Præstigiū est quod hodie vide- mus, sicut in præstigiis aliis solet dæmon aciem ocu- lorum nobis præstringere. Lux a nobis inquiritur, non hæc polluta et mundana, sed alia lucidior, in facie Iesu Christi relucens, et intus in nobis. In- fluxus quoque astrorum ex dæmonis pollutione est nobis factus noxius et mortifer. Si Adam non pec- casset, nulla in nos de cælo mortis ratio deflueret, nec morbus aliquis, nec aliqua pestilens aura. Mor- borum causas, medicamentorum et venenorum vi- res, non penitus colligunt medici ex folis illis qua- tuor qualitatibus primis, quæ et ipsæ sunt pollutæ.

Si Adam non peccasset, adhuc fuissent caliditas, frigiditas, humiditas et siccitas, non tantum morbi, nec venena, nec medicamenta, sed fuissent omnia sine no-cumento in vita paradisi.

Ex dæmonis igitur actione sunt morbi. In morbis esse dæmonium, Hippocrates docet. Est in morbis a dæmone quippiam, est spiritus infirmitatis. Sicut mors ipsa est dæmon, teste Ioanne, ita et morbus ipse mor-tem inducens, dæmon est. Operatione dæmonis tur-bata est humani corporis harmonia, factæ viarum ob-struções, putredines, flatus, excrementa noxia, fluxi-ones, febrilis æstus, et rigor. Hinc Christus quasi dæmonem quendam increpauit febrem, et spiritum in-firmitatis abire iussit. Non abs re Lucas medicus vo-cat spiritum infirmitatis cap. 13. Contractionem ner-uorum vocat ibi Christus vinculum satanæ: sicut Pau-lus infirmitatem suam dicit esse angelum satanæ. 2. Cor. 12. Hinc oratione nostra aliquando fugatur ma-lus spiritus, et pellitur morbus. Naturali quoque me-dicamento pellitur, pulsa materia, quam spiritus infi-ciebat, et alterata forma noxia. Imperfectior tamen est hæc medendi ratio, et passim altera parte nocet, venenum veneno pellens.

Obiiciet fortasse quispiam, Si corruptio omnis est a peccato, sequitur, rem nullam fore destruendam, si Adam non peccasset. Non sequitur. Nam fructibus vescebatur homo, qui in substantiam eius per nutri-mentum fuissent conuersi, et destructa creatæ lucis for-ma. Lux creata in Dei lucem increatam erat per Chri-stum commutanda, et Adam ipse ita fuisset ad gloriam immutatus. Humidi consumptio a calido, semper in ter-ris fuisset, refarcita tamen per lignum vitæ. In ligno ipso sita erat immortalitas, non in homine, principia corrup-tionis, seu destructionis intus in se continente. Diceba-tur immortalis Adam, quia immortalitate seruare se pot-erat, præceptum ligni seruando. At postea miser pol-lutus est, et cum eo mundus totus. Ob quam rem
sunt

sunt omnia igne diuino conflagranda, et repurganda, ad tollendam tantam dæmonum pollutionem, et destruendam tantam potentiam, quæ mundum totum tam potenter infecit. Dæmones Paulo merito dicuntur rectores tenebrarum sæculi huius, principes potestatis aëris, dii huius sæculi *κοσμοκράτορες*, domini mundi. 2. Cor. 4. Ephes. 2. et 6. Frustra Manichæi Deum alium quærebant, tanquam mali principium, cum princeps iste omnis nequitiae abunde sufficiat, qui et a Christo dicitur princeps huius mundi Ioan. 12. 14. et 16. Audisti, lector, quanta sit dæmonis in totum mundum potestas, quanta mutatio, et quanta pollutio. Audi nunc longe maiora.

Alia maior est serpentis in cælum et regnum Christi ad nos delatum, potestas, abominabilis desolatio, et contaminatio. Sicut carni intrusus per mulierem serpens, deceptione quadam corporalem orbem olim perdidit: ita nunc in Romanæ meretricis spiritum facto impetu, nouum a Christo regnitum mundum, per similem deceptionem denuo perfundedit, cum denuo ambirent carnales homines effici papæ et dii. Ipsemet est draco ille magnus, serpens antiquus, qui est diabolus et satanas, seductor orbis terrarum, qui potestatem suam Babylonicæ bestiae, id est papæ, dedit apoc. 12. 13. et 20. Quem nunc pugnantibus contra ipsum angelis Christi, videbimus sicut fulgur de cælo cadentem: et quem Deus conteret sub pedes nostros, ut Christus et apostolus nobis prædixerunt. Contra draconem hunc Papatus fautorem nunc pugnabunt angeli, apoc. 12. et Dani. 12. Hic ipse serpens est angelus abyssi abaddon, id est, perditio, qui hætenus regnauit apoc. 9. Ut merito sit hic filius perditionis 2. Thes. 2. et author sectæ perditionis. 2. Pet. 2. Verus nanque rex, filius perditionis, et author sectæ perditionis est papa, qui veneni calicem nobis immiscuit, et omnia profanauit, ex pietatis initio ad impietatem maximam degenerans. Sacra profanis hic miscuit, tempora

lis regni coronam Papatui commiscens. Hinc papali concilio statutæ tritoitarum in Deum vnum blasphemiae, idola, Babylonica sacra, ceremoniarum leges, et sacrificulorum sectæ. Vetitum ille pomum comedit, vt nascerentur in terra noui dii, et noui reges, cum regnum Christi non esset de hoc mundo. Vetitum regnum vsurpauit, et deitatem ipsam, supra fratres se extollens, et se deum in terris vocari faciens. 2. Thess. 2. Maius profecto scelus, quam fuerit in Adam, et grauius in die iudicii animaduertendum, sicut grauior ob id est nunc serpentis maledictio, quam olim, non ad terram comedendam, sed ad ignem æternum, non cum ipso Adam, sed cum Babylonica illa bestia tolerandum, apoc. 19. et 20. Spirituali Christi regno plus intulit incommodi hæc spiritualis Papæ impostura, quam carnali mundo intulerit olim carnalis adam. Ob id data fuit Adæ pœna corporalis mortis. Bestiæ vero cum suis ministris datur in apocalypsi pœna ignis æterni, apoc. 14. 18. et 19. Legant ibi, qui accipiunt, characterem eius. Væ illis, qui in propria conscientia sunt conuicti, et desistere nolunt, ob culinarum pinguedinem, lucrum et ambitionem. In spiritum sanctum est scelus hoc. Sed præstabit de his omnibus hic latius differere, cum hæc ipsa bestiæ perditio ab eodem perditionis angelo, et abyssi serpente ducat originem ob deitatis ambitionem.

Tanta est draconis et angelorum eius in cælestibus et terrestribus potestas, vt in angelos et homines iugiter pugnent. Vsque adeo a malignis spiritibus violatur cælestium nobis ministrantium maiestas, vt cæli et stellæ dicantur denigrari, perdere lumen suum, tristari, et condolere, Iere. 4. Angeli etiam ob id commoueri seu flere dicuntur. Esai. 33. et Matth. 24. Descent vere, tristantur, dolent nunc, et grauius doluerunt angeli Dei, durante insigni hac desolationis abominatione per tempus et tempora et dimidium temporis annos mille ducentos et sexaginta, vt ex prophetis aperte colligitur. Insignem hanc fore in cælestibus

lestibus mutationem, prædixit Christus, prædixerunt Daniel et Ioannes, prædixerunt et alii prophetæ. Confer dicta Esa. 13. Iere. 4. et Ezech. 32. cum dictis Matth. 24. Lucæ 21. apoc. 6. et 9. Sol Christus in captiuitate hac Babylonica obscuratus illis omnibus dicitur. Luna ecclesia non dedit lumen suum, sed in sanguinem versa est, cruenta tyrannide. Stellæ cæli, id est veri euangelii et veritatis ministri, deciderunt. Interfecti sunt a Babylonica bestia duo illi Christi testes, Moses et Elias, lex et prophetæ, apoc. 11. et Matth. 17. Interfecti sunt nec amplius testantur Iesum esse filium Dei, quia eorum testimonium nemo accipit. Atque ita, irato nobis Christo, et clauso libro, clausum est cælum. Imò recessit a nobis liber scripturarum Dei, sicut volumen inuolutum, liber complicatus, et clausus, quem nemo nouit legere, apoc. 5. et 6. Esa. 29. 34. Ezech. 2. et Zacha. 5. Denique, (vt ait Ieremias dicto ca. 4. et Ioannes dicto cap. apoc. 6.) montes, id est, mundi monarchæ ab imperiis suis sunt deturbati, et nos grauiter afflicti. Exercitus cælorum, teste Christo, siue angeli ipsi consternati et commoti hanc tantam Christianismi iacturam, hanc tantam status nostri miseriam, lachrymantur, et deslent. Durauit lachrymabilis nostra conditio ad tempus, quo in templo Dei sedit homo peccator, quasi Deus in terris. 2. Thes. 2. Cuius mysterium iniquitatis iam apostolorum tempore agebatur, vt ait ibi Paulus. Verum nanque fuit mysterium iniquitatis, cum se apostolatus munus in Papatus dignitatem et regnum sensim transformauit, idque magis post Syluestrum et Constantinum. Annos mille ducentos sexaginta durauit regnum Antichristi, quibus finis erit nunc cælestis pugna.

Cogita, lector, quid apud Danielelem et Ioannem significet ille Michaëlis futurus aduentus, et pugna post annos desolationis mille ducentos sexaginta, Dani. 12. et apoc. 12. Obserua bene, quam certa sit ibi de hac re prophetia, qua nos docet Ioannes, a tempore, quo ereptus est a nobis filius Dei, et a quo eius ecclesia in solitudinem fugata

fugata secessit, iam transisse tempus, tempora, et dimidium temporis, annum vnum, annos duos, et semiannum. Hi declarantur ibi esse tres anni cum dimidio, quos et Ioannes vocat menses quadraginta duos, dies mille ducentos sexaginta. Diem vero prophetico more pro anno esse sumendum, passim nos docent prophetae, ut a Constantini, et Sylvestri tempore iam annos mille ducentos sexaginta regnauerit Papa, verus Antichristus. Ab eo tempore est in tres res tripartitus Deus, fugatus omnino Christus, pessundata omnino ecclesia, praeualuerunt tunc idola, innumeræ ortæ perditionis sectæ, et abominabiles regni Christi defolationes. Ab ipsa perpetui euersione vsque ad restitutionem cum Ioanne dixit primo Daniel, fore annos mille ducentos sexaginta. Postea aliquot annos adiecit, vsque ad perfectam restitutionem: quia sensim cœpit abominatio, sicut sensim tolli nunc incipit, et breui erit tota sublata. Danieli dixit angelus, Claude sermones et signa librum, quia post multos dies erit visio Dani. 8. et 12. Ioanni vero dixit, Ne signaueris verba prophetiæ libri huius, quia tempus prope est apoc. 1. et 22. Inter Danielis et Ioannis reuelationes fuerunt anni circiter quingenti, et post Daniele dicitur tempus longum, post Ioannem breue; ergo post Ioannem erat breui futurum. Prope erat Paulo defectio ecclesiæ, et mysterium iniquitatis, quod in Papatu iam agebatur. 2. Thse. 2. Ab apostolorum enim tempore, et in ipsa apostolorum persona, originem sibi fecit Papatus: et mysterio magno ex Papatu factum est regnum duos habens gladios ad effundendum sanguinem. Mysterium iniquitatis Romæ semper fuit principatus ambitio, et verorum Christianorum persecutio. Iude est publice semper edictum, ut Christiani interficiantur, quæ verissima est Antichristi notâ: adeo ut Sibyllæ, teste Lactantio, ob id Romam interituram dixerint. Ob id ipsum eam Ioannes maledicit, et perituram ait

ait, apoc. 18. Hanc Papatus eruptionem, quid initio detinuerit, ait Paulus, se Theſſalonicenſibus diſiſſe. Eam initio retinuit virtus ſpiritus ſancti in Eccleſia, et imperii ſedes: quibus deficientibus erupit Antichriſtus. Deſectio eccleſiæ maxima fuit, ſeu diſceſſio, vt Paulus deſectionem vocat, ſeu diſceſſionem. Quæſo te, lector, hoc ibi cogita, De quo iniquitatis myſterio iam præſente loquitur Paulus. Et quis eſt ille filius perditionis, qui in templo Dei ſedens, ſe ab eo tempore, vt Deum nobis oſtentat. Rem ipſam ob oculos vides et dubitas? Sexaginta euidentiffima ſigna tibi poſtea producam. Qui papiſticos ritus vere intelligit, non eſſe ſecundum Chriſtum, vere intelligit, Papam eſſe Antichriſtum, qui Chriſti regnum occupans, Chriſto contraria ſtatuat, et Chriſto contraria faciat. In exercitu Romanorum contra Ieruſalem aperte ſignificauit Chriſtus exercitum ethnicorum, qui eccleſiam occuparet, et deſolaret, vsque ad dicta tempora. De tanta abominatione non ſine myſterio dixit Chriſtus, Qui legit, intelligat. Mat. 24. et Mar. 13. Legimus nos, et non intelligimus. Sermo ille eſt gladius vtrunque ſcindens. Ex Chriſto ipſo Lucæ 21. et Ioanne apoc. 11. euidenter docemur, fore quædam tempora gentium, et calcandam a gentibus ciuitatem ſanctam ad annos 1260. Quando ea prædicebat Ioannes in Pathmo, iam erat deſtructa Ieruſalem: ergo aliam fore deſtructionem, ipſe notat adiecto certo tempore, quo ethnici calcabunt eccleſiam. Paulos quoque docet, fore quædam tempora plenitudinis gentium, poſt quæ Iſraël totus ad Deum conuertetur Rom. 11. Deſtructa beſtia cantant ſancti, omnes gentes venturas, et adoraturas in conſpectu Chriſti apoc. 15. Vtinam id cito fiat. Futurum ait Chriſtus, vt in conſummatione prædicetur euangelium regni in vniuerſo orbe, Matth. 24. Hoc vltra factam prædicationem expectandum eſt, in conſummatione mundi deſtructo Antichriſto. Ex

Danie-

Danielis item cap. 7. apertissime constat, cornu quoddam mirabile, potestatem quandam mirabilem de ferro illo Romanorum regno egressuram, mutaturam tempora et leges, in Deum loquuturam mirabilia, et sanctos afflicturam, duraturamque ad annos 1260. eis vero finitis esse destruendam, et sanctos præualituros. Quod totum plane a Constantini et Syluestri tempore factum videmus, a quo iam anni illi 1260. transierunt, quibus horrenda abominatio regnavit, Constantino imperatore facto tunc monacho, et Syluestro in Papam regem conuerso, necesse fuit faciem orbis inuerti. Occupante ecclesiam regno carnis, necesse fuit regnum spiritus desolari. Conuolantibus Ecclesiæ ministris ad mundi dignitates, necesse fuit ministeria spiritus deturbari: quia duobus his nemo potest seruire. Subigente nos omnes ipso dracone, bestiam, et idola nos adorare faciente, necesse fuit Christum in cælum rapi, et nos cum bestię characterē negociatores fieri. Quæ omnia mox futura docet Ioannes, et tempus prope esse. Eandem regni sui discessionem prædixit nobis ipsemet rex. Lucæ 19. Nam post ipsius discessum coniurauerunt in eum tritoitæ, dicentes, nolumus hunc regnare. Imo statutum ab eis est, esse incorporeum quendam, et inuisibilem realem Dei filium. Iesum ipsum hominem non esse verum filium Dei, nec verum Christum, nec regem Iudæorum, sed humanitatem. Regni quoque gubernationem Antichristus hic vsurpauit. Atque ita mansit Christus regno et dignitate spoliatus a Syluestri et Constantini tempore ad annos 1260. Docet nos Zacharias cap. 11. Babylonico pastore contractam esse Christi elegantiam, et iritum factum pactum eius cum gentibus initum. Ad idem Daniel cap. 9. Occidetur, inquit, Christus, et erit in nihilum, dissipante omnia venturo illó Romano duce, vere Babylonico. Babylonicus ille fuit, et in Babylone factus est Babyloniorum rex tempora

poralis : qui et Babylonicas statuit ceremonias, matrimonium interdixit, legales fecit tonsuratum regulas, vnguenta consecrationis, Iudaicos ritus, Iudaica et Babylonica sacrificia. Hic trinitarias ibidem in Deum blasphemias induxit, et monarchiam Romanam migrare Constantinopolim fecit, gloriosus confessor. Idola et imagines, ut dixi, sub hoc Syluestro cœperunt, ad Helenæ mulieris suggestionem. Varia tum mortuorum cadauera primus Constantinus Constantinopolim retulit, ut ibi adorarentur, et darentur spiritus imaginibus, apoca. 13. et Ezech. 14. Mahometani ipsi et Hebræi affirmant, immutatam fuisse Christi religionem temporibus Constantini, ut ex Alchorano iam alibi citavi, et affirmat Aben Ezra Genes. 27. ubi et Constantini et Syluestri meminit. Ipsimet Papistæ omnes fatentur, canones conciliorum, et Papisticas leges, tunc statui cœpisse temporibus Constantini et Syluestri, ut habetur in eorum decretis distinct. 15. cap. canones. Tunc venenum in ecclesia effusum esse, voce de cælo missa, publice auditum est. Vera sunt hæc Antichristi signa. Vera Christi ecclesia tunc in solitudine fugata secessit, apoc. 12. Quanquam ante hunc Syluestrum aliqui seruarentur Iudaismi, hic tamen plenam undique colligens induxit abominationem, se ecclesiæ caput esse dicens, et regem faciens quasi alterum Christum, imo vero Antichristum. Ante hunc Syluestrum Romani episcopi fuerunt fere martyres. Hic vero rex potens, duplici gladio accinctus, cœpit alios martyres facere, Papæ et Pontificis summi nomen sibi tribuens, se Deum in terris declarans, sanctissimum et beatissimum.

Obiicies nobis fortasse, ante Papatum fuisse spiritum Antichristi, ut docet nos Ioannes. Id prorsus concedimus, simul cum spiritum Christi agere cœpit spiritus Antichristi. 1. Ioan. 4. Sed in Papatu regnum occupauit. Per discipulos Simonis magi per agere prius solebat spiritus Antichristi, sed non præualebat, do-

bat, donec bestia est a spiritu ipso draconis in pontificali sede collocata. Tunc est apostasia consummata.

Ad idem apostasiæ mysterium, ut intelligas, in lege olim delituisse omnia Christi mysteria, aduerte, quod post tantam Aegypti de seruitute liberationem solos tres dies pie in Christo Israëlitæ vixerunt, in eum deinde murmurantes. Exo. 15. Post triduum etiam accepta lege murmurarunt Num. 10. et 11. Post mortem Iosuae, qui eos in terram promissam introduxit, mox est apostasia sequuta, Iudicum. 2. Post pios item reges, qui typum Christi gerebant mox est sequuta abominatio. Quæ omnia umbræ fuerunt rerum futurarum. Cum primum transierunt Israëlitæ illos duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmas, id est duodecim apostolos, et septuaginta Christi discipulos, acriter murmurarunt, Christianam illam et arctam vitam exosi, Exo. 15. et 16. et Num. 33. Ibi ostenditur apostasia nostra post apostolos et discipulos mox futura. Adeo fuimus nos variis erroribus per Babylonis deserta circumacti, ut fuerimus multo grauius quam Israëlitæ, afflicti, ad idola declinantes, fame et siti verbi Dei scabidi, contabescentes, a serpentibus, scorpionibus et locustis percussi, a bestiis passim interfecti, et a fornacis igne viui cremati. Quanquam iudicio sensus nostri nihil videretur nobis deesse, vere tamen caruimus fide et promissione Dei. Non habentes Dei scientiam, iudicauimus dulce amarum, et amarum dulce. Eia. 5. Accepta Moysi lege, et audita Christi prædicatione, postquam ascendit in montem Moyses, et in cælum Christus, desciiuit denuo omnis populus a Christo, Deo suo. Sicut confractæ sunt primæ testamenti tabulæ, ita confractum Christi euangelium est denuo reparandum. Bono igitur animo simus, nam completus est fere iam interficiendorum numerus, ut dicatur apoc. 6. Completum est tempus trium annorum cum dimidio, quibus, regnante bestia, erat ciuitas san-

tas sancta calcanda, Lucæ. 21. apoc. 11. 12. et 13. Sicut ad tres annos cum dimidio Christus in terris prædicavit et regnum cælorum nobis prædicans aperuit, ita bestia ad tres annos cum dimidio regnans, cum nobis clausit, tot annos illa complens, quot Christus dies. Regnante impia Iezabel, sicut regnante impia bestia, clausum est cælum ad tres annos cum dimidio: ut illud fuerit umbra huius veritatis. Post eos tres annos cum dimidio missus Elias, cælum aperuit, et sacerdotes Baal cum suis idolis exterminavit. Hoc totum denuo futurum Christus et Ioannes nos docent, post Ioannem baptistam esse denuo mittendum Eliam, dicitur Matth. 17. Mar. 9. et apoc. 11. Itaque post tres annos cum dimidio Lucæ 4. post tempus et tempora et dimidium temporis, dicto cap. apoc. 11. Spiritualem docet ibi Ioannes esse factam a bestia interfectionem Moysi et Eliæ, interfectionem spiritus legis et prophetiæ: et spiritualiter post annos 1260. esse omnia nunc restituenda. Necessario debet nunc fieri eorum omnium restitutio, cum nunc sit reuelatus homo ille peccati, et illusor qui prævalebat. 2. Thessal. 2. et Esæ. 29. Ipse est ille pastor idoli, pastor vanitatis, duplici gladio accinctus, qui post alios legis pastores, futurus prædicatur, qui oves infirmas non sanabit, sed instar lupi deuorabit Zacha. 11. In sancto, tuto et excelso loco nidum suum collocatum ille putat, apostolicam benedictionem sibi tribuit et clamat, pax, pax. Iere. 6. 8. et 1. Thess. 5. Vere tamen non est pax, sed ruet Babylon impetu magno apoc. 18. Esæ. 21. et Iere. 51. Quod enim antiquæ illæ Babylonis prophetiæ sint denuo nunc implendæ, hinc manifeste colligitur, quod illa prior Babylon fuit umbra huius secundæ, quod Roma est dicta Babylon, et quia in noua Ioannis de Babylone prophetia sunt priorum prophetarum verba repetita. Sed omnia melius comprobemus. Babylonis et bestię mysteria sunt hic fusius exponenda.

Babylonem esse Romam, non est quod dubitetur, cum a Petro iam dudum hoc sit declaratum capite ultimo prioris epistolæ, ubi Romam expresse vocat Babylonem. Ioannes quoque hoc docet aperte cum Babylon nunc dicatur ciuitas magna habens regnum super reges terræ, apoc. 17. Ea ipsa est, quæ sedet super aquas multas, et populos multos, ut ibi dicitur, sicut in figura olim de altera Babylone dicebatur. Esa. 47. et Iere. 51. Ad idem facit, quod in Babylonis excidio ait idem Ieremias de gloria et eleuatione aquarum Iordanis in baptismo ascensurum populum fortem, quasi leonem, ad perdendam Babylonem Iere. 50. et cap. 51. draconi confertur rex ille Babylonicus, qui delicias paradisi Dei a nobis abstulit, eis ventrem suum replendo. Certe abstulit a nobis cælestem paradisi regenerationem, abstulit eucharistiam, ut mensam suam impinguaret. Eodem cap. apoc. 17. illa est Babylon, in qua sedet coronata meretrix purpurata et auro plena. Euidentiissima res est. Non datur alicubi ciuitas alia, quæ regnum habeat super reges, in qua sit bestia talis, et tam sublimis negociatio. Item apoc. 18. illa declaratur esse Babylon, cuius præstigiis, veneficiis et erroribus, seducuntur gentes: in qua etiam inuentus est sanguis omnium sanctorum, qui interfecti sunt in terra. Iustinus, Irenæus, et alii veteres, Romam ibi intelligunt Babylonem, ut docet aperte Tertullianus, et citat Eusebius in historia ecclesiastica, libro secundo, capite decimo quinto. Pulchrum est huius secundæ Babylonis dictum apud Zachariam capite quinto: ubi destructa iam priore Babylone, adhuc ostenditur ædificanda impietatis domus in terra Sennaar, quæ est Babylon. Plerisque aliis rationibus Romam esse Babylonem, ostendit Paulus Orosius libro secundo, et comprobant focii ipsius Hieronymus et Augustinus, qui etiam imprudentes coguntur

vefa

vera fateri. Et Babylonem et purpuratam meretricem, vocat Hieronymus Romam, præfatione in libro Didymi.

Cognita Babylone, bestię mysterium nunc superest exponendum. Bestia babylonica fuit, et non est, et ascensura est de abyſſo, vt ait Ioannes apoca. 17. Cuius rei hic est intellectus. Fuit legis tempore in terris summus pontifex, nunc autem non: quia solus est in cælo pontifex Christus, qui si in terris adhuc esset, ne pontifex quidem esset, vt ait apostolus Hebr. 8. Fuit ergo, et nunc non est pontificatus terrenus. Id etiam docet Zacharias capi. 11. vocans pastorem vanitatis, rem quæ non est, parietem dealbatum vocat Paulus. Quod etiam Michaël angelus increpato satana, sit cidarim mundam a Babyloniis detractam, Christo restitutus, colliges ex Zacharia cap. 3. Mira res est, quod Petrum fuisse Papam nos dicamus, cum ille de suo Papatu nihil vnquam cogitarit. Imo plane norit, Papatum non esse in rerum natura, vt videbis libro sequenti. Imo nec se aliis apostolis dignitate maiorem vnquam cogitauit Petrus, sed tantum compresbyterum. 1. Pet. 5. et 2. Pet. 3. et acto. 8. Sciebat ipse, eam maioritatem contraire præcepto Christi, qui inter ministros verbi, neminem vult in ecclesia alio dici maiorem, nec aliis dominari, nec in alios potestatem exercere. Matth. 20. Eo magis, quia quod ad ministerium attinet, excellentius in Paulo apostolatus organum Petrus ipse agnoscebat, vt apparet 2. Corinth. 11. et 12. Galat. 2. acto. 9. et 2. Pet. 3. Nec in Petro, nec in aliis, etiam accepto spiritu sancto, erat tanta sapientia, quanta in Paulo, vt apparet acto. 10. et 11. Ab initio suæ vocationis perfecte nouit Paulus mysteria Christi, vocandas gentes, et tollendos omnino Iudaismos, id quod alii tunc nesciebant. Quædam peculia-

ria iuxta fidei suæ rationem habuit Petrus, sicut Ioannes, et alii, sed hoc nihil ad papatum istum.

Rogabit hic quispiam, Si pontificale illud terræ sacerdotium fuit, et non est, unde nobis prodiit hic Romanus Pontificatus? Ad hoc eodem cap. 17. respondet Ioannes, de abyssu ipsum ascensurum, inquit. Post diluuium est malorum spirituum carcer in abyssu, ut alibi ostendimus, et comprobatur Lucæ 8. apoc. 20. et 2. pet. 2. De eo maris abyssu ascendens draco, et in Bestiæ corpus intrusus, dicitur de abyssu bestiam ipsam educere, eam super populorum aquas multas, inter superum et infernum mare, in Exquilino monte, antiqua idolorum sede collocando, in qua iam olim in fatanæ pontificatu sedere solebat idolorum pontifex. Dedit ibi fatanas ipsi bestiæ clauem putei abyssi, dedit ille pontificiam sedem suam, et potestatem magnam, apoc. 9. 11. 13. et 17. De maris potestate in terræ montes ascendit bestia, ut terræ marique dominetur. Super montem etiam inter maria, ait Daniel, esse ab Antiocho fixa tentoria sacri palatii, idque in figura futuri Antichristi, Daniel. 11.

Hæc fatanæ antiqua sedes, dicta nunc sedes apostolica, (nomina enim nihil moror: nam et sacris nominibus Ieroboam, et alii olim idololatæ, suos lucos decorabant) hæc inquam sanctissima sedes, sita est in monte exquiliarum, qui septiceps dicitur. Sunt et bestię ipsi capita septem, montes septem, et monarchias septem referencia, quas et reges septem Ioannes vocat, apoc. 13. et 17. Septem vere fuerunt regna, siue septem monarchiæ, in quas captiuus migravit populus Dei. Earum quatuor notauit futuras Daniel capi. 7. Iam vna tunc præcesserat Assyriorum. Tempore Zachariæ præcesserant quatuor, Assyriorum, Chaldæorum, Medorum, et Persarum, quas ipse vocat quatuor cornua, quæ ventillauerunt Iudam et Israëlem, Zacha. 1. Sequuntur eas

tur eas monarchiæ Græcorum et Romanorum. Vnde quarta Danieli, est Ioanni sexta, nempe Romana: quam solam superesse ait Ioannes, cum aliæ quinque ipsius tempore iam cecidissent. Quinque inquit ceciderunt. Sexta nunc est Romana. Septima veniet Constantinopolitana, quæ non diu durabit, dicto cap. 17. Super hos omnes montes, imperium et potestatem sibi vendicat bestia, quasi totius terræ Deus: ut videatur eius esse octaua monarchia. Vere tamen in illis septem continetur, præsertim in Romana. Et ita ait Ioannes: Bestia, quæ fuit et non est, octaua est, et de septem est, et in interitum vadit. Pulcherrime profecto de hac re loquutus est Ioannes, si bene intelligatur. Hinc etiam intelligitur plaga illa, quasi ad mortem bestię illata, apoc. 13. Nam præcipuum illorum septem capitum caput, nempe monarchia Romana, est aliquando cum ipso papatu fere deleta. Reuixit tamen Papa, multo quam antea potentior. Imo ob id solet gloriari, quod a vulnere reuiuat, ob id se magis ab hominibus adorari faciens, ut ibi refertur.

Iam assequutus es, lector, omnia fere coronatæ illius bestię mysteria, Quod fuerit et non sit, quod de abyssu Romam ascenderit, cum potestate magna se adorari faciens, quod septem fuerint eius capita, septem montes, septem monarchiæ. Paucis nunc accipe, quæ sint illius bestię cornua decem: id quod eodem cap. 17. nobis declarat Ioannes dicens, Decem bestię cornua decem reges sunt, qui vno consensu virtutem et potestatem suam Bestię tradent. Hos nunc plane vides in Christianismo reges Bestię subditos, quorum potestate Bestia, quasi cornibus fulcitur, eis omnibus ad lasciuiam abutens. Hos omnes simul cum Bestia regiam potestatem accepisse, ait angelus. Quia cum primum facti sunt hi, qui nunc sunt Christiani reges, simul et papistica potestas in eos regnare cœpit, ut virtutem suam hi omnes reges consensu vno Bestię ipsi tradiderint. Imo regiam potestatem

testatem a Bestia recognoscunt, eam genibus flexis et pedis osculo adorando. At nunc eam odio prosequuntur, et desolatam facient dicto cap. 17. Quod etiam cornua hæc Antichristi sint ad Romanum regnum referenda, docet euidenter iam citata Danielis visio cap. 7. Nam ferreo illi Romanorum regno tribuuntur cornua decem, ex eodem regno ait Daniel oriturum mirabile quoddam supra illa decem cornua cornu, in quo erit os loquens ingentia, in quo erit tanta potestas, ut reges humiliet, sanctos conterat, mutet tempora et leges, per tempus, tempora, et dimidium temporis annos mille ducentos sexaginta. Horrendum est huius cornu potestas, quod ab initio erat paruulum, ut ait Daniel. Postea adeo creuit, ut contra principem principum confurgens, et Iesum Christum conculcans, in Deum loquatur magnifica: montes, id est monarchas, migrare faciat, reges humiliet, sanctos conterat, leges et tempora mutet, stellas cælo detrahat, et infernum ascendere faciat. In infernum potestatem habet, ut animas a purgatorio liberare possit. Apostolis non in inferno, sed in terra datum est ligare et soluere, Matth. 16. et 18. Antichristo vero datum est, in inferno ligare et soluere, quia claues habet putei abyssi, infernalis dæmonis potestatem habet, apoc. 9. et 13. Adde quod in vrbe ipsa fuit insignis pontificatus ad idololatriam. Pontifex ipse fatanas, parentalia, iusta funebria, placandos manes, inferias, exequias, et alia pro mortuis suffragia, ab Aenæ seculo Romæ docuerat. Quos omnes ritus, ab ipsomet fatana instructa bestia, ad vnguem nunc seruat, sicut ritus terræ Chanaan seruauerunt Israëlitæ. Sicuti ibi colebatur Hecate *τρεκέφαλος*, ita nunc a tritoitis colitur triiceps cerberus, tres in vno numine ranarum spiritus, ut ait Ioannes. Sicut habebat Hecate capita tria, apri, equi, et canis: ita Bestia habet imaginem pardi, vrſi et leonis, apoc. 13. Nam immanior est bestiis aliis omnibus, ut ait

vt ait Daniel. Ab æterno non est visum monstrum tale, nec tanta diaboli impostura.

Bestiæ imaginem superest nunc paucis exponere, et Bestiam aliam secundam de terra, quæ dicitur pseudopropheta. Bestiæ imaginem esse papisticum quoduis idolum, non est difficile intelligere. Nam in vniuersum dicitur, quoduis idolum esse bestialis imago: cui qui se flectunt, et incuruant, sunt plusquam bestiæ, sine sensu et intellectu, vt clamant omnes scripturæ.

Bestiam secundam bicornem, quæ dicitur pseudopropheta de terra, esse Sorbonicum magistrum (qui malo draconis spiritu imbutus, et terrena quadam sapientia præditus, esse in terris papatum, duplici cornu et gladio prodigiose defendit, et quasi in verbo domini loquens eum nos adorare cogit) res ipsa, si oculos habeamus, fatis nos docet, bene perspectis Ioannis verbis apoca. 13. 16. et 19. vnde completa est trium malorum spirituum trinitas, qui sunt tres spiritus nequam in ore draconis bestiæ et pseudoprophetæ, vt ait Ioannes. Pseudoprophetæ isti dicuntur habere duo cornua similia agni, et loquuntur sicut draco, teste Ioanne. Loquuntur, inquam, sicut draco, ad roborandam bestiæ potentiam, a dracone sumtam. Ita discipuli loquuntur, sicut pater ille mendacii, a quo docti sunt. Duo vero agni, id est, Christi vera cornua, sunt duæ eius cælestes dignitates, regnum et sacerdotium. Ad cuius æmulationem pseudoprophetæ isti, falsi verorum imitatores, homines mere terreni et infernales, duo sibi vsurpant cornua, eis a dracone data, duas dignitates et potestates, duos gladios ad nos interficiendos et anathematizandos. Temporalem gladium habent in dextra ad percutiendum et occidendum, spiritualem habent speculatorem in oculo, ad insidiandum et

fulminandum, vt manifeste docet Zacharias iam citato capite vndecimo. Habent quoque in suis episcopis temporales et spirituales potestates, regalia dominica et spiritualia iura, quæ eis sunt regnum et sacerdotium, cornua duo. Bicornes sunt etiam inferioris gradus administrationes, habentes temporalem præbendam, et spirituales canonicatum: terrenos census, et spirituales ceremoniarum vsus. Hinc et bicornia gestant caputia, et bicornes cucullas. Spiritualitas eorum est tota in vestibus, et ceremoniis, spiritualitas Babylonica, vere Antichristiana, picta et fabulosa.

Sigilla libri nunc interpretemur, de quibus scribit Ioannes apoc. 6. Sex priora sigilla, sex tubæ, sex phialæ, sunt sex in hebdomada dies, afflictionis, laboris, et persecutionis, citra septimi requiem. Sex erant anni seruitutis, septimus libertatis. Senarius numerus in sacris litteris mala significat, quæ septenarius tollit. Numerus senarius est mundi huius sex diebus creati. Senarius est numerus hominis, sexta die formati, et sex diebus laborantis. Sex sunt modi afflictionis dæmonum. Hinc ait Iob, in sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. Post sex plagas Gog, septimi est requies: et post sex vastatores viros septimum liberatorem vidit Ezechiel. Hinc numerus bestię apoc. 13. est sexcentorum sexaginta sex, ex senariis vndique cumulatus, cumulus omnium malorum. Quia in ea est omnis malitiæ, et prauitatis cumulus. Numerus hominis malus est, vt ait Ioannes. Post sex igitur Babylonicæ vastitatis modos, quos in sex sigillis mox referemus in septimo mysterio, quod iam appropinquauit, donante nobis Christo Iesu veram sabbati requiem, destruitur Babylon, et libro aperto manifestatur Christus viui fontes baptismi, cæna agni, et regnum Dei. In perditionem tunc mittitur rex Abaddon, cum omnibus filiis perditionis, qui terram perdiderunt, apoc. 9. et 11. Huius rei figura olim in Iosue

Iosue præcessit, vrbe Iericho Romam adumbrante. Nam Michaële archangelo euaginatam gladium ibi tenente, post sex dierum circuitum, clamantibus verbi Dei tubis, concidit Iericho die septima.

Particularius vero ita exponuntur figilla. Qui in primo sigillo super equum album primus sedet, est papa æmulus Christi, super equum album sedentis, apoc. 19. Sed integra audiamus Ioannis verba dicto cap. 6. Cum aperuisset, inquit, sigillum primum, Ecce equus albus, et qui sedebat super eum, habebat arcum, et data est ei corona, et exiuit vincens, vt vinceret. Primam habuit Papa draconis spiritualem potestatem, arcum ad eiacularanda anathematum fulmina. Data est ei deinceps regia corona. Data est ei a Constantino Imperatore, aut aliunde addita, corona regni temporalis. Et ita exiuit vincens, vt vinceret, duplici ratione. Nam temporali gladio cum regibus dimicat et spiritali gladio eos excommunicat. Post Papam succedunt alii, qui ad papatum aspirare solent militantium ordines. In secundo sigillo est rubeus et aureus cardinalium equitatus, presbyteria et episcopia secum habens, missus cum gladio legatus, ad bellum regibus indicendum, et eos anathematizandos, vt pax de terra tollatur. His a latere legatis datur gladius magnus, magna Papistica potestas, vt possint, quoquo vergant, a dextris et sinistris percutere. Succedit in tertio sigillo tertius ordo nigrorum monachorum, in amœnis locis degentium, cum omni fructuum terræ vbertatē: quorum cura est ventri indulgere, vino, frumento, oleo, et aliis pinguius abundare. Imo cibaria omnia, sibi indies ad stateram pendi faciunt, quasi ea nullius sint apud eos æstimationis. In quarto sigillo est quartus et infimus ordo pallidorum mendicantium, qui in quatuor ordines distributi, quartam terræ partem pessundant, sicut quatuor illa genera locustarum, quæ apud Ioëlem paradisum Dei

perdiderunt, vt ostendamus libro tertio. Horum omnium pseudoprophetico consilio sequitur in quinto sigillo interfectorum martyrum ingens numerus. Ad quæ deinde in sexto sigillo sequitur solis Christi iam exposita obtenebratio: et hæc est mors, qua nos Antichristus spiritualiter interfecit: a qua nos nunc oportet ad mille annos resurgere, et erit hæc resurrectio prima apoc. 20. Resurgere a morte dicuntur, qui a Babylone liberantur, Ezech. 37. Dani. 12. Esa. 26. 59. et Ephes. 5. Eo magis, quia nunc per regenerationem in Christo ad cœlestia resurgemus. Precamur igitur, o domine Christe Iesu, adueniat regnum tuum. Regnet in terra veritas tua. Circuncide, domine, cor nostrum, ne a serpente amplius superemur. Da seruo tuo, militi tuo, vt contra draconem serpentem diabolum, qui potestatem Bestiæ, id est, Papæ dedit, potentia tua magna viriliter pugnet, et sequentia circuncisionis mysteria ita aperiatur, vt liber tuus omnibus aperiatur. Tu enim ipse, qui mentiri nescis, Danieli reuelasti, vtriusque testamenti libros, stante Romano imperio, destructa bestia, esse aperiendos, vt nunc aperiuntur. Et quod tunc iudicium tuum in cælo sedebit, et pugnantibus ministris tuis cornu Antichristi perdatur, et regnum tuum sanctis tuis restituatur, Dani. 7. Lege hæc omnia, lector, et fidem adhibe scripturis sanctis. Aut saltem patientiam habe, donec sequentia melius intelligas.

De Cir-

DE CIRCUNCISIONE VERA, CVM RE-

liquis Christi et Antichristi mysteriis, omnibus iam completis.

LIBER SECVNDVS.

Circuncisionem Christi veram esse totam spiritualem, priori mystice respondentem, profani homines ignorant, qui eius argumento pædobaptismum inducunt, ex carne carnem inferentes. Totum mysterium Christi ordinem ita illi confundunt, vt dicas, eos nihil intellectus aut iudicii habere: imo nec naturæ ordinem intelligere, quæ nos per ætatem ipsam a carnalibus ducit ad spiritualia. Quemadmodum naturæ mutatio, ita temporis, legis et euangelii mutatio, ex paruulis facit viros, ex carnalibus spirituales. Carnales erant olim actiones, carnalia ministeria: nunc spirituales actiones, spiritualia ministeria. Christianos omnes oportet a spiritu incipere, teste Paulo, sicut in lege a carne incipiebatur. Hoc pædobaptistæ non cogitant, nec vere intelligunt ea, quæ secundum carnem in lege fiebant, fuisse typos spiritualium. Circuncisio illa carnalis fuit typus secundæ circuncisionis spiritualis, quæ per Christum fit, Roma. 2. et Colossen. 2. vt duos homines, veterem et nouum, ita duas veterem et nouam euangelio docemur esse natiuitates, et suam cuique circuncisionem. Primus homo est typus secundi, prima natiuitas est typus secundæ, primæ

dæ, prima circuncisio est typus secundæ. Prima natiuitas est secundum priorem Adam, quæ est carnis: secunda natiuitas est secundum Christum, qua nascimur e supernis. Prima circuncisio, quæ est carnis, in carnalibus fit paruulis: secunda, quæ spiritu constat, in his, qui efficiuntur paruuli spiritus. Hi vere circunciduntur, circuncisione per Christum facta, exuentes corpus peccatorum, præputium carnis, et eius delicta refecando. Ex carne carnem inferunt pædobaptistæ, cum ex re gesta in puero carnis inferunt aliam in puero carnis gerendam. Circuncisio spiritus conuenit paruulis spiritus, cum præsertim nulla in paruulis carnis sint peccata, a quibus circunciditunc debeant, nec possit secundus homo, siue nouus homo in eis incipere. Euangelica circuncisio est, per qua circuncidimur, peccatorum corpus refecando, ut nos ipsi dicamur circuncisio, Phil. 3.

Obiiciunt pædobaptistæ, circuncisionem per Christum vniri baptismo. Respondeo primo, Christum esse paruulum circuncisum, non tamen esse paruulum baptizatum, sed cum esset annorum triginta, Lucæ 3. Mysterium magnum est. Triginta annorum Christus baptismum accepit, exemplum nobis dans, ac nos ita docens, ante eam ætatem non esse quem satis aptum ad mysteria regni cælorum. Qui igitur Christianus imaginem Christi sequi vult, instar eius debet ad lauacrum regenerationis accedere. Ex superiore libro constat, post ætatem commissorum peccatorum sequi debere lauacrum peccata diluens. Ex Adam quoque et lege probatur hæc ætas. Sicut primus Adam tricesimo anno nascitur, ita cum secundo nos tricesimo anno renascimur. Sicut adulta ætate paradysum perdidit Adam, sponte inobediens: ita adulta ætate paradysum restituit Christus, sponte obedientibus. Idipsum in figura ostensum est. Num. 4. ut solum post tricesimum annum assumantur, quibus liceat ingredi sanctuarium, id est, regnum cælorum: in quod

quod per lauacrum illud ingredimur, facti veri sacerdotes. Item non solum vnctione illa sacerdotali nos in baptismo vngimur, sed et vnctione Dauidis in regnum et sacerdotium sanctum, Zacha. 12. Dauid vero anno tricesimo in regem est vnctus, 2. Samu. 5. Ioseph ab Aegypti carcere in regnum translatus est anno tricesimo Genes. 41. Ministros Dei solum a tricesimo anno recipit Dauid, 1. Para. 23. licet ad catechismi ministeria a vicesimo anno habeatur idoneus. Veri igitur Christi ministri, qui per baptismum fiunt omnes reges et sacerdotes, et sanctuarium ipsum, id est, regnum caelorum ingrediuntur, non pueri carnis, sed viri spiritus esse debent. Haec triginta annorum aetas est, aetas viri perfecti, aetas adulta Christi, in qua docet Paulus perueniri ad veram cognitionem filii Dei: antea vero esse puerilem cognitionem, Ephes. 4. In ea aetate fiet finalis resurrectio corporum, in qua nos nunc spiritu resurgimus, quae dicitur resurrectio prima. Mysterium est magnum, et similitudo vtriusque resurrectionis: sicut et similitudo aetatis, qua perditus est paradysus, et aetatis, qua restituitur. Ea aetate dicitur nobis, sicut dictum est Christo. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quia dies baptismi assimilatur diei resurrectionis. Tunc nos caelesti dignitate ac sacerdotali decore ornatur, caelestium potestatem adepti, instar Christi resurgentis, cui data est tunc omnis potestas. Non est Christianis abbatum, antistitum, aut cardinalium dignitas alia, quam baptismus. Per quem sacerdotes effecti, in ministeria, et episcopatus opera mitti possunt, qui communi testimonio fuerint comprobati, et ad docendum idonei. Non est consecratio aliqua, characteris bestiae, sed per manuum impositionem benedictio, vt ostendemus. Quemadmodum Christus statim a baptismo praedicare coepit et apostoli omnes: ita nos statim a baptismo praedicare debemus, et aliis manifestare fidem, quam sumus ibi professi.

Si quis

Si quis obiciat, Timotheum in priore ad ipsum epistola vocari a Paulo adolescentem, seu potius iuuenem: facile ibi colligitur, eum satis excessisse annum tricesimum, cum multo antea fuerit discipulus, omnium testimonio probatus, act. 16. Iuuentus dici poterat respectu tanti oneris senem exigentis, imo seniore, ob id dictum presbyterum. Puer et iuuenis dicitur Iosue, quadragesimum excedens annum, Num. 11. sicut et Roboam. 2. para. 13. Prophecia item ad hoc de ipso Timotheo præcesserat, 1. Timoth. 1. Ideo id in consequentiam non trahitur.

Hanc insuper inter nos et Iudæos differentiam nota. Nam erat Iudæis pactum carnale et carnalibus hominibus accommodum. Nobis vero est spirituale pactum, et testamentum morte confirmatum, ut non possit cum Christo in baptismo mori, qui non habet liberam testamenti factionem. Hoc est enim in baptismo, testamentum tuum, ut relictis omnibus Christum sequaris, cum eo moriturus. Non potest in Christo baptisari, qui non potest baptisate, quo Christus baptizatus est, baptizari, id est, pro eo sponte mori, Matth. 20. Item erat Iudæis matrimonium carnale, et libellus repudii. Nobis vero non potest esse matrimonium spiritus, et sine repudio æternum, nisi sit nouus homo, ætatis adultæ Christi, et Christo insitus, qui ei fidem despondens, cum eo perpetuo viuat. Item, adolescentulus non solum non est vere capax regenerationis cælestis, sed et periculum esset, ne temere relaberetur. Quod est irreparabile, ut postea videbis.

Ad argumentum igitur de baptisimi et circuncisionis coniunctione dico secundo, Circuncisionem per Christum vniri baptismo, non carnaliter ad mentem pædobaptistarum. Vnitur certe, non in prima carnali, sed in secunda hominis cælesti natiuitate. Ibi nascimur e supernis, denuo paruuli facti, ibi circuncidimur, morimur item cum Christo, intra
aquis

aquas ibi sepelimur, resurgimus, et paracleti noui spiritus ope in cælum ascendimus, regnantes cum Christo, sponsus, sponsa, frater et soror Christi. Mystice hæc omnia coniungit ibi Christus et omnia vnum in ipso sunt. Quod inferunt pædobaptistæ, baptismum esse post carnalem natiuitatem necessarium, quia post carnalem natiuitatem puelli circuncidebantur, est, ut dixi, ex carne carnem inferre, et carnalem actum alterius actus carnalis gerere typum: est Christum cum Mose, spiritum cum litera, et cælum cum terra confundere. Nam illa omnia Iudæorum carnalia gesta rem spirituales præfigurabant, in secundo nouo homine implendam. Sicut variæ figuræ legis, in vnum in vno Christo concurrunt, implentur, et recapitulantur, ita vna et eadem est in homine noua hora generationis, natiuitatis, mortis, et resurrectionis. Tunc generamur, nascimur, et a corpore peccatorum circuncidimur. Tunc morimur et viuificamur. Tunc Christo conssepelimur, et resuscitamus, noui regni cælestis inchoatione. Plura sunt in baptismo mysteria, quam cogitent pædobaptistæ: qui aliud nihil norunt, quam baptismi typum dicere circuncisionem, et in hoc ipso a veritate aberrantes. Nam apostoli cum baptismi typum ex lege citant, non nominant circuncisionem, etiamsi et illa ibi includatur. Sed typum baptismi nobis ostendunt in transitu maris ac Iordanis, et nauigio Noë per arcam. 1. Corin. 10. et 1. Pet. 3. In quibus etiam fides prærequisita ostenditur. Circuncisio igitur non proprie dicitur baptismi typus, sed circuncisio illa carnalis, typus erat alterius circuncisionis spiritualis, in regeneratione factæ, quæ non ab omnibus fit, sed a Deo. Si circuncisio, ut aiunt, tantum valebat, quantum baptismus, quare tollit ipse circuncisionem? Quare solis masculis illa dabatur? Possunt hic adduci plurima, quæ contra pædobaptistarum obiectionem faciunt, eaque certissima. Primo, quia Christus est paruulus circuncisus, et
non est

non est paruulus baptizatus. Quorsum differentia hæc? Vtrunque tempus, et legis et euangelii, in corpore suo tulit Christus, vt omnia in seipso recapitularet, et compleret: et vt vetera complens, ad aliam nos vitam innouaret, Secundo, in lege sub pædagogis, tutoribus et curatoribus agebamus, quia eramus paruuli. At ea, quæ sunt Christi, viros exigunt, et nouas creaturas, ex fœdere nouo. Tertio, carnali genti datum est signum, in puero carnis, Erit, inquit, fœdus meum in carne vestra, Genes. 17. Fœdus autem nostrum est fœdus spiritus. Quarto, circuncisio id tunc conferebat, vt a corporali morte, quam masculis incircuncisis Deus indixerat, quis seruaretur: et vt in terra illa sub Dei protectione viueret: quorum vtrunque paruulo carnis conferebat, et ei vitam tribuebat. Exo. 4. Baptismus vero seruat a spiritali morte, et per eum in regno cælorum spiritu iam viuimus: quorum neutrum potest paruulo carnis conuenire. Ab inferno non magis liberabat masculum circuncisio, quam fœminam non circuncisam: quorum vtrumque facit baptismus. Quinto, non lex, sed Abraham est nostræ fidei regula, vt Paulus docet. Abraham vero postquam credidit, est circuncisus, sicut nos credentes baptizamur. Sexto, vt argumento alio Pauli ad Galatas vtar, id quod de circuncisione in carnalibus paruulis sequutum est, non abrogat præcedentia, in Abrahamæ persona gesta, cum nos non per legem, sed per Abrahamum, cui salus nostra erat promissa, hæreditatem quæramus. Imo non solum non abrogatur factum Abrahamæ, sed per legis circuncisionem firmatur, iuxta veram eius signaculi significationem, quam mox exponam. Nam ad significandum futurum mysterium in paruulis spiritus, fuit ita in carnalibus paruulis præfiguratum: sicut reliqua legalia sunt ita per Christum mystice impleta, et in nobis per ipsum mystice implentur.

Iterum atque iterum te precor, o lector Christiane, vt
possis

possis mecum in bestiam valide pugnare, hunc modum implendi legem in animo tuo firmum reponere, modum spiritualem. Christus est impletio legis. Ipse solus omnia in seipso impleuit, et implet in nobis eius imaginem sequutis. Prophetiæ quædam possunt in nobis seorsim impleri, ut in Roma implentur prophetiæ Babylonis, in Iuda Iscariote prophetiæ Achitophelis, in Ioanne baptista prophetiæ Eliæ. Legis tamen ipsi Moysi datæ mysteria omnia ipsum Christum respiciunt, et in eo est omnium plenitudo, Colof. 1. et 2.

Dirigamus iam in bestiam illam bellica tormenta, ineptissimasque pædobaptistarum, et sacrificiorum rationes in eos conuertamus. Si ipsi ratione valida ex carnali circuncisione suum carnis baptismum inferrent, eum esse volentes circuncisionis puerile complementum: pariter inferrent, quod nostrorum pontificum et sacrificorum rasuræ, tonsuræ, stolæ, vnguenta, et mitræ typos legis implent, et quod implementum legis est Papa, bestia quæ fuit, et non est. Similiter, quod vota, et Nazareatus legis, non in baptismo per Christum, sed per cucullas implentur, et quod implementum legis Nazareorum est cuculla: cum tamen cucullæ sint illæ de abyssu egressæ locustæ, ut postea videbis. Item ex eodem fundamento sequeretur, quod Romæ sit iubilæus, similis Iudaico, quod nos aqua falsa et hyssopo Iudaica spiritualitate rite aspergamur, quod campanas sacras habeamus pro tubis synagogæ, lampades pro lampadibus, et pro lapideo templo lapideum templum, idolis et abominationibus plenum. Velum etiam quadragesimale pro velo templi synagogæ ut simus cum illis plane excæcati, ne faciem Christi videamus. Dedicationes item templi, parietum sanctificationes, vnguenta, altaria, incensa, thuribula, et alia eiusmodi, quæ Paulus vocat Iudaicas fabulas, superstitiones, ἐθελουθηνσκήϊας, et præcepta hominum auersantium veritatem

D.

ritatem. Recte etiam probarent, quod instar sabbati Iudaici succedens illi feria ex Paparum decreto ociari nos cogat: et quod carnalis ille sabbatismus fuerit alterius carnalis typus, sicut circuncisio pueri carnalis typus est baptismi pueri carnalis. Sed cæci et surdi, qui per Christum videre iam incipiunt, et audire verba libri. Iudaismos hos spiritu carere apertissime norunt, vt eos omnes actutum improbamus. Esset enim hoc de carne in carnem transire, et Iudaicæ feruitutis iugo rursus implicari. Mera est hæc κακοζηλία picta quædam legis derisio, seu ridicula imitatio, vt mimos quosdam, et Iudæorum simias nos potius dixeris, quam Christianos. Simili κακοζηλία Mahometus diem veneris voluit suis esse solennem, in quo penitus otiantur. Nec desunt Turcarum religiosi et monachis suæ rationes, quibus a libro Dei traditiones varias, sicut et nostri pharisæi, suffurati sunt, vt prædixit Zacharias. Quicumque, inquit, a libro Dei traditionem aliquam suffuratur, pius et innocens habetur: et quicumque iurat et vouet inuentiones suas ab eo libro detortas, pius et innocens habetur, Zacha. 5. Ob hanc causam ibi docet, maledictione magna recessisse a nobis librum Dei, et impietatem Babylonicam regnare: quia in pharisaicis illis votis mendaciter iuratur. Contra præceptum Christi ibi iuratur, qui vouendo iurare vetuit, Matth. 5. Sacrilegium ibi committitur, furtum sacrum monachalium cucullarum, Papisticorum rituum, et legalium ceremoniarum. Sacrilegi illi sunt, traditiones a libro Dei furando, sicut furatus est Mahometus, et veteres pharisæi. Videns Mahometus, Iudæos habere tubas, et nos campanas, statuit in suis Mesquitis siue templis, vt ore humano clamentur: quia dignior est hominis vox, quam tuba vel campana: et quia legis tubæ erant vmbra humanæ vocis. Vino ille suis interdixit, sicut Papa carnibus et matrimonio. Ad quam rem probabiliore Mahometus habuit rationes, vt apparet Leuit. 10. et Num. 6. Videns Iudæos

dæos ter in die preculas instituisse, mane, meridie, et vespere, exemplo Danielis et Daudis: nostris vero esse septem horas canonicas: ille quasi inter vtrumque volans, quinquies in die orandum esse docuit. Videns Iudæos orare ad occidentem, et nos ad orientem, statuit, vt sui versus meridiem orent, ad domum Mecha. Ita docet Mahometus ca. de domo Abraham, quod est pars Azoaræ secundæ. Superest igitur, vt ab aquilone veniant Gog, et Magog, qui versus aquilonem orare docebunt. Pro peregrinationibus Papisticis ille ad Mecham peregrinationes instituit, quam esse domum Abrahæ, ab Adamo conditam, illi affirmant, a diluuiio seruata, et in æternum duraturam: vt multis nominibus illa templo Salomonis apud eos præferatur. Si reliquas traditiones persequaris, et sacrilega furta, inuenies pleraque Mahometanis deteriora, a nostris Sacerdotibus obseruari. In hoc sunt Papistis Mahometani præferendi, quod idola abhorrent, et idololatriam Papisticam maxime detestantur. Quanquam Deus nec in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colatur, sed solo spiritu: Sacerdotes tamen Papistici varia templa variorum sanctorum cultibus dedicant, et cadauera multa super altaria recondunt. Statuas, idola, et simulachra, aurea, argentea, ærea, ferrea, lignea, lapidea, variis picturis pulchre adornata, illis fabricant, cadauerum reliquias intra idola reponunt, super humeros portant, hunc orantes pro peste, illum pro tonitruis, et pro aliis morbis alios. Ad hunc pro bobus, ad illum pro ouibus, ad alios pro equis et asinis, peregrinationes instituunt, et vota vouent, imo tot sunt diui, quot oppida et pagi: sicut Israëlitæ olim pro numero ciuitatum multiplicabant Deos Iere. 2. et 11. id ipsum Assyrios in terra Israël fecisse legimus 4. reg. 17. Deum illi, sicut et nostri, se ibi colere dicebant, alias quoque diuorum adorationes admittendo. Quanto plures sunt vbertatis terræ fructus, tanto plura ibi

eriguntur diuorum altaria, et statuæ. Hoseæ 10. Vnumquodque artificum genus, fabrorum, futorum, tonforum, et reliquorum suos habet peculiares diuos, quibus festa colit, et bachanalia conuiuia. Membra cerea illis diis offerunt, quando similis membri languore corripuntur, sicut Phelitim anos fecerunt aureos propter hæmorroydas. Oportere etiam dicunt nostri Sacerdotes, nos ad eorum diuorum altaria panem, vinum, et alias oblationes offerre, et altaria ipsa de nostra supellectile ornare. Candelas ad cadauera illuminanda circum idola debere nos accendere, eis vota vouere, coram eis aperto capite nos incuruare, genua flectere, et eorum pedes religiose osculari: imo cæcos clausos oculos sacra illa pictura deuote oblinire. Defunctorum item manes, quos ea idola referunt, orandos esse docent. Datis insuper quibusdam a Bestia figillatis bullis, non solum nos delictorum indulgentias consequi, sed et mortuos a pœnis aiunt liberari. Mortuorum quoque nostrorum et maiorum animas, suis missis, meritis et sacrificiis, a tartaris aiunt eripiendas, et purgatorio bursam purgandam. O stantem in loco sancto abominabilem desolationem. Obstupescite cæli super hoc, pauete et desolamini. Clament contra hos Iudæi, vt relictis adinventionibus humanis vnum Deum colant. Clament Mahometani, vt idola reiiciant, clamemus et nos cum Paulo, vt cælestia quærant, non terrestria. Sed ipsi nec quærere, nec intelligere cælestia possunt, quia nondum cum Christo resurrexerunt. Si regenerationis vim cognoscerent, viderent in seipsis Christum præsentem et propitium, vt non opus sit alios diuos longius petere: cum nec sit alius positus pro signo, nec opem ferre valens. Cum renati fuerint, intelligent vere in lege fuisse futurorum vmbras, et signa, esseque omnia per Christum impleta, vt nulla nunc post effusam Christi lucem umbra supersit, nec carnalis sabbatismus, nec aliquod inter diem et diem

diem discrimen.

Obiiciunt ipsi, Ioannem in apocalypsi meminisse diei dominici. Respondeo. Qui ibi dicitur dies dominicus, aliis dicitur dies domini, in quo reuelatur abominatio Bestiæ, filii perditionis, vt dies domini, quem bestia colit, in eius caput retorqueatur. Dies dominicus dicitur apud Ioëlem dies ille magnus Assyriacæ perditionis. Diem illum dominicum Babylonicæ destructionis legimus apud Esaïam, capite 13. et 28. Amos. 5. Sopho. 1. et alibi passim. Quicumque dies, in quo res insignis est gesta, scripturis dicitur dies dominicus, dies domini, sicut nox domini. Exo. 12. Sopor magnus, quo nunc sunt sopiti Papistæ, dicitur sopor domini, sopor dominicus. Insigne bellum, bellum domini, bellum dominicum, contra dominicos hostes. Cæna domini dicitur, et cæna dominica. Hebraica phrasi res omnes insignes habent titulos illos dominicos, vt arbor magna, arbor domini: exercitus magnus, exercitus domini, siue dominicus: terror domini, terror dominicus. Solennem itaque vocauit Ioannes diem, in quo facta est sibi reuelatio de Babylonica perditione, et hic est dies dominicus, in quo perire bestiam oportet.

Vrgent adhuc, apostolos diem pentecostes obseruasse. Respondeo, Ex lege constat, festum illud hebdomadarum, festum diei quinquagesimi, seu diei pentecostes, post septem hebdomadas ab initio primitiæ frugis, fuisse festum Iudæorum. Exo. 23. 34. Leuit. 23. Num. 28. et Deut. 16. Hinc Paulus ad id Ierosolymam properabat ad diem pentecostes, vt in eo Iudæorum conuentu posset Christum prædicare. Ita Christus ipse pro Iudæorum consuetudine, ad diem festum Ierosolymam sæpius ascendebat. Quid hinc Iudaizabunt Papistæ? Dierum azimorum fit mentio actorum 12. et 20. quod a Iudæis illi obseruabantur, non a Christianis, nisi quis adhuc Iudaizaret. Quod ad mysterium at-

tinet, et mysticum verum sensum, dies nouæ frugis est dies resurrectionis Christi, a quo post quinquaginta dies datæ sunt primitiæ spiritus sancti. Vt quinquagesimo die, ab Aegyptiaca liberatione est data Iudæis lex, ita quinquagesimo liberationis nostræ die datus est doctor spiritus sanctus, qui multo sublimius nos docet, quam lex: atque ita non est nobis alia lex, quam lex spiritus. Impletum est ergo mysterium illud. Instar Iubilei est hic quinquagesimi restitutio in hæreditatem nostram, non terrestrem, sed cælestem: iugis nobis est iubileus, iugisque azimorum synceritas. In die Iudæis celebri voluit Christus effundere spiritum sanctum in apostolos, vt res tanta publice innotesceret, coram tot nationibus, acto. 2. Vt loti sunt Iudæi legem accepturi Exo. 19. ita nobis baptizatis datur spiritus sanctus. Beneficia hæc commemorare licet. Laudamus maxime in ecclesiis, seu concionibus fieri sæpius commemorationem diei natiuitatis Christi, mortis eius, resurrectionis, spiritus sancti missionis: ac etiam diei dominici, in quo concidet Babylon, qui erit dies nostræ resurrectionis, vt fuit vere dies dominicus dies resurrectionis Christi. Nunc a Papistica morte ad annos mille resurgemus, quæ Ioanni dicitur resurrectio prima. Erit ergo hic dies dominicus, dies resurrectionis. Dies item finalis resurrectionis dicitur dies domini, magnus et illustris. Licebit igitur horum dierum commemorationem postea facere. Ex decreto tamen Papistico, ad æmulationem legis otuari, nefas est: cum ocium illud, et sabbatum illud fuerit carnalis vmbra mysterii per Christum impleti. Col. 2. Cum aspirauit nobis dies, fugierunt vmbrae, Cantic. 2. Paulus omnino vetat, nos a quoquam iudicari super sabbati aut alterius festi obseruatione. Sabbatum illud, quod sanctificauit Deus, Genes. 2. fuit signum sanctificationis nostræ, Exo. 31. et Ezech. 20. id significans, vt nos, qui sanctificatione æterna sumus sanctifica

etificati, non amplius feruilia opera faciamus, quæ nos in peccati feruitutem adigant: sed perpetuas ferias, mortificato veteri, noster nouus homo colat, et sabbatum ex sabbato. Tota vita nostra, imo nos ipsi sumus sabbatum sanctum, Esa. 58. Sicut carnalia legis non habent typum alterius actus carnalis, ita non est nobis quærendum sabbatum carnale, sed spirituale, per requiem spiritus, in qua est cessatio ab operibus carnis dicto capite 58. in requiem illam æternam Christi nos iam sumus introducti, Heb. 4. vt nullo interpellante Die habeamus sabbatum ex sabbato, Esa. 66.

Carnalem habent sensum, qui eo argumento nos volunt sabbatizare, quod iugem laborem vernaculi ferui ferre non possunt. Quasi euangelium nostrum de iis iudicandis se intromittat: id quod Christus aperte recusauit. Ciuilia iudicia seorsim permittit Christus, secundum quæ liberum est, de labore corporis pacisci. Non obest, quod diei septimæ ab exordio mundi benedixit Deus, in ea quiescens, et postea per legem quiescere iubens. Nam illud fuit figura, vt in primo dialogo dixi. Iuxta literam fuit carnali populo huius legis, sicut aliarum carnis legum, carnalis et literalis instructio. Sabbatum illud fuit cum Christo sepultum, et ibi ab omnibus, quæ pro nobis passus est, quieuit Christus, omnibus finem imponens. Sabbatum illud carnale fuit sepultum, sicut velum templi scissum, vt omnia noua sequerentur. Obserua in hac re artificium Christi mirandum. Nam legis præcepta sæpius in euangelio recitans, sabbati obseruationem perpetuo tacuit. Imo reclamantibus Iudæis sabbatho semper operabatur, nolens nos ad illam sabbati obseruationem cogi. Docens item, Christianorum opera debere semper sabbato fieri, in perpetua sabbati requie. Pater meus, inquit, huc vsque iugiter operatur, etiam sabbato, et ego iugiter operor,

Ioan. 5. Argumentum aliud Ioan. 7. est notandum, Venerabilior erat circuncisio sabbato, quæ sabbatum soluebat, et a sabbato non soluebatur. Cum ergo circuncisio ipsa soluta nunc sit, et sublata, multo magis sabbatum. Si pro otio sabbati illius nobis otium alterius diei inducat Papa, eadem ratione deberet, pro abscisso præputio aliud membrum abscindere, cum fuerit circuncisio fortior sabbato. Præterea, ut habetur Mar. 2. dominus est homo, cum aliorum, tum etiam sabbathi: et dominos nos fecit sicut dominus est ipse Christus, etiam sabbati: et sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Liber ergo homo potest sabbato libere uti, licet seruii populo sint ad tempus correctionis quædam imposita iuga. Docet item ibi Christus, pueros Daudis esse mundatos, ut liceat eis veluti sacerdotibus, panes propositionis comedere, sabbato spicas vellere, et ad vitæ vsum omnia facere: quia dominus nos fecit sacerdotes, et sabbati dominos. Adde hic, quæ de boue et asino adaquandis, de asino et oue a fouea die sabbathi extrahendis, dominus tam sæpe loquutus est. Nullum Iudaismum pluribus dictis et factis sustulit Christus, quam sabbatum, ut admiranda hic dignoscatur Papistarum cæcitas, quam vane nos velint decretis teneri, et probabilitate sermonis nobis imponere, ut pulcre docet apostolus in epistola ad Colossenses, quam utinam omnes Papistæ bene intelligerent. Hac ratione mutauit Bestia tempora et leges, ut ait Daniel: quia dies festos mutauit, et suas leges pro diuinis posuit.

Quod illa Iudæorum festa, et paschalis agni, et pentecostes, et tabernaculorum, omnia simul in nobis hodie compleantur, omnia in nobis vnum sint, baptismi et cænæ mysterium omnia simul habeant annexum, paucis nunc collige, ut baptismum esse cum cæna coniungendum intelligas. Nam in mortem Christi baptizatus, te ipsum ibi immolas, et ab

Aegy

Aegypti opprobrio liberatus festum primum celebras in azimorum sinceritate, omisso fermento veteri, et paschalem agnum cum Christo in cæna manducas. Festum item ibi agis primitiæ frugis et tabernaculorum. Nam primitias accipiens cælestis spiritus sancti fructus, de area et torculari tuo panem et vinum colligis, et spontanea missa, id est, offertorio ad cœnam domini, eum communicans, cum ecclesiæ pauperibus epularis, in regni cælorum tabernacula receptus, Deut. 16.

De templi machina nunc supereſt dicamus. Graue id videbitur multis, quod tam pulcras structuras nos nihili faciamus. Sed nos nihil horum miramur. Graue impiis videbatur, quando propheta lapideum templum improbabat. Esa. 66. Imo Deum ipsum ob id dicebant esse grauem et moleſtum. Nihilominus rationes improbationis sunt ibi efficaces, ut docet Deus. Quia locus ille non est capax Dei, nec conueniens eius habitatio. Quia Deus in spiritu habitat. Quia lapides iidem erant, antequam facerent templum. Quia templum Dei iam antea erat homo, ante lapideam domum. Quia in lapidea domo cultus Dei erat carnalis. Et quia abominationes multæ ibi committebantur. Adde, quod Christus est verum Dei templum, et quod excelsus Deus non in manu factis templis habitat. Recedere gloriam Dei a lapideo templo docet Ezechiel. ca. 3. 9. 10. et 11. Olim exigebatur lapideum templum, ad offerenda carnalia sacrificia: nunc autem ſecus. Nunc ſolus homo dicitur templum Dei, et ibi eſt Deus ſpiritu adorandus. Ad quam rem latius eſt nobis de templi dedicatione dicendum, et quod ab initio fuerit homo Dei templum. De templi dedicatione habetur Num. 7. et 3. reg. 8. et 2. Ezra. 12. cui myſterio adiungitur ille Deo dicatus Henoch. Nam חֲנֹךְ hanach, eſt initiare, inſtituere, dedicare. Vnde dicitur Henoch, inſtitutus, ſacris initiatus, Deo dicatus et conſecratus. Omiſſo illo ter-

lo tertio Henoch, filio Cain, qui fuit facris serpentis initiatus, de illo nos Henoch, in cælum translato, loquimur, qui fuit septimus ab Adam, sicut est nunc septima dies Deo sacra, in qua nos cum ipso Henoch requiem cælestem habemus. Ille fuit in figura translatus, in signum mysterii Christi. Christus mysterium illud vere in se ipso compleuit, in nobis item faciens spirituale complementum. Nos in veritate sumus in cælum translati, sicut Henoch in vmbra. Nos per Christum sumus veri Henoch, theodidacti, a Deo instituti, Deo dicati, et consecrati. Nos sumus in cælum translati, Colof. 1. et Ephes. 2. Nos sumus templum Dei, et templum spiritus sancti, 1. Cor. 3. et 6. et 2. Cor. 6. Nos sumus domus habitationis Dei, Heb. 3. Nos sumus viui lapides domus spiritualis. 1. Pet. 3. Ante diluuium non habitauit Deus in lapideo templo, aut ligneo tabernaculo, sed in Abel, et Henoch, quasi esset Christus in altero moriens, in altero resurgens, et in cælum ascendens. Post diluuium templum Dei fuit Melchisedech, rex Salem, et sacerdos Dei, Genes. 14. Propter quem ait propheta, fuisse olim tabernaculum Dei in Salem, psal. 75. Omitto hic mysterium salutis gentium in Melchisedech designatum. Nam Salem fuit ciuitas gentium in terra Sichem, Genes. 33. Hic ipse fuit templum Dei, rex, et sacerdos, vero Christi regis, sacerdotis, et Dei templi typo. Lapideum igitur templum ab initio non fuit, sed ad tempus est rudi populo datum. Nunc templo maior est Christus, Matth. 12. Christus est verum Dei templum, Ioan. 2. Excelsissimus non in manufactis templis habitat, acto. 7. et 17. Vnde merito, tanquam rem abolendam, destrui voluit Christus lapideum templum, cum iustis rationibus improbens, dicto cap. Esa. 66. Atque ita nos destructa rursus ædificantes præuariatores nos ipsos fecimus, Gal. 2. Quare tabernaculum ligneum non similiter reædificamus? Si Deus in manufactis templis non habitat, sequitur in Papistrarum templis aliud nihil habitare, quam idola.

Si ut

Si, ut testantur regum libri, soli filio Davidis Christo datum est, deo templum ædificare, sequitur, Papistas aliud nihil ædificare, quam turrim Babel. Si in cælesti illa Ierusalem, quæ intra nos est, nullum teste Iohanne conspicitur lapideum templum, sequitur, Papisticas abominationes, ad cælestem Ierusalem non pertinere, sed carnalium hominum esse pietatem corruptam. Verum templum Dei Christus est, et nos per ipsum. Verum item tabernaculum. Ipse est rex et Sacerdos Melchisedech, et nos per ipsum. Ipse est lapis vivus, et nos per ipsum. Ipse est paradysus Dei, et nos per ipsum. Ipse est sabbatum sanctum, et nos per ipsum. Ipse est circumcisio, et nos per ipsum. Ipse est verus Nazaræus, et nos per ipsum. Christus est omnium complementum, omnia in se ipso et in nobis complens. Cum ipse sit caput, et nos membra, facit nos sui participes, suam gloriam nobis communicando, sicut se ipsum nobis communicat.

Hinc et velum Papisticum tollitur. Velum templi et faciei Moïsis, eius temporis infirmitatem notabat, ac veri mysterii occultationem. 2. Cor. 3. et Heb. 9. quod velum per Christum est scissum et ablatum, facta vera Dei reuelatione. Vnde et in eius passione scissum est velum templi, Matth. 27. Non superest nunc aliud velum, quam ipsa Christi caro, quæ ipsi patris deitati, pro vero est, Heb. 10. ipsa est velum, tabernaculum, arca, vrna, manna, et reliqua.

Similis est ratio salis victimarum Leuit. 2. ut ipsi met Christo tribuatur. Idem de sale mortiferas et amaras aquas sanante. 4. reg. 2. quanquam Papistæ nescio, quas hinc traditiones de aqua falsa furati sint sacrilegio illis peculiari. Ipse Christus est verus sal, nos sibi in victimam oblatos condiens: cuius ratione nos dicimur sal terræ. Aquæ nobis amaræ, et mortiferæ sunt illæ, in quas est immissum Babylonicum absynthium, apoc. 8. aquas mortiferas, quas hætenus in Iericho potauimus, reddemus nunc dulces, sale sapientiæ eas condiendo per spiritum sanctum. In vase nouo contentus nunc sal
immola

immolatam victimam condit, ne sine sal infatuata putrescat. Aquis baptismi dulcorantur aquæ omnes, siue sint marinæ, siue falsæ, siue amaræ: et per eas uiuantur omnia animantia, Ezech. 47. Hoc salis mysterium in nobis completum docet Christus, salem nos habere monens, et dicens, vos estis sal terræ. Christus ipse primaria ratione dicitur sal dans nobis sapientiæ condimentum: ut deinde per ipsum nos scimus aliis sal, eis condimentum nostrum communicantes, ut sapienter gustent, et ab infatuatione, corruptione, seu putrefactione seruentur. Nihil enim magis a corruptione seruat, quam sal. Vnde et fœdus Dei dicitur fœdus salis, incorruptibile Num. 18. et 2. para. 13. Dicitur item fœdus salis, quia in fœdere domini erat, ut in omni oblatione offerretur sal, dicto cap. Leuit. 2.

Hyssopus non est nobis alia, quam ipsemet Christus, proprii sanguinis aspersione nos expians, et mundans: per quem nos dicimur esse hyssopo mundati. Ipse nos expiat, et ipsemet est hyssopus expiationis nostræ: sicut ipsemet est sal et victima a seipso oblata. Ratio, quare iussit Deus hyssopo uti, est multiplex: cum ex naturali proprietate hyssopi, pectus expiantis, seu mundantis, cum ex vitandis contrariis Aegyptiorum superstitionibus: tum maxime, ut Christum ita præfiguraret, verum expiatorem.

De lampadibus et lucernis dicendum, quod Dei lucem expectantes, candelis utimur in noctis umbra. Populo in nocturnis tenebris constituto, cui et lux verbi Dei sub umbra et nube abscondebatur, institutæ merito sunt lucernæ, circa oraculum illud velamine obumbratum, ad significandum, maiorem aliam ibi desiderari lucem. Nunquam enim candelis utimur, nisi quando solis lucem desideramus. Exorto ergo nobis iam die et vero sole lucente, reuelata nobis verbi Dei luce, sublata nube, umbra, et tenebris, nullæ sunt eiusmodi lampades necessariae. Frustra enim

ehim coram solis luce candelam quis accenderit. Ipsemet Christus est nobis vera lucerna, totum cælum illuminans, et in futuro seculo illuminaturus. Ipse est lampas, splendor gloriæ, et lux mundi. In cælesti illa Ierusalem, quæ intra nos est, nullam aliam ait Ioannes esse lucernam, quam ipsam agni claritatem et splendorem. Seclusis igitur Papisticis imposturis, danda nobis est opera, ut nos ipsi dici semper possimus lux, et filii lucis, postquam ipse lux vera nos lucem esse fecit, qui antea eramus tenebræ. Id fiet, si charitatis oleum habeamus, qui lampades nostras in regno cælorum per fidem accendimus. Duo candelabra seu duæ oliuæ, varia ratione apud Zachariam et Ioannem leguntur, ratione varii mysterii tunc ostensi. Apud Zachariam sunt duo filii olei, duo vncti, Iehosua in sacerdotem, et Zerubabel in principem: ad tempus ita vncti, ut domum Dei erigerent, Zacha. 4. Apud Ioannem vero duo candelabra, et duæ oliuæ, declarantur esse duo Christi testes, Moses et Elias, lex et prophetæ, apoc. 11. ut vere sit lucerna ardens, et lucens super mensam, qui palam facit Iesum esse filium Dei: sicut Ecclesiæ hanc fidem tenentes, et docentes, dicuntur esse candelabra aurea, coram Deo perpetuo lucentia, apoc. 1. Impletæ igitur in Christo, et in nobis per Christum sunt illæ omnes legis figuræ, absque Babylonicis figmentis. Externa illa observatio arguebat eius temporis infirmitatem, nondum propalata sanctorum via, Heb. 9. Candelarum accensio arguebat veræ solaris lucis absentiæ. Per quem modum Iudæi diminuto illo lumine videntes, veram postea exorituram lucem indicabant, quod et factum est.

De votis monachalibus iam ostendimus, esse traditionum sacrilegia, vere mimica. Ostendimus ex Zacharia, ob iuramenta illa regnare Papisticam impietatem, et maledictione magna librum Dei a nobis recessisse. Perfectionis regulam

regulam esse in votis suis, iactant monachi, multa iurantes, et se variis legibus adstringentes: cum tamen ipse Christus in ipsis perfectionis documentis iuramenta illa vetuerit, Matth. 5. Nihil ad perfectum duxit lex, et ipsa libertatis ablatio est imperfectio, teste Paulo: ac etiam teste Iacobo, qui perfectionem ponit in libertate. Scriptum est antiquis, Vouete, et reddite Deo iuramenta vestra. At ego dico vobis, o monachi, ait Christus, nolite vouere, nolite iurare, nolite vobis iugum imponere. In testimonium veritatis nobis iurare licet de rebus præteritis vel præsentibus. At in futurum te aliquid facturum nec vouebis, nec iurabis, sed si Deus voluerit, ita facies, vt Iacobus docet. De futuris iurare proprium est Dei, qui futura præstare solus potest. Nos autem nec capillum album, nec nigrum facere valemus. Adde, quod per Christum sublata lege sunt in nobis vota legis impleta. Ipsemet Christus est in nobis vnicum votum, qui se pro nobis morti deuouit, vota omnia complens. Ob id nos ei in baptismo vouemus, ei commorientes, et votorum omnium complementum accipientes. Perenne id nobis superest votum, vt semper in votis nostris sit, gratias Christo agere de tot acceptis beneficiis: id quod Paulus post Dauidem passim docet. Cælibem vitam non improbo, quam ipse mihi elegi, quam et Paulus supra conjugalem commendat: ita tamen, si ea libere agatur, citra necessitatem. 1. Cor. 7. Ad hunc modum et eremitas et monachos laudabo, si larua illa, et voti necessitas tollatur. Arguunt vero laruati monachi, viduas vouisse, 1. Timot. 5. ergo ipsi quoque vouere possunt. Non agitur ibi de voto. Suam esse viduitati fidem, docet Paulus, instar fidelitatis, quam in dispensatore quouis exigit Deus. In fide viduæ ponit ibi, vt suis prospiciat et contineat. Quod quæ non facit, infideliter vtitur ministerio suo, fidem Deo debitam irritam faciens. Votum ergo nullibi in Christianismo legitur, nisi vbi Iudaismus simulatur, vt acto.

vt actō. 18. et 21. quo modo nunc monachi Iudaizant.

De Papatus sacerdotio nunc superest dicendum. In qua re nemo esse potest adeo stupidus, qui non videat, sacerdotium legis esse per Christum impletum. Quis non videt, legis pontificatum, non Romanam illam et Babyloniam mitram, sed spirituale Christi pontificatum præfigurasse? Christus solus est et erit pontifex, perpetuum secum habens sacerdotium, et manens sacerdos in æternum. Nihil de hac re dici potest euidentius, quam quod in epistola ad Hebræos tradit apostolus, de vero solius Christi sacerdotio. Imo addit quod si Christus in terris adhuc esset, ne pontifex quidem esset. In eum enim est translatum sacerdotium per resurrectionem. Est et alia ratio, quare non diceretur pontifex in terris. Nam regnum et sacerdotium Christi est cæleste, non terrestre: spirituali et interna spiritus sancti vnctione constat, non externis oleis, aut coronalibus rasuris. Pontifex noster Christus, in cælis existens, nobis erit in cælum secum translatis, omnia quæ pontificis sunt, vere et interne ministrat, oblatione sui facta pro nobis orans. Heb. 8. Talis, inquit, est nobis pontifex, sanctorum administrator, et veri tabernaculi, in quo nemo in terra factus pontifex ministrare potest. Terrenus pontifex non potest, nisi externe, Iudaice, aut Babylonice sacrificare. Nostrorum vero sacrificiorum longe alia est ratio, cum spirituales tantum hostias nos offeramus. Nulla sunt nobis corporalia, sed spiritualia sacrificia. Sacrificium Deo spiritus. Nos omnes Christi participes effecti, veri sumus sacerdotes, vnctione spiritus sancti instar Christi interne facta: non instar Bestiæ, quæ tantum est paries dealbatus, et externe inunctus. Romanum Papatum, seu principatum hunc, esse rem surreptitiam, vel hinc manifeste constat, quod longa fuit in primitiua ecclesia contentio, antequam Romanus episcopus Papæ aut pontificis summi nomen usurparet. Frigidissimum est argumentum ex Petri vel Pauli institutione. Nam illi
et Ro

et Romæ, et alibi episcopos instituebant, sicut reliqui apostoli in Asia, India, et Aethiopia, nullis a Roma petitis bullis. Antiochena ecclesia, teste Ignatio, est a Petro, Paulo, et aliis fundata, prior est quam Romana, et primi sunt ibi dicti Christiani, ut ait Lucas. An propterea dicetur ibi Papatus iste? Quod Romæ sint sancti illi, et alii plurimi occisi, arguit eam esse tanto magis maledictam, teste Ioanne, sicut et ob id est Ierosolyma maledicta. Alio argumento nos impetunt, quod iuxta Paulum, oportet omnem animam potestatibus subditam esse, Rom. 13. quasi ipsi sint tales potestates, quod negat ibi Paulus, et negat Christus Matth. 20. differt plurimum virtus doctrinæ et spiritus, a bullata illa, et larvata Papistica potestate, meras imposturas et tyrannidem continente, virtutem spiritus nullam. Quando facta fuit contentio inter apostolos, quis eorum futurus esset maior: non respondit Christus, Petrum eis fore Papam. Imo vetuit quem ministrorum in ecclesia dominari, aliis maiorem dici, aut in alios potestatem exercere, pro singulari personæ ratione onus varie iniungebatur. Petro qui tunc erat in fide robustior, iussit Christus, ut alios in fide confirmaret, Lucæ 22. Sed hoc nihil ad Papatum, si Papatum pro principatu isto pontificio sumas: alioqui episcopos concedam Papas, siue patres vocari. Petro prius credenti prius claves pollicetur Christus, nondum donat Matth. 16. Postea omnibus in fide firmis pariter donat Ioan. 20. Peculiariora excellentiæ munera, et Ioannes et alii habuerunt, præsertim Paulus, cuius amplior fuit apostolatus, quam Petri. Fides et industria in apostolis varie commendatur, non Papatus iste. Quis unquam audiuit, Petrum vel Paulum Papam pontificem vocatum? tanquam blasphemus, pseudo Iudæus, et antichristus, fuisset ab eis reiectus, qui talis dignitatis imposturam ausus fuisset nominare. Soli filio perditionis datum est, Christi Pontificatum in terris usur

vsurpare, esse sacerdotum principem, facere, vt in templo Dei quasi Deus federet Antichristus. 2. Thess. 2. Illi soli licuit miscere sacra profanis, regnum spiritus cum temporali confundere, sacrilega furta et Babylonica sacra superinducere. Nos vero scimus, Christianis non esse terrenum pontificatum ad Iudaizandum, sed cælestem, sicut est spirituale sacerdotium. Non est Christus nunc mortuus, vt successore indigeat: nec absens, vt vicarium seu vices gerentem desideret. Ille viuit, ille nobis sufficit, ille nobis præsens est, ille nobis vere, vt pontifex ministrat, vt melius postea videbis in interno homine. Ille in nobis vere regnat, nos cum illo regnamus, et regnum bestiae detestamur. Quæ igitur, inquires, erit ratio ministrandi in ecclesia Christi, si nullum sit caput? Respondeo, Liber tertius mox sequens indicabit, quæ et qualia sint ministeria ecclesiæ Christi. Caput Ecclesiæ aliud nullum est, quam Christus, vere præsens, et in interno homine vere ministrans. In ciuilibus et externis actionibus, nos magistratum habemus externum, in spiritualibus internum. Si cum Christo ad cælestia resurreximus, a legalibus liberati sumus. Externum hominem, quasi externam monetæ effigiem, nos cum Christo dicimus, temporalis potestatis legibus regulari. Internus vero non subiicitur mundo, qui non est de mundo. Hoc sane modo nos reddemus ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et ea, quæ sunt Dei, Deo, et Papam ipsum reddemus satanæ, qui dedit illum.

Omnes Christiani, veri fratres, æqua ratione dicuntur reges et sacerdotes, quatenus æque preciosam sortiti sunt fidem, vt ait Petrus, peculiariter se supra alios in sacerdotum principem nemo extollit, nisi Antichristus, vt ait Paulus. Imo est ad hanc rem efficax ratio, si quis mysteria legis intelligat. Nam iuxta legem nemo sacerdotio consecratur, nisi per baptismum, Exo. 29. et 40. Leui. 8. et Num.

8. Nullum penitus priscis illis ceremoniis adumbratur mysterium, quod in baptismo vere non compleatur, sicut est per mortem et resurrectionem Christi completum, in quibus verus consistit eius baptismus, vera in sacerdotem constitutio, et veteris sacerdotii innouatio. Expressus in prædictis legis locis est fermo de baptismo, in quo sicut tunc sacerdotes, ita nos nunc abluimur, et instar immolati Christi immolationem nostri ibi facimus, in azymorum synceritate. Pro ostio tabernaculi, quod ibi lotis aperiebatur, nobis lotis aperitur ostium regni cælorum, sicut et Christus est post suum baptismum in cæleste tabernaculum ingressus. O pædobaptistæ, qualem cæli apertionem vos in baptismo cogitatis? Quorsum in Iordane sunt aperti cæli? Vestimentis item salutis, confirmatæ, ac cælestis nouæ iustitiæ, nos ibi ornatur, vt olim sacerdotes: iure iurando sacerdotium nostrum ibi firmatur, regiam coronam ibi accipimus, et pro Aaronis oleo spiritus sancti inunctionem. Internus noster homo in baptismo genitus, habet incorruptibile spiritus ornamentum. 1. Pet. 3. vestimentum iustitiæ vere sacerdotale, apoc. 19. Ornamento, inquit, iustitiæ, et sacerdotali decore ornauit me. Esa. 61. Sicut igitur illa omnia in baptismo vere implentur mysteria, ita verum, in lege figuratum, nobis in baptismo datur sacerdotium: non ad corporalia, sed ad spiritualia sacrificia, ad offerendas spirituales hostias, et fructum labiorum. 1. Pet. 2. et Hebr. 13. Ipsamet corpora nostra, tanquam hostiam viuentem, nos instar Christi offerimus, Rom. 12. et 15. Totum hominem in baptismo offerimus Christo solenni voto et sacramento, vt nulla alia nobis nunc vota supersint, nisi hoc, vt semper in votis nostris sit, gratias Christo agere, de tot acceptis beneficiis, psal. 55. 115. et Colos. 2. cui concordat psal. 49. vbi hæc ipsa vocat propheta sacrificia et oblationes. Vituli labiorum hi dicuntur, Hoseæ. 14. Oratio ieiunio adiuncta est sacrificium, acto, 13. et psal.

psal. 140. Dicitur immolatio sacrificium et hostia fidei. Phil. 2. In voce laudis immolabo tibi, Ionæ. 2. Nos spiritu orantes vera adeo offerimus sacrificia, laudes, et gratiarum actiones, ut nulla alia sint nunc incensi thuris odoraamenta, et suffitus, quam orationes ipsæ sanctorum, apoc. 5. et 8. psal. 140. et Esa. 56. Carnem nostram mortificare est hepar, renes et adipem Deo in holocaustum offerre. Verum denique sacrificium Deo, ut ait Dauid, est sacrificium spiritus, cuius motus sursum, preciosum est ei suffumigium. Abominabilia videns Deus carnalia illa sacrificia, iussit nos baptismo lauari, et mundari, Esa. 1. An non magis erunt Babyloniorum abominabilia, si ea, quæ ipsemet Deus statuit, ut abominabilia respuit? Si in nobis vere completur totum legis sacerdotium, unde Papisticum illud? Res admiratione digna, quod Deus manibus humanis coli nolit, et Papistæ verum Dei cultum esse putent illud suis manibus factum ceremoniale sacrificium. Non intelligunt, ministros noui Testamenti esse ministros spiritus, non externarum ceremoniarum. Non intelligunt, nullum esse nobis externum pontificatum ad Iudaizandum, cum solo nos spiritu oporteat ambulare, et sit regnum Christi regnum spiritus. Nullus est nobis alius a Christo princeps sacerdotum. Omnes per Christum vnum sumus, sicut maior, ita et minor, omnes ministri. Hæreditas domini non patitur, ut quis in eius gregem domineatur, quia ipse viuit, dominus et magister. Vineam domini non fert diuersorum generum semina et palmites, sed vnicum tantum, quod est semen Dei. Non patitur aues diuersorum colorum, aut sectas aliquas, ut hi sint purpurati cardinales, illi monachi nigri, illi albi, illi aliter commixti, Leuit. 19. Deut. 22. et Ierem. 12. Christus et apostoli communibus vestibus utebantur: quare ergo in tot laruas sunt defigurati monachi? quare tot sibi leges condiderunt?

Omitto hic referre locos, quibus nos passim monet apostolus, ne iugo aliquo seruitutis nos a quoquam implicari permittamus: sed Christi a vinculis legis factam liberationem integram seruemus, non in ceremoniis aliquibus, sed in sola fidei Christi iustitia salutem nostram constituentes. Quis Antichristi leges sustineat, videns, leges sanctissimas ab ipso Deo datas, esse sublatas? Data a Deo lex ipsi Adæ sublata est. Data ipsi Noë lex sublata est. Data ipsi Abrahamæ lex sublata est. Data ipsi Mosi leges sublatae sunt. Ab Antichristo nos accipiemus Babylonicas leges? Sacrilegæ sunt ceremoniarum leges, furta, et mendacia. Quis Papæ imposturis fidem adhibeat, cum ipsemet non credat verum esse, quod facit? Clanculum ridet stultitiam nostram: ridet quoque tota Romana curia.

Obiiciet fortasse quispiam, esse adhuc papatum, et raforum peculiare sacerdotium, cum peculiari papæ charactere: quia peculiare fuit olim Leuitarum sacerdotium, a communi populo longe diuersum. Respondeo, Leuiticum illud sacerdotium per Christum esse translatum: imo per Christum omnia nunc vnum esse. Ipse ex Iudæis et gentibus vnum populum facit, sicut ex Leuitis et aliis vnum sacerdotium, coniungendo omnia per fidem, in vnus baptismi unitate. Leuitas vice primogenitorum sibi ad tempus sumsit Deus, Num. 3. et 8. Nunc vero nos sumus illa primogenitorum ecclesia, Heb. 12. Ephraim nunc primogenitus, sicut Iuda, Iere. 31. Nos omnes per Christum sumus primogenitus Israël et primitiæ quædam suarum creaturarum, omnes sacerdotes et Leuitæ. Ob hanc causam multiplicandos ait Ieremias Leuitas ministros Christi, vt arenam maris, Iere. 33. Sicut a communi populo fecernebantur, qui sacerdotio consecrabantur, ita per baptismum a carnali mundo fecernuntur veri Christiani, omnes Leuitæ, et Sacerdotes effecti.

Vt au-

Vt autem veram sacerdotii in Christum translationem, per mortis eius baptismum esse factam intelligas, sicut et in nos fit, et veram ibi esse noui sacerdotii constitutionem: aduerte, quod sine victima non efficitur quis secundum legem sacerdos. Victima autem Christi in passione fuit. Citatae etiam omnes ceremoniae, per quas quis sacerdotio consecratur, typum habent Christi baptismi, mortis, et resurrectionis. Tunc vero pontificem egit Christus, quando se ipsum victimam offerens, est mox in sancta sanctorum a sacrificio resurgens ingressus, sicut nos in baptismo. Tunc est Christus gloria et honore coronatus, tunc est eius sacerdotium iure iurando firmatum in æternum, quando regeneritus est, quando dictum est ei, Ego hodie genui te. Ad eius similitudinem nobis dicitur in die nostri baptismi, filius meus es tu, hodie genui te. In die baptismi nobis in Iordane dicitur, Tu es filius meus dilectus. Sicut in torrente nobis dicitur, Tu es sacerdos in æternum. Illud insuper animaduerte, quod ante passionem Christi adhuc dicebatur esse Caiaphas legis pontifex, et ob id prophetauit, Ioan. 11. et 18. post resurrectionem vero translato iam sacerdotio erat tantum paries dealbatus, acto, 23. Postquam sedit Christus a dextris Dei dicitur esse sacerdos in æternum, secundum rationem sacerdotii Melchisedech. Tum quia sicut Melchisedech simul erat rex et sacerdos, ita et Christus, et nos per ipsum. Tum quia sicut Melchisedech panem et vinum suum educens, militibus Abrahæ protulit, largitus est, et donans benedixit, idque post partam de hoste victoriam: ita sacerdos noster Christus, post partem de hoste victoriam proprium sui corporis cibum et potum, nobis in sui militiam baptismo conscriptis, profert, largitur et donans benedixit. Id quod nos etiam in cena faciemus, vt videbis. Hoc autem, antequam a dextris Dei federet, non fecit Christus, cum nec nos tunc essemus in eius mi-

litiam conscripti per baptismum. Ante missum enim paracletum non est consummatum cænæ mysterium: ut in ipsa cæna apostolis testatur Christus, dicens se novum eis postea daturum cibum et potum. Discipulis frangens et porrigens panem, euanuit Christus, nondum ab eis vere introsumtus, Lucæ. 24. Nondum erat natus cælestis homo, qui erat cælesti pane nutriendus. In cænæ fermone hoc intelliges, et qualiter noster cælestis pontifex, lex et sacerdos, nobis interne ibi ministraret: quod si in terris adhuc esset, facere non posset. Soltus ergo est nobis cælestis pontifex, qui omnia pontificatus mysteria solus compleuit, sine Babyloniciis figmentis.

Confirmari demum potest vniuersale in nobis omnium complementum, ex ipsis Christi verbis. Nam legem destrueret, si non compleret ea omnia, quæ lex designabat. Ea propter dixit Christus, Non ut destruam, sed ut compleam. Sed quomodo compleam? Quia donec transibit cælum et terra, iota vnum, aut apex vnus, non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint Matth. 5. Ergo, id, quod Pontificatus legis significabat, per Christum est impletum, id quod circuncisio significabat, id quod sabbatum significabat, per Christum est impletum et factum, quotidieque impletur, et in nobis mystice fit. In nobis impletum est, et impletur, per fidem in baptismo: factis ibi nobis omnibus sacerdotibus, data nobis perpetua sabbati requie, nobis omnibus per Christum spiritu circuncisio.

Sed omnes et generales et speciales circuncisionis significationes hic fusius excutiamus, quid sit fœdus, siue pactum, et vetus et novum, prius inquirendo, ut omnia in Christo completa videamus. Pactum est duorum vel plurium in idem placidum et consensus. Necessario in omni conuentione debent ad minimum esse duo paciscentes, et pactum ipsum fidem requirit. Inter Deum et Abraham initum est
cuius-

eiusmodi fœdus, seu pactum, quod legis peritis nostris diceretur vna de quatuor speciebus contractus innominati, illa scilicet, quam vocant, facio vt facias. Nam ex parte Dei fuit promissio hæc. Patrem multarum gentium faciam te, daboque tibi et femini tuo terram Chanaan, vt sis Deus tuus, et feminis tui post te, Genes. 17. Ex parte Abraham et feminis eius fuit pactum, vt in omni masculo circumcideretur præputii caro, adiuncto eo, quod ei dixit Deus, Ambula coram me, et esto perfectus, dicto cap. 17. Hæc circumcisio dicitur ibi fœdus, et signum fœderis. Nam parte altera pactum id exigat, et id, ad quod vi pacti Abraham Deo tenetur, est vt circumcidat. Et hoc vocat ibi Deus pactum suum, quo secum paciscens sibi tenetur. Est etiam signum fœderis, seu promissionis Dei, eo pacto firmata. Nam sunt in eo contractu duo pacta, alterum alterius signum. Est contractus correlatiuus, vt iuxta vim pacti respondeat Dei promissio obseruanti signum illud, promissionem dandam significans. Supponitur ibi, quod paciscentem cum Deo credere oportet Deo, et coram eo ambulare. Nemo enim cum eo paciscitur, cui fidem non adhibet. Pactum vero ipsum in se continebat factorum expressionem, sicut et lex ipsa: præsupposita fide, quam de Deo illi habebant, mundanum quid continentem.

In nouo vero testamento est cælestis fides de Iesu filio Dei, in cælestibus nunc regnante, et cælestia credentibus donante. Noui testamenti fœdus, seu pactum nouum, ex parte nostra est lex cordis, quæ est sola lex fidei, vt firmi credamus. Fœdere nouo est nobis cum fiducia credendum, Iesum illum crucifixum esse Messiam filium Dei, in cælestibus regnantem, et id credentibus cælestia donantem. Ex parte vero Dei pactum nouum continet plusquam promissiones. Continet dona cælestia, iam nunc præsentia,

quæ non tantum promittuntur, sed donantur. Quæ olim promittebantur, dat nunc Deus credentibus in Christum, et modo alio longe sublimiore. Pro terrestribus dat nunc Christus cælestia. Credentibus in Christum datur nunc remissio omnium peccatorum, datur regnum cælorum, vita immortalis, Christus ipse totus. In hoc nouo fœdere vetus continetur et impletur. Hic pro terra illa datur nobis cælum. Hic data est hæreditas et requies. Hic seruatur egregie circuncisio, in iis, quos ipse circuncidit. Impletum est, quod dixerat, se fore Deum nostrum et nobis inhabitaturum. Quemadmodum vetus illud non est iuxta literam impletum in incredulis, qui prostrati sunt in deserto, sed in credentibus; ita et iuxta spiritum, pactum nouum non in pædobaptismo, sed in solis credentibus impletur. In pædobaptismo vero non est fœdus aliquod, nec efficiuntur Christiani, nec Deus efficitur Deus eorum, magis quam ante: quia non possunt pacto consentire.

Prima igitur hæc fuit circuncisionis significatio, signaculum fœderis, et dandæ promissionis signum. Quod si circuncisio fuit signum dandæ promissionis, qui circuncidebantur, indicabant nondum esse vere datam. Atque ideo illi circuncidebantur, nos vero secus. Impleta enim re ipsa, cessat signum rei futuræ.

Secunda ex eodem fœdere colligitur circuncisionis significatio, vt colligit Paulus, qui circuncisionem Abrahamæ ait fuisse signaculum iustitiæ fidei ipsius, iam præcedentis, vt deinde esset pater credentium. Nam ablatio proprii præputii significat, eum seipsum abnegasse, Deo credendo, et pacto eius fidem adhibendo. Ideo merito fuit hominis iustificati indicium, signum, et signaculum. Hoc vero iustificationis fidei signaculum non potest in pædobaptismo impleri, nec est ibi præcedens fides, nec aliqua sui ipsius abnegatio, nec fœderis consensus. Qui vero se ipsos abnegantes,

gantes, se totos Christo credunt, ei in baptismo commorientes, cum concupiscentiæ præputii refecatione: tales habent iustitiæ per circumcisionem significatæ complementum. Cum itaque nullius talis mysterii complementum sit in pædobaptismo, quis sanæ mentis ludum illum non rideat? Rem tam inefficacem, et omnis veritatis prorsus expertem? Non est quod circumcisionem baptismo carnaliter æquiparando, hic ludant pædobaptistæ. Eiusmodi enim carnalibus æquiparationibus Iudaizat hodie Christianismus, quibus Galatarum pseudapostoli Paulum molestabant. Imo puerilius isti ludunt. Quos omnes ipse manifeste damnat, argumento sumpto ab Abraham patre nostro, qui non per circumcisionem, sed per fidem vocatus est. Ergo gentes in eo promissæ, per fidem sunt ad ecclesiam Christi vocandæ, non per circumcisionalem illum, imo Iudaicum pædobaptismum: cum præsertim in eo nihil agatur, nisi carnale mimicum et ridiculum.

Specialis alia circumcisionis significatio, et consideratio nunc sequitur, Quare præputii circumcisio pro signo data est, et quid significet. Prima fronte Dei verbum videri solet hominibus stultitia. Stultum quis hodie facile iudicaret, si res circumcisione similis, et hominum iudicio tam turpis, et absurda, cuiquam præciperetur, et tam solemniter. Sed oportet, ut quoquo modo Dei verbo parere, dicamus esse sapientiam. Fides et iustitia Abrahæ fuit, credere promissioni seminis. Hanc autem fidem seminis signatam esse voluit Deus in ea parte corporis, per quam trajicitur semen. Hoc insuper dicimus, quod signum illud, quod vitiorum abscissionem significat, decenter datum est. Sicut eo signo futura Israëlitis bona per pactum firmaverat Deus, ita voluit eo signo ad vitia refecanda illos moneri, ut si volentes cum Deo expostulare, circumcisionem, ut promissionis signum, allegarent, illico argumentum retorquere

tur, quod circuncisionem non seruarunt, et circuncisionem ipsam respicientes, a se ipsis confunderentur, vnde merito Israëlitæ monentur, vt corda circuncidant, si in circuncisione viuere volunt, Deut. 10. et Iere. 4. Simili argumento confunduntur Romani proceres, qui arguunt Christum pollicitum, se cum eis mansurum, tamen ipsi non præstant ea, quæ ipse præcepit, quando pollicitus est, ite, inquit, prædicate, docete, baptizate, seruate, quæ vobis præcepi, et ecce ego vobiscum sum. Imo ridiculum cum scortis illis et beluis Christum manere, etiam si cum eis se mansurum iurasset, vt ex Iosue cap. 5. aperte colligitur. Item ex 1. Samu. 2. et 3. Iere. 7. et 18. et Ezech. 33. Ad idem psal. 88. 131. et Ioa. 15. vt Christus nobiscum sit, si nos in eius præceptis maneamus, non confidentes in verbis mendacii Babyloniorum instar, qui clamant, Sedes apostolica, sedes Romana, sedes Papalis, templum domini est. Iere. 7. Datum itaque signum hoc abscissionem vitiorum significat. Et maxime in præputio data est circuncisio, vt concupiscentias carnis, quæ ibi maxime vigent, circuncidamus. Ibi enim Adam et Eua carnis stimulum et pudorem primo senserunt, et eas corporis partes præ cæteris occultare voluerunt, sicut peccatum originale a fœmina venit in virum, ita in illis partibus mox apparuit, quibus fœmina iungitur viro. Soli viro data est circuncisio, quia in eo fuit consummatio peccati: item ob viri excellentiam, sub cuius dicta protectione intelligitur protegi fœmina. Ob id item, ne ille tam facile alliciatur in muliebrem perniciem. Ad quam rem nota, quod præputii circuncisio non solum abscissionem concupiscentiæ significabat, sed abscissionem illam re ipsa efficiebat, concupiscentiæ stimulum diminuens. Membrum enim debilitatur, cum vulneratur et naturali tegumento spoliatur: sicut auditus fit imbecillior abscissa aure, et visus abscissa palpebra. Euidens hæc

hæc res est intelligentibus naturalem vsum et vtilitatem cuiusvis partis. Pruritus item spermatis circunquaque sub præputio solet abundare, et calore quodam ibi conclusus fouetur. Abscisso vero præputio frigescit, et quodam modo mortificatur. Eam vero mortificationem validiorem nobis dat spiritus fidei, et circuncisio ipsa Christi, non in pædobaptismo, in quo nulla est efficacia. Maioris igitur erat efficaciæ, et plus operabatur circuncisio Iudaica, quam pædobaptismus Papisticus. Præstaret nos a Iudæis circuncidi, quam a Papistis pædobaptizari in Antichristi regno.

Circuncisio item erat redemptionis signum: sanguine fuso fiebat ibi quodammodo redemptio, et dicebatur sponsus sanguinis. Exo. 4. Quæ omnia vides per Christum impleta. Redemptionem per sanguinem ipsius, imolationem et reliqua omnia, vides nostra fieri per fidem in baptismo. Vides, legem stabiliri per fidem, et omnem circuncisionis significationem impleri per fidem. Non quod nos impleamus, sed Christus implet in nobis auferendo præputium, et carnis mortificationem suo spiritu donando, non paruulis carnis, sed paruulis spiritus. Quanquam caro nobis magis et magis mortificanda relinquatur, et carnis aculei a baptismo superstites instar Chanaei, in dies reprimendi: per baptismum tamen caro sepulta, et mortificata dicitur, et opprobrium Aegypti vno momento a nobis ablatum. Iosue. 5. Quia ablatum est ibi omne peccatum, et spiritus ibi datus, omnes ad prædicta efficacias ipsi fidei tribuit. In baptismo nos vere circuncidimur, non superficialiter, sed toti facti circuncisio, corpus peccatorum destructum, nos toti Christo consepulti, resuscitati, et in cælum euecti, Colof. 2. et 3. At in pædobaptismo nullum opus efficitur, quod a Christi spiritu procedat, sed est execrabilis derisio, extinguens Christi mysteria. Omnia quæ pædobaptistæ ibi

stæ ibi agunt, sunt mortua, sine spiritu, et sine efficacia.

Alia circuncisionis significatio ex eius die colligitur. Nam sicut olim circuncisio fiebat octauo die, id est, prima die sequentis hebdomadæ: ita in nobis dies resurrectionis Christi, quæ est nouæ hebdomadæ initium, circuncisionis parit efficaciam, per potentiam resurrectionis eius, per quam in baptismo resurgimus. Mors Christi primam hebdomadam finit, et resurrectio aliam inchoat, et est dies vnus baptismi, sicut est vespere et mane dies vnus: vt hodie moriens, hodie quis cum Christo resurgat, et hodie secum sit in paradiso. Prima sabbati diluculo resurrexit Christus, cælestem aliam nobis hebdomadam inchoans: quanquam nos ad medium huius hebdomadæ ad tres dies cum dimidio, tempus, tempora et dimidium temporis, a Deo nostro descuiumus, Dani. 9. et apoc. 11. Cælestem hebdomadam nobis Christi resurrectio inchoauit, vt reiecta primæ hebdomadæ immunditia, hodie, id est, in die resurrectionis, baptizatus quasi octauo die totus homo circuncidatur, et toties circuncisi oblatio munda Deo offeratur, cuius odor suauis cum Christo ascendat in cælum. Octaui igitur diei in eo sita vis est, quod dicitur nouæ hebdomadæ initium, sicut fuit in resurrectione Christi nouæ hebdomadæ initium, novos homines et noua tempora faciens.

Allegoriam vnã nunc audi, qua aperte docemur, nouum hominem in secunda circuncisione requiri. Celebrata est a Iosue secunda circuncisio capite quinto, vbi postquam ventum est in Galgala, Israëliticus populus secunda circuncisione circunciditur, vt opprobrium Aegypti, et peccati vetustas ibi auferatur per Iosue, qui gerit typum Christi, fit hæc circuncisio, in transitu Iordanis, id est, in baptismo. Solus hic est nouus populus, qui promissionem obtinet, in requiem domini introductus. Mysterium est plenum, ostendens, neminem posse in hæreditatem domini in

ni introire, nisi innouetur, et vetustate dimissa Iordanem transiens a Iesu Christo circumcidatur. Ratione mysterii, et translationis peccati ibi factæ, est loco nomen impositum Gilgal, seu Galgala, id est, translatio. Certus locus datur, et certum tempus, in quo et peccati Adæ, et aliorum peccatorum fit tibi remissio, vetustatis ablatio, et in cæleste regnum translatio. Certa iustitiæ imputatio, certum spiritus donum, et initiatio cælestis. Similis est fere Galilææ, sicut Galgalæ, significatio, et vterque ad Iordanem locus translationis. Adde quod Christi catechismus prius est discipulis in Galilæa factus, quam spiritu sancto baptizarentur. Atque ita nos cum apostolis prius oportet esse catechumenos, quam per Iordanem in cælestem ciuitatem transferamur.

Aliud in Iosue ibidem nota mysterium, vt intelligas, baptismo iungi cænam. Nam post Iordanis transitum sequitur mox nouus terræ promissæ cibus, sequitur ibi mox manducatio paschalis agni, qui die ipso, quo Iordanem transierunt, est eis ad cænandum paratus. Iuxta legem paruuli carnis circumcidebantur, et paruuli carnis cænabant, et simul vtræque licebant præcedente circumcissione, Exo. 12. Ergo et in nobis, quando efficimur paruuli spiritus, simul vtræque licebunt, præcedente baptismo: sicut in Iosue post Iordanis baptismum sequitur mox cibus nouus et cæna. In pædobaptismo vero est monstrum horrendum ingens. Nam hominem nouum in suo baptismo generant, cui nihil dant ad manducandum: Imo est res monstruosa, homo genitus, qui neque manducare queat, neque bibere. Eiusmodi enim nouus homo in baptismo nascitur, qui nouo cibo in cæna domini pascitur. Necessario enim indiget nouus homo nouo cibo. Magna est vis Christi donorum, per quæ ipse nos generat et nutrit. Ipse est nobis vice patris et matris. Ipse est nobis omnia, pater, mater, frater, sponsus, amicus,

amicus, dominus, magister, rex, Pontifex, et reliqua. Ipse in regno cælorum est omnia in omnibus, et omnia in nobis complet.

SECUNDA LIBRI PARS,

de Antichristi mysteriis, omnibus iam completis.

Postquam de mysteriorum Christi, et circuncisionis eius complemento, sermonem compleuimus, non abs re fuerit, de mysteriorum Antichristi complemento, et coronali illa rasi capitis circuncisione, hic quoque differere. Magna sunt enim et multiplicia mysteria bestię, et circuncisionis illius coronalis, per quam se reges, et sacerdotes sanctos Papistę dicunt, et Christos domini. Quemadmodum pręputii circuncisio facit Iudęos, et cordis circuncisio Christianos, ita et capitis circuncisio facit pseudoiudęos, Papisticos sacrificulos, et Antichristianos. Quemadmodum pietatis mysteria ostendimus ad Christum relata, et in eo esse completa: ita et nunc impietatis mysteria ad Antichristum relata, et in eo esse completa, ostendamus, vt reuelatum nunc omnes melius intelligant hominem peccati, filium perditionis. Nihil enim de Babylone, Sodoma, Aegypto, et aliis similibus locis, nihil de gigantibus, nihil de Antiocho, Ieroboam, Achab, et aliis improbis, nihil de pseudoprophetis et falsis sacerdotibus, lex vnquam adumbravit, quod verum non habeat in coronata illa bestia et sacrificulis eius complementum. Regnum et sacerdotium illa sibi instar Christi Antichristus recapitulat, et consecratorum habet turbam sibi ministrantem.

Primo, quod carnalis illius primę Babylonis mysteria
sint in

sint in secunda hac spirituali Babylone completa, factis ostendimus libro præcedenti, et in sequentibus non nihil adhuc addemus. Quod Sodomæ et Aegypti mysteria sint in ea spiritualiter completa, docet manifeste Ioannes, qui Romam ait esse spirituales Sodomam, et spirituales Aegyptum. Propter fornicationes est illa vocata meretrix, magna meretrix. Sodomitica meretrix, apoc. 11. et 17. Sodomiticum scelus esse Romanis peculiare, docet Paulus Rom. 1. quod et præsens seculum testatur, et Sibyllæ prædixerunt. Peculiare Romanis esse meretrices colere, multis docet Lactantius Lib. 1. cap. 20. Mysterium est Ioanni, Roma dicta meretrix prophetis קדשה Kedessa, sancta fornicatrix. Mysterium est, quod cum nomine sanctitatis misceatur ibi fornicatio: eo magis quia idolorum cultus fornicatio semper dicitur. Sacerdotes ipsi vocantur קדשים Kedessim, scorta mascula consecrata: quia ad scortandum a Papa consecrantur. Sunt vere, quales olim fuerunt, cinædi religiosi, capite circuncisi, sicut Babylonici sacerdotes caput olim radebant, Baruch. 6. Sodomiticum hoc scelus, tria sunt, quæ nostris religiosis, cælibem vitam agentibus, induxerunt, ut ait Ezechiel: fastus vitæ, opiparus victus, et abundantia otii, Ezech. 16.

Propter Aegyptiacas et idolorum et sacrificiorum abominationes est illa a Ioanne vocata Aegyptus, dicto capite apoc. 11. confirmat hoc idem Ioannes, qui liberationem ab Aegypto ad nos ait referri: et ob id nos denuo cantaturos canticum illud Moïsis, quod ipse cecinit, quando est populus ab Aegypto liberatus, Exo. 15. et apoc. 15. Idem ibi canticum eandem liberationem notat nunc, sicut tunc ab Aegyptiaca servitute: ob idque a Ioanne repetitur, ut de Babylonis repetitione diximus. Eodem tendit Esaïæ canticum post Antichristi destructionem, cap. 12. Aegyptiorum fluviio et mari minatur Esaïas ca. 11. et 19. ne Aegyptii piscatores suis retibus amplius

utran

vtantur. Percutiendum dixit fluium in septem suis
 riuis, septem ceremonialibus bestię sacramentis. Se-
 ptenario hoc numero gaudet bestia, vt septies in eam
 effundatur calix, irę indignationis omnipotentis Dei,
 teste Ioanne. Aegyptiacas has bestias, thesauris, et
 diuitiis onustas, videre licet Esa. 30. vt merito in
 tot exactionum, nobis ab eis factarum, compensatio-
 nem, eas simus nunc suis beneficiis spoliaturi, vt
 olim factum est, Exo. 11. et 12 Tenebrę sunt nunc
 horribiles et palpabiles, quales fuerunt in Aegypto,
 in vmbra huius veritatis, vt Pharaon paruulos in flu-
 men coniici, et necari pręcipiebat, ita bestia nos
 omnes in pędobaptismi flumen coniiciendo necat, illa
 quoque Aegyptiorum et magorum Pharaonis mysteria
 hic licet intueri. Vt verbum Dei, virga Aaron, est
 vere incarnatum: ita et magorum opera factum est
 simile in papatu, in spiritali Aegypto. Incarnatus
 est ibi Satanas, vt bestia, de maris abyssu ascendens
 fieret in terris Papa, sicut verbum Dei de cęlis de-
 scendens, factum est in terris homo, hic Christus, ille
 Antichristus. De abyssu ascendisse bestiam, ex Ioanne
 euidenter ostendimus, quasi spiritus draconis, de abyssu
 ascendens, Papisticum corpus indueret, ad faciendum
 signa et prodigia. Vt aquę fluminis sunt olim in
 sanguinem versę, ita et Papistica potestate idem in
 apocalypsi factum est. Nam aquę baptismi sunt ver-
 sę in martyrum sanguinem. A tempore Papatus, non
 vero aquę baptismo, sed sanguine baptizati sunt, qui
 vere baptizati sunt. Nuno potuit veri fluminis aquam
 bibere, sed foderunt sibi Aegyptii putres cisternas, et
 traditionum lacunas. De ranis, quas ex pędobaptis-
 mi flumine, cum fide quadam satyrica trium ranarum,
 tribus qualitatibus infusis, educunt Papistici et magi,
 dicemus paulo post. Reliqua insuper, quę magi Pha-
 raonis facere nequuerunt, (vt bestias noxias nobis
 immittere, fornacis fauillam, lucem, grandinem, fulgu-
 ra, lo

ra, locustas, et tenebras) a Babylonica bestia admirando præsigtio esse in Christianismo facta, ex Ioannis apocalypsi abunde doceberis: ut nec iota vnum, nec apex vnus sit derelictus, quin sint omnia facta, sicut et legis maledictiones omnes sunt in nos mystice latae.

Gigantum quoque mysteria huc referuntur, ut docet Christus in euangelio, et in secundo de trinitate ego iam exposui. Sicut Romæ Sodomitice viuitur, ita et gigantes ibi faciunt vxores esse communes. Filii Deorum, diis consecrati, coeunt ibi cum filiis hominum. Sicut, inquit, factum est in diebus Noë et Loth, de gigantibus et Sodomitis, ita fiet in diebus filii hominis, Matth. 24. et Lucæ. 17. Mali angeli sunt nobis de abyssu fuscitati, ut in expositione locustarum de abyssu ascendentium, ex Ioanne declarabimus. Babylonica potestate denuo fuscitando gigantes prædixit Esaias cap. 14. Nam in abyssum illi fuerunt diluuium præcipitati: et de abyssu nunc ascendens bestia gigantum manes genios inde secum eduxit, cum claues habeat putei abyssi, ut a purgatorio illo tartarorum cruciatu manes educat. Res ipsa quoque docet, repletam nunc esse terram ea ipsa gigantea chamas, qua fuit tunc totus orbis repletus, Genes. 6. Nam **חָמָס** chamas ibi dicitur rapacitas, oppressio, iniqua exactio, nostris seculis omnia peculiaria. Nunquam apud Aegyptios et Babylonios est populus Dei, tot passus exactores. Si beneficiales hodie mercaturas, et forenses in eis negociationes, resignationes, ac deuolutiones quis bene cogitet nunquam a creatione mundi tot et tanta inueniet fuisse latrocinia, cum coloratis titulis. Meretricio iure, certis rapinis, et celeritate cursus, omnia nunc deuoluuntur. Quid cum apostolis vicariatus isti? regressus, insinuationes, annatae, paruæ datae, reseruaciones? Ad solam pompam et opulentiam spectat hodie totus Papismus. Lege iam citatum caput Ezechielis 16. et intelliges ibi

ges ibi describi meretricem hanc, quæ postquam Christi baptismo fuit lota, et in magna gloria constituta, fecit sibi excelsa prostibula, in cunctis plateis, preciosas vestes multicolores, et imagines varias. Filios suos paruulos cœpit falsis diis tradere, et dominicum panem coram idolis offerre. Fornicata est cum Sodomitis, Aegyptiis, Chananæis, Chaldæis, Palæstinis, et aliis. Hæc sola contra aliarum meretricum morem fornicatur, vt ait ibi Ezechiel. Nam aliæ meretrices accipiunt munera: hæc vero suis amatoribus dat ecclesiastica beneficia. Quæ nunc a suis met amatoribus, vt adultera iudicabitur, sicut olim synagoga.

Summa summarum. Omnia, quæ lex vnquam adumbravit, iniquitatis mysteria, huc spiritualiter tendunt, hic omnia implentur, et fuerunt vmbra huius veritatis. Quia a seculis non est audita, nec visa, talis et tanta abominatio, quæ tot monstra peperit, quæ tantum Christi regnum desolare potuerit, tantam Christi lucem obscurare, et Deum ipsum in tres Chimeras conuertere. Hæc denuo potuit totum Christi populum in Iudaismum retrudere, et Christum fugare. Hæc in Aegypti et Babylonis captiuitatem nos denuo reduxit, et omnia ab origine mundi nobis mala suscitauit. Specta, qualis apud bestiam sit Romæ viuendi ritus. Ibi purpura et bysso Babylonice vestitur. Ibi Sodomitice viuitur. Ibi Tyri et Sidonis negociaciones. Ibi Aegyptiorum abominationes. Ibi Chananæorum illæ dolosæ mercaturæ, quibus in seruitutem homines ipsos subigunt Romani, negotiatores animarum hominum. Ibi Aedomæi, id est purpurati, fratres suos in captiuitate coartant, adeo, vt ob effusum sanguinem rubescat Aedom. Ibi Philistinorum satrapæ populum Dei dilacerantes, et arcam Dei furripientes. Ibi Moabitico ritu pro mortuis offeruntur sacrificia, quod est lege vetitum. Denique ibi est Chri-

Christus iterum crucifixus, apoca. 11. Ideo Tyro, Sidoni, Sodomæ et Gomorræ tolerabilius erit in die iudicii, quam ciuitati illi magnæ.

Quod in bestia fit completa Antiochi prophetia, abominabilis desolatio, et contaminatio, est res apud Danielelem manifesta: cui et Christus attestatur, dicens abominationem illam denuo futuram, et temporibus certis a Ioanne repetitis. Vnde constat, priorem illum Antiochum fuisse vmbra huius veritatis, sicut et reliqua omnia priora gesta res post Christum gestas adumbrarunt. Hic est ille Antiochus, rex seuerus et ferox, יזאז, qui idola מַאֲזִימַא mauzim, id est, ferocia, nos tanta seueritate et ferocitate cogit adorare, vt renuentes trucidet. Hic est ille Antiochus, qui Deum patrum suorum non intelliget, sed intelliget sophismata. Qui loquetur verba, ex parte Dei, quasi sit Dei vicarius, et in Deum ipsum loquetur mirabilia. Qui Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet in auro, argento, et aliis idolis. Qui veritatem prosterne, et sanctos conteret, qui mutabit tempora et leges. Qui terram diuidet in prouincias, et ecclesiastica beneficia, eam distribuens mercede בִּמְחִיר bimchir. Qui nec Deos, nec mulierum connubia curauit, sed gloriam et magnificentiam. Qui fortis erit viribus sibi aliunde a Romano imperio mutatis: cui potestas Romana concessa erit, ad inuadendum regnum populi Dei. Qui tempore, quo quies sperabatur, interficiet plurimos. Qui ducem ipsum foederis Iesum Christum conculcabit. Qui sacrum palatium in summo fastigio collocauit. Qui tandem, nemine ipsum iuuante, sine manibus conteretur, post tempus et tempora, et dimidium temporis, annos mille ducentos sexaginta. Quia eum nunc dominus conficiet spiritu oris sui, et claritate aduentus

fui, ipso cælorum regno sanctis Dei restituto. Huic simile de rege Assyriorum dicitur Esa. 31. Cadet Assyrius in gladio, non viri, et gladius non hominis deuorabit eum. Hoc est Christi bellum, vt tantum bestię regnum, quod tot monarchas contriuit, conteratur nunc sola Gedeonis tuba, et lucerna, id est, solo verbo Dei, et lustratione spiritus eius. Duobus his gladiis conterendi sunt duo bestię gladii. Hunc Antiochum, caput nequicię, nos pręmisimus, velut ipsissimam nostri Antichristi imaginem. Alii deinceps impietate memorabiles suis imaginibus sequuntur.

Hic ipse Antichristus, bestia cum decem cornibus, est ille Ieroboam, qui decem tribus abduxit, idololatrarum pater in Israēl: qui Daudis Christi regnum proscindens, et excelsa varia ædificans, idololatriam vsque ad captiuitatem Babylonicam nos perducentem inuexit. Ille fuit olim vmbra huius veritatis. Nam multo est ille isto deterior. Ille regnum carnis tantum euertit, hic regnum spiritus, et tanti regis cæleste regnum. Verisimilius potuit ille in Bethel, loco Dei nomine nominato, et in monte Samarię, in quo Patriarchę adorauerant, et in aliis similibus locis, qui instar terrenę illius Ierusalem sacri videbantur, sacra sua constituere, quam Bestia hæc, in Babylonis illo Exquilino monte, fede satanę, et Dianę luco: cum pręsertim non sint nobis corporalia, sed spiritualia sacra. Verisimilitudinem hanc comprobatur argumentum Samaritanę mulieris, Ioan. 4. Verisimilius potuit Ieroboam auctoritatem ad hæc facienda vsurpare, cum esset Dei voce et mandato, vnctus et consecratus. Bestia vero solam habet satanę consecrationem et potestatem, ad sacerdotii et regni Christi destructionem. Verisimilius ille potuit in monte hoc aut illo adorare, quam nos, quibus non licet dicere, ecce hic, aut ecce illic. Probabilius ibi dicebatur domus Dei, et sanctuarium regni,

gni, Amos. 7. Verisimilius potuit Ieroboam ex primogenitura Ioseph, et benedictione praelati Ephraim, fumere argumentum principatus sui, cum esset de ea familia. Bestia vero est de familia diaboli, et proge-
nie draconis, ineptissimis rationibus sibi principatum
vsurpans. Cum esset tunc externa adoratio, et in Ae-
gypto ille didicisset, Apin sub specie bouis apparuisse,
in cherubim esse vitulum, et vitulo oblatum De-
um delectari: hinc in imagine vituli finxit diuinum
numen, certis locis adorandum. At bestia hæc baby-
lonica, nisi esset bestia, omnis sensus et rationis ex-
pers, scire debuit, Deum in solo Christo esse spiritu
adorandum: idque nec in monte Samariæ, nec in
monte Exquilino, nec Ierosolymis, nec Romæ, Ioan.
4. In viuo corporis Iesu Christi templo est Deus spi-
ritu adorandus, non in Babylonicis illis ædibus, mor-
tuorum cadaueribus, aut aliis picturis. Non est tan-
tum flagitium, in vitulo aureo, aut æneo serpente,
Deum colere, quantum est, in statua quauis adorare
creatum numen, et dissolutos illos mortuorum manes.
Deterius est cum Iezabel fornicari in Baal, id quod
fecit Babylonica meretrix, quam cum Ieroboam colere
aureos vitulos. 4. reg. 10. Si illis nec in æneo ser-
pente, qui erat verus Iesu Christi typus, nec in aureo
immolationis Christi vitulo, licuit Deum colere, quan-
to minus in imagine bestię id licebit? Si eis non li-
cuit altaria erigere, nec in memoriam immolationis
Isaac, nec instar altarium, quæ in Beerseba, Bethel et
Galgala, patres erexerant, vt ait Amos, multo minus
debent talia bestię licere. Rationes suæ traditionis
probabiliores illi habebant, si quis eorum loco-
rum antiquam venerationem perpendat. Deum
ipsum illi omnes se ibi colere dicebant, sicut pa-
pistæ dulias quasdam et hyperdulias adorationes
excogitarunt, quod iam olim fuit antiquum commen-
tum. 4. reg. 17. Quoquo tamen modo in illis
nunquam licuit: ergo multo minus debet id in
F. 3. spiri-

spirituali regno licere. Si inuito fatana, Moſis cadauer ſepeliuit et abſcondidit angelus, ne a quoquam adoraretur, multo fortius eſt nobis fugienda cadauerum, aut imaginum adoratio, cum ſolo ſpiritu ſit nobis adorandum. Quod aiunt Papiſtæ, ſimulacro nos prouocari ad zelum, ſeu vitæ talis æmulationem, improbat Ezechiel, ca. 8. Nec in monumentum, nec ad ruſticorum eruditionem licet idolum habere, Iere. 10. eruditio enim et doctrina vanitatis eſt, quam ab idolo illi cauſantur, vt docet ibi Ieremias. Doctrinam mendacii in ſtatuſ eſſe, et in imaginibus pictis, ait Habacuc. cap. 2. Nulla penitus eſt conuenientia templo Dei ſpirituali, et idolis illis corporalibus 2. Cor. 6. tunc expiabitur iniquitas noſtra, quando ponemus idola, vt lapides calcis contritos, ita vt nunquam amplius exſtent ſtatuae, aut imagines Eſa. 27.

Aliam adhuc in Ieroboam nota ſimilitudinem, quæ ponitur, 3. reg. 13. Nam quicumque erat extremus in populo, ineptus, mancus, et mutilus, fiebat ab ipſo Ieroboam ſacerdos, modo manum oblato munere impletet. Qui mos eſt nobis hodie perpetuus, vt in quacunque familia filium, quem viderint parentes ineptum, ſacerdotio papiſtico conſecrari iubeant, et oppleta manu pecuniis ei pingua ſacerdotia a Papa impetrent. Nos Papæ ipſi manus implemus, vt ipſe noſtras impleat, et mercenario illo ſacerdotio conſecret. Vnde vocat iſtos Chriſtus mercenarios, non paſtores Ioan. 10. Eorum ſacerdotium ſicut Antiochi et Ieroboam, in mercede conſiſtit, ſicut iam olim conſiſtebat, Iudicum 17. et 18. quæ fuit ibi cauſa perditionis populi.

Præterea, ſicut pro menſe ſeptimo ſtatuit Ieroboam ſolemnitatem menſis octauæ, et reliqua ſacra immutauit, ne Iudaizare videretur: ita beſtia nobis Iudaica feſta tranſpoſuit, et ſuos ritus immutauit. Sequi

tur ex

tur ex his, quod quemadmodum brachium Ieroboam exaruit. 3. reg. 13. ita et nunc brachium ipsius bestiae ficcabitur, ablata eius potestate, Zacha. 11. Sicut apud Ieroboam pseudopropheticus ille oculus obtenebratus est, ita oculus bestiae, et omnium eius sacerdotum, ac pseudoprophetarum, obtenebratus est, ut veritatem intelligere nunquam potuerint, teste ibidem Zacharia, et teste Michæa capite 3. Sed alia exempla sequamur.

Hic ipse sanctissimus Papa Babylonicus est ille, qui Dei populum pessundedit, Babylonicus Nabuchodonozor, qui ciuitatem sanctam destruxit, qui imagines aureas et sublimes nos adorare cogit, qui legatos mittit ad reges terræ, ut sibi subditi fiant, alioqui eos anathematizaturus, qui miris blasphemias Dei potestatem sibi tribuit, contra populum sanctum: bos, bestia, qui fœnum comedit et comedet, donec restituatur illi mens, et intelligat, Christum esse solum pontificem. Hic est Pharao induratus, qui magos et sapientes contra populum, quem liberare vult Christus, sedulo congregat, ut ita possit nos in Aegyptiaca seruitute detinere. Hic est ille Absalon, qui furto furripuit corda virorum Israël, eis per hypocrisim imponendo: qui pseudoprophetico Achitophelis consilio Davidis Christi regnum usurpauit: qui triumphales currus, mulas equitantes equites, et purpuratos viros sibi cardinales elegit: nepharius in patrem suum scortator, qui lachrymantem Christum a suo regno fugauit. Hic imitatus est omnium iniquitates. In malefactis imitatus est ipsum Salomonem. Nam sicut ille suis concubinis peculiares fecit diuos, 3. reg. 11. ita hic suis scortis, Iacobinis, Celestinis, Benedictinis, et aliis, peculiares diuos adorandos canonizat. Imitatus est etiam in malefactis ipsum Aaron. Nam quasi Aaron, ex dato a nobis auro, aurea simulachra nobis facit,

coram eis altaria ædificans: oblationes et holocausta, et alias dierum solennitates instituens: vt diebus festis statutum nobis sit, sicut olim factum est, mane primum ad idololatriam conuenire, et coram Papistis *Festa Papistica.* idolis sacrificare, deinde opipare comedere, et bibere, et post prandium ad ludendum surgere. Exo. 32. Obserua, lector, aduerte quæso, pulchrum ibi nostrarum festiuitatum ordinem, a spiritu sancto iam olim descriptum, vt intelligas, hanc esse potissimam causam confractionis tabularum testamenti Christi. Imo in honorem Dei hæc festa se colere, nostri dicunt, sicut illi solennitatem domini illam vocabant. Hos Deos nos cum illis putamus, de Aegypto nos educere, et remissionem peccatorum nobis impetrare.

Hic præterea est ille Achan, qui tulit de anathemate gentium, et Babylonico furto totam Dei ecclesiam profanauit, miscens sacra profanis: Babylonicis vestimentis, et gentium thesauris locupletari cupiens. Hic cum Simone mago, et magis Aegyptiis, veritati Christi et Mosis simul reluctatur. Hic est vere Simoniacus, qui instar Simonis et Giezi, dona Dei pecuniis commutat. Hic est Balaam, qui vt maledicat populo Dei, copiosam pecuniæ mercedem accipit: cuius consilio missum est scortationis scandalum in Israël, concubinas offerendo pro legitimis vxoribus: cuius consilio ad idolorum sacrificia declinauimus. Hic est Achitophel, consiliarius falsus, cuius tamen consilium reputatur diuinum. Hic est Iudas Ischariotes, Christi pro argento venditor. Iudas pro nummis argenteis, hic pro aureis Christum vendit. Hic est pontifex Caiaphas Christi abolitionem semper procurans, ne regnum ipsius Romani tollant. Hic est Cain, Christi homicida. Hic est Nemrod, Babylonicæ turris erectior. Hic est denique quicquid malorum cogitare potes. Hæc meretrix est illa Iezabel, quæ homines docuit fornicari in Baal. Hæc est illa Athalia impia, quæ stirpem re

pem regiam domus Iuda, et verum Christi semen interfecit. Hæc est illa Ahola et Aholiba, fornicatrix, et idololatra. Sed ad reges reuertor, vt impius Achab narrationi coronidem imponat.

Hic ipse rex Abaddon est ille Achab, cuius seculo reædificata est Iericho, cuius seculo sunt serui Dei occisi et profligati, cuius seculo clausum est cælum ad tres annos, cum dimidio, donec missus Elias, omnes sacerdotes Baal, paucis exceptis, qui interfecti sunt, aut delituerunt. Hic est ille Achab, cuius ministri malo sunt draconis spiritu imbuti, in quibus ei adulantibus pseudopropheticus ille spiritus mendacii potenter agit, eos in secundam bestiam transformans. Illi olim pseudoprophetæ suo principi tribuebant duo ferrea cornua, duos ferreos gladios, ad ventilandum Ramoth, vt hic ventilat excelsas Romanorum arces. Per quem iterum in Roma, sed in excelsa Roma, auditur vlulatus et fletus Rachel, id est, ecclesiæ plorantis filios suos, qui non sunt.

Ne mireris, lector, quod spiritualiter in bestia hæc omnia cumulentur, et spiritualiter hue reферatur ploratus Rachel, quasi tertio repetitus. Repetita vidisti Babylonis, Aegypti, Gigantum, et aliorum mysteria. Omnes mundi generationes, et omnia mundi acta post Christi regenerationem inueniuntur, sicut post primam generationem. Triplex est differentia mysteriorum Christi, ante incarnationem in vmbra, per incarnationem in corporis infirmitate, post resurrectionem in gloria et potentia. In huius triplicis dispensationis analogia consistunt omnia mundi mysteria. Alius apud Ieremiam in captiuitate priore fuit iuxta literam ploratus Rachel in vmbra. Idque iuxta historiam ideo dictum est, quia erat sepulchrum Rachel in Bethleem, qua via filii ipsius captiui ducebantur: et ibi transeundo

est facta magna commotio, et ploratus multus. Alius apud Matthæum fuit ibidem in Bethleem ploratus maternus, in corporis puerorum imbecillitate, quando ab Herodis satellitibus pueri coram matribus interficiebantur. Tertius est nunc in spiritu ploratus, filiorum Dei, ploratus orbatae ecclesiae, quæ filios suos, qui non sunt, iugiter plorat, idque in excelsis: ploratus angelorum in cælo ipso, propter magnam bestiae et draconis potentiam. Imo ploratus ille, quem fecit Herodes, umbra quodammodo fuit huius, quem fecit bestia: sicut et reliqua omnia, quæ Christo in terris agente gesta sunt, umbram quandam, seu ænigma continebant, ut apparet in baptismo, et cæna, ante et postea ministratis. Omnia enim sunt postea sublimius et nouo modo ministrata, ut in ipsis cænæ sermonibus nos docuit Christus, dicens, se nouum poculum postea nobis propinaturum, et mysterium esse postea complendum in regno Dei. Derisio quoque corporaliter facta ipsi Christo purpura induto, aliam maiorem ei a purpurata meretrice factam irrisionem designat, ut etiam in ipsis Christi misteriis fuerint prænotata Antichristi mysteria: id quod Antichristi exigit ratio, ut sit similitudinum contrarietas in eorum misteriis. Quam rem ut melius assequaris, statue tibi ob oculos crucifigendum Christum, purpureo vestimento a Romanis indutum, spineam coronam eius capiti superaditam, et eius manui arundinem, qua percutiatur, hominibus coram eo genua flectentibus Matth. 27. Vide iam successorem, seu vicarium eius Papam, cuius regnum est de hoc mundo, alios crucifigentem, indutum etiam purpura, quæ interfectorum sanguine tingitur, sicut Christi vestimentum erat sanguine tinctum, Esa. 14. et 63. apoc. 17. 18. et 19. Pro spinea corona gestat hic mitram gemmis refertam. Pro arundine habet pedum, seu baculum pastorem, quo nos constringit, et
coram

coram se genua flectere facit. Est ne vera hæc imitatio vitæ Christi? Potest esse alia maior Christi derisio? Potest Christo maior alapa impingi, quam eius vice Antichristum salutando?

Eandem mysteriorum legis et Christi spiritualem tertio factam repetitionem ex Eliæ tertio aduentu licet comprobare. Nam repetitus est post Ioannem baptistam Elias, et denuo ante finalem resurrectionem venturus dicitur, vt restituat omnia, Mala. 4. Matth. 17. et apoc. 11. Conuertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres: simile reddet cor nostrum cordi, et menti apostolorum, et recordari nos faciet illius primæ ecclesiæ. Adde quod Christi mors ter est in scripturis repetita, et Christus ter est occisus, in vmbra, corpore, et spiritu. In vmbra est in Abel et aliis Christus occisus ab origine mundi, apoc. 13. In corpore est occisus a Iudæis, Matth. 27. In spiritus mysterio est occisus a Papistis, apoc. 11. Ter est Christus solus quodammodo relictus. Primo in vmbra, vt ait Elias, relictus sum solus. 3. reg. 19. Secundo in corpore, vt ipse ait, me solum relinquetis, Ioan. 16. Tertio est nunc spiritu derelictus solus Christus, ecclesia in solitudinem fugiente, apoc. 12. Ter aduersus Christum astiterunt reges et principes terræ. Primo in vmbra, vt cum Absalom, psal. 2. Secundo cum Caiapha corporaliter acto. 4. Tertio cum Papa spiritualiter, apo. 17. Ter est facta domus Dei spelunca latronum et domus negociacionis, Iere. 7. Matth. 21. et apoc. 18. Triplex est ab Aegypto filii Dei vocatio. Primo ab Aegypto vocatus est Israëliticus populus in vmbra, Hos. 11. Secundo ab Aegypto vocatus est corpore Christus. Mat. 2. Tertio nos nunc ab Aegypto spiritu vocamur, apoc. 11. et 15. Triplex est vox clamantis in deserto. Nam secundum historiam ad Cyri regis imperium fuit præconis vox per omnes deserti vias, vt pateret iter Israëlitis a Babylone redeuntibus. Secunda fuit vox Ioannis baptistæ clamantis in deserto.

Tertia

Tertia erit nunc vox liberatorum ab horribili et vasta hac Babylonis et Antichristi captiuitate, vt nulla deserti vastitas impedire possit, quo minus viæ nostræ dirigantur, et Papistici illi montes, ac Babylonici colles humiliantur. Sodomiticum etiam scelus, gygantum et aliorum mysteria, ante Iudaismum in Iudaismo, et in Christianismo licet intueri: sicut tria sunt genera hominum, Gentes, Iudæi et Christiani, quorum nulli suis mysteriis sunt destituti. Tria enim farinæ fata fermentauit regnum cælorum. Alia exempla hic omitto referre, de spiritu sancto aliquid addens, de spiritus sancti noua tertia missione, et nouo Christi aduentu.

Triples est spiritus sancti missio, instar triplicis illius missionis columbæ ex arca Noë. Primo in prima mundi genesi, missus est spiritus Dei, qui ibi super aquas, nondum siccatas, instar columbæ volitans, et non habens vbi integre requiesceret, reuersus est, seu in cælo se continuit, sicut columba in arca. In nullo patriarcharum aut prophetarum requieuit spiritus Christi, Esa. 11. at in nobis per eum requiescit, et permanet Ioan. 14. Nemo ante aduentum Christi fuit donatus vero regenerationis spiritu sancto, Ioan. 7. Secundo mittitur columba post septem dies in noua Christi hebdomada, seu post hebdomadam hebdomadarum in die pentecostes, quæ etiam non dici permansit. Sed de monte oliuarum ramum oliuæ, quasi primitias quoddam primæ frugis colligens, et solis apostolis ac paucis aliis primitias spiritus impartiens, in cælum secundo reuertitur, sicut columba in arcam cum ramo oliuæ. Tertio nunc repetito post Christum nouæ hebdomadæ mysterio, denuo mittitur columba, et spiritus paracletus, qui nobiscum perpetuo manebit, et nos docebit omnia. Prima fuit missio spiritus in vmbra. Secunda fuit corporalis missio, quando corporaliter visi sunt aperiri cæli et corporali specie

li specie descendere spiritus sanctus. Tertia erit nunc spiritualis et interna missio admodum necessaria. Necessarium est Christum denuo regnum assumere, ut ipse ait. Necessaria est per Paracletum noua consolatio, post nouam desolationem. Post Antichristi glorificationem necessaria est noua Christi glorificatio. Repetendum esse Christi aduentum, et regni spiritua-lem fore reassumptionem, docet ipsemet in parabola regni, Lucæ. 19. Nam impii hactenus noluerunt eum super ipsos regnare in terris, Papam regem petendo. Simile fecerunt olim filii Israël, 1. Sam. 8. Ob quam rem dicuntur Papistæ Christum a regno expulisse, sicut Israëlita Deum. Christus tamen denuo regnum assumit, impios illos perdens. Venturus ita dicitur Christus, et non inuenturus fidem in terra, Lucæ 18. Tria tempora rogarunt apostoli a Christo, tempus destructionis templi, tempus aduentus sui, et tempus consummationis seculi, Matth. 24. Vbi aduentus iste notatur, ante consummationem seculi: id quod apertissime docet Paulus, 2. Thess. 2. et Ioannes in apocalypsi: ubi ait Christus, se cito in Antichristum venturum. Vere docet Esaias capite vndecimo, futurum, ut destructo Antichristo dominus secundo manum adiiciat populo suo, eum ex omnibus orbis prouinciis sibi denuo colligens. Ibi propheta secundi mystici aduentus meminit, sicut cap. 56. et 66. et Zacharias cap. 14. Eiusdem meminit ipse Christus Ioan. 14. et 16. Hic est ille aduentus, de quo dixit, Veniam ad vos, ne videamini orphani derelicti. Venturum denuo, ait Christus, regnum Dei, et tempus nostræ redemptionis, Lucæ. 21. Futurum ait Paulus, ut cum aduenerit plenitudo gentium, Israël totus ad Christum conuertatur, Rom. 11. Ita in aduentu Eliæ futurum, ibi omnes intelligunt. Si Christus est a Papistis spiritualiter occisus, ut ait Ioannes, sequitur inde futura spiritualis resurrectio. Spiritus Mo-
sis et Eliæ, spiritus legis et spiritus prophetiæ nunc
resur-

resurget, qui per tres dies cum dimidio fuit extinctus, apoca. 11. Corpora Moſis et Eliæ, literam ipſam, cadauer legis et Prophetarum habent Papiſtæ, non verum ſpiritum, nec verum intellectum, teſte ibi Ioanne.

Vidimus iam inſigniora iniquitatis myſteria, in impiis hominibus designata: nunc abominationes alias, et Deos beſtiæ videamus, vt omnibus appareat, quam admirabilis ſit beſtia hæc, quæ Daniele et Ioannem vertebat in ſtuporem. Mirabilis eſt beſtia, quæ omnes illas regum et ſacerdotum abominationes duplici illo gladio in ſe recapitulet, et ſuos habeat, quales olim fuerunt, adulatores, et pſeudoprophetas. Vt Chriſtus rex et ſacerdos, ſuos habet miniſtros: ita vicarius eius, rex et ſacerdos, ſuos habet ſacrificulos. Vt de Chriſto dictum eſt, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: ita Papa ob hanc cauſam ab aliis portari ſe facit. Terram pedibus ille tangere non audet, ne eius ſanctitas polluatur. Super humeros hominum portari, et vt Deum in terris adorari ſe facit: quod nemo vnquam impius a condito mundo ita tentare auſus eſt. Hiſce oculis nos vidimus, eum ſuper principum ceruices cum pompa geſtari, cruces ſua manu minando, et in mediis plateis a cuncto populo genibus flexis adorari. Vſque adeo, vt qui pedes ſeu calceos ipſius oſculari poſſent, ſe ſupra alios exiſtimarent felices: indulgentias plurimas eſſe lucratos dicerent, et inferni pœnas ad multos annos ob id eſſe remiſſas. O beſtiam beſtiarum ſcelera- tiſſimam, meretricum impudentiſſimam. Pulchre meretricem hanc ſacram deſcribit Eſaias, cap. 47. Super montem excelſum et eleuatum, o meretrix, poſuiſti ſtratum tuum, et ſuper illud aſcendiſti ad offerendum ſacrificium. In conclauiſus poſuiſti ſtratum tuum. Cantasti regibus cum Chriſmate, multiplicasti pigmenta tua, miſiſti legatos tuos procul, vsque ad infernum homines humiliari faciens. Quemadmodum ſpi- ritus

ritus sancti inunctione nos Christus ad regnum cælorum in baptismo vngit, ita bestia Babylonico chrismate nobis characterem imprimit, et vnguentariam quandam qualitatem, fronti impressam, ad negociandum in ecclesia satanæ, simul et scortandum. Christus vñctione sua facit homines קדושים Kedossim, sanctos: Papa fecit קדשים Kedessim, scorta sacra. Pulchra metamorphosi vertitur ibi consecratio spiritus vera in Babylonicam execrationem et vñctionem illam Papisticam, ad scortandum factam. Quemadmodum item קדוש Kados, sanctus ille sanctorum rex et pontifex Christus, filius Dei, sedet in throno Dei patris sui: ita קדש Kades, consecratus ille cinædus, filius perditionis, pontifex et rex Babylonicus, sedet in templo Dei, ostentans, se ipsum esse Deum. Papa est Deus, in Papatu est trinitas, draconis bestiae et pseudoprophetae. Trinitatem Papisticam faciunt tres realiter distincti spiritus, qui Ioanni dicuntur tres immundi spiritus ranarum, multis rationibus. Quia sunt de abyssi aquis immundis, sicut ranæ: amphibia animalia, sicut ranæ: quia ranarum glocitatione tres illi trinitatem concise balbucinant: quia eorum trium immunda virtute cum tribus qualitatibus infusis ranas Papa baptizat in immunditia. Aqua est ranarum immunda, et lingua earum est impedita. Vnde vitium linguae βατράχος rana dicitur. Rana est, qui lingua sonans nequit fidem suam exprimere. Ranas ita baptizant Papistæ, falsa trinitatis fide. Ranarum instar paruulos ibi videas calcitrantes, et ranarum clangore clamantes in pædobaptismo. Sicut cælesti reformatione Christus mundum reformat novos homines generans; ita Papa monachali reformatione mundo abutitur, novas generans bestias cum novis cucullis. Sicut olim erant factiones dicentium, Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo: ita nunc sunt factiones dicentium,

tium, Ego sum Francisci, ego Dominici, ego Augustini. Sicut legis sacerdotes, et Nazaræi, nec caput radunt, nec barbam, nec mortuorum exequiis interfunt, Leuit. 21. et Nu. 6. ita Babylonici sacerdotes habent caput rasum, et barbam rasam, et mortuorum cadauera in funeralibus deuorant, Baruch. 6. Romani sacrificuli comedunt sacrificia mortuorum, vt olim Moabitæ, psal. 105. Immolant super hostiæ albedinem, obseruant sepulchra, super singula exequias celebrando, et aquam falsam aspergendo. Esa. 65. Sicut olim Pythones musitationibus, et cantationibus quibusdam, mortuorum animas ab inferno excitabant, ita isti nunc submurmurationibus, adiurationibus, et aquæ falsæ asperfusionibus, mortuorum manes excitant. Totum illis negotium est cum mortuis, licet vetitum sit, pro mortuo quicquam offerre, aut pro mortuo sollicitum esse. Pythonis plane, id est, serpentis, est hoc opus, et infernalis potestas. Sicut responsa olim dabantur a vestitis diuorum statuis, Massecha et Teraaphim, et ab earum vestitis lino sacerdotibus: ita et nunc passim dantur, transformato satana in angelum lucis. Per idola, ad impiorum vindictam, permittebat Deus dari responsa, Ezech. 14. et spiritum dari imagini bestię, apoc. 13. Certo id quoque vestitu et capillatura fiebat, vt nunc fit; cum tamen nulla sit Christianis vestimenti aut capilli religio. Per Christum nec rasura quicquam valet, nec capillus, nec cuculla, nec circuncisio, nec præputium, sed noua creatura, Gal. 6. Sicut olim iurabant homines per numina Dan, per sacramenta Samariæ et per peregrinationem, quæ est ad Beerseba, Amos. 8. ita apud nos hodie eiusmodi numina, locorum iuramenta, et peregrinationes passim videas. Sicut impii Israëlitæ olim adorabant ad ortum solis, Ezech. 8. ita in Romanis templis homines nunc ad ortum solis adorantes, vbique vides. Nam templorum fornices ita semper construi volunt Papistæ, vt magnum altare fit

zare sit in occidentali templi latere. Vnde eos ait Ezechiel, Deo terga vertisse et templo eius. Salomonis enim templum ad occidentem spectabat, sicut tabernaculum Moſis : quia in occidentali parte erat ſanctum ſanctorum. Ideo dicuntur Iudæi ad occidentem adorare. Babylonii vero Papiſtæ, ne Iudaizare viderentur, ad orientem adorare maluerunt, ſicut Mahometani ad meridiem. Chriſtiani vero neutro modo, ſed in ſpiritu. Cauſam adorationis Iudæorum ad occidentem, refert Moſes Aegyptius, lib. I. cæ. 46. quia idololatræ ad orientem ſolebant adorare, credentes ſolem eſſe Deum. Aegyptii item ad orientem adorabunt, vt docet Trismegiſtus in Aſclepio. Quæ omnia lege voluit Deus immutare. Papa vero nos a Iudæis, ad Aegyptios, et ad priores gentium abominationes reducit, vt ad orientem adoremus. In Romanis quoque eccleſiis plorant mulieres mortuum Adonidem, anniuersaria celebrando, vt fiebat olim in menſe Tammuz, teſte ibidem Ezechiele. Nemo enim in Papiſtica eccleſia moritur, qui ſuum non habeat anniuersarium, encenniorum inſtar. Ibi ſunt ſeptuaginta illi preſbyteri, vrbiſ Romanæ parochi, cum thuribulis adolentes incenſum ante picturas, dicto cap. 8. Septuaginta in vrbe ipſa Roma fecit Papa parochos, preſbyteros cardinales, inſtar ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum, vt ſimilia habeat Antichriſtus Chriſto myſteria. Stupenda hæc tibi, lector, videbuntur, ſicut Babylonis excidium homines in ſtuporem adducet, apoc. 18. Mirabile hoc opus operatus eſt Deus in diebus noſtris, quod nemo hætenus credidit, quod poſſederint Chaldæi tabernula non ſua, Habacuc. 1. Quod impietatis hæc omnia myſteria fuerint ita in beſtia complenda, docet aperte Ioannes apoc. 10. dicens eſſe conſummandum beſtiæ myſterium, ſicut euangelizauit Deus per ſeruos ſuos prophetas. Vbi autem hos prophetas inuenias, et vbi alia myſteria? Vnico item verbo

hæc omnia docet Ioannes capite sequenti dicens, Christum in ciuitate illa magna iterum crucifixum. Ergo repetita ibi spiritualiter Christi morte, necesse est, omnia homicidarum mysteria esse ibi spiritualiter repetita. Necesse est, Antichristum similia habere Christo mysteria. Eo magis, quia dicitur ibi Sodoma Aegyptus et Babylon. Si omnes mundi generationes persequaris, omnia de iniquis prophetice scripta, in bestia inuenies esse completa. Si omnes legis maledictiones perpendas, eas omnes in nos mystice latas videbis. Si omnes gentium Deos fueris scrutatus, eos omnes Romæ comperies. Quidquid vnquam ante Christi aduentum in mysterio scriptum fuit, vmbra fuit: ergo alicubi esse debet eius rei veritas. Cum præsertim bestia ritus gentium seruarit sicut Israëlitæ seruauerunt ritus terræ Chanaan. Sed de gentium diis, et Romanorum simulachris aliqua recolamus.

Perpendendum nobis est, quid sibi olim voluerint, Bel, Baal, Baalpehor, Astarot, Dagon, Regina cæli, Theraphim, Elilim, Moloch et reliqua. Bel dicitur confusio: qua ratione congruit, vt in Babel colatur Bel, in confusione confusio. Omnia hic promiscue coluntur, et ex quacunque occasione quisque sua sibi idola facit. Iuxta historiam fuit Belus, vt Berosus refert, filius Nemrod, sanctus canonizatus, qui in regno Babylonis claruit: deinde in idolo adoratus. Hic ipse forsan aut quis alius, a certa dominandi ratione dictus est Baal, qui colebatur in monte Pehor, vt apud nos passim sunt in montibus facella, quæ scripturis dicuntur excelsa. Post linguarum confusionem idem Bel, ab aliis facile dici potuit Baal, et ratione loci Pehor, Baalpehor. Apud alios dicebatur Baalberith, apud alios Baalzebub, Baalzaphom. Prophetæ vocarunt בעל פעור Baal Pehor, quod est coiens palam, publicus scortator, vt colliges Hoseæ, 9. et Num. 25. Non maritum aut dominum proprie significat Baal, sed subactorem concubinarium, vt docet ipse Deus Hoseæ 2.

ſeæ 2. Huius Dei ſacris licet initiari Romæ, quæ eſt mater ſcortationum, quæ et In Baal docet fornicari, apoc. 2. et 17. Vt rem autem melius noris, lector, oportet te perpendere, nullam fuiſſe gentem adeo ſtupidam, quæ idola coleret, ſine deitatis aut numinis aliquo prætextu. Deus tamen nullis eiſmodi prætextibus coli vult, nec iota vnum vult libro ſuo addi, aut detrahi. Illi itaque omnes deitatis prætextum in ſuo numine ponebant, et religioſe loquebantur: ſed fornicationes, et alia turpia ſibi permittebant, vt faciunt nunc Papiſtæ. Hinc ſumpto a turpitudine nomine vocata ſunt gentium idola, vt pulchre idolis Romanis ea nomina conueniant, cum ſit ibi omne turpitudinis genus. Hac ratione dicitur eſſe Romæ idolum zeli, typus inuidiæ inter paſtores, ad poſſidendum eccleſiarum gregem, vt ait Ezechiel, citato cap. 8.

Quod Romæ colatur Deus אֶשְׁתֶּר Aſtoreth, ouilis Deus, iam oſtendimus, in paſtore idoli ſuper humeros portato. Erant olim אֶשְׁתֶּר Aſtaroth, imagines ouium, quæ certo quodam dæmonis prætextu adorabantur, quaſi greges protegerent: ſicut plerique eiſmodi Aſtaroth nos hodie colimus, vt armenta noſtra, et greges, a lupis et morbis defendant. Talibus hodie diuis peregrinationes inſtituimus, et vota vouemus. Eiſmodi erat olim piſcis Dagon, nauarum Deus, eiſmodi ſunt apud nos diui varii, quibus nauigantes homines ſe comendant.

Quod Romæ etiam reginæ cæli, duodecim ſignis cæli, et reliquæ militiæ cæli, libamina offerantur, euidentis cuique res eſt. Nam Papiſtica inſtitutione, Mariæ idolum reginam cæli refert, ſicut alia idola alios referunt duodecim apoſtolorum et defunctorum ſanctorum manes. Tales proprie dicuntur Elilim, non ſimpliciter dii, vt aiunt, ſed diui, numina canonizata et a Romano Papa ſtatuis poſt mortem donata. Vnde et coli ibi dicuntur Theraphim. Sunt תַּרְפִּים, diſſoluti morbo humani corporis languida ſimulachra: a quibus nos varia precamur, et ab eis, quaſi a fomno

excitatis mortuis, responsa petimus. Hinc Michol statuam Theraphim posuit in lecto, quasi esset persona Dauidis, 1. Sam. 19. Quod verò eiusmodi Theraphim fuerint olim Babyloñis in usu, apparet Genes. 31. et Ezech. 21. Iam olim erant Babyloñis statuæ mortuorum in veneratione, sicut nunc sunt in noua Babylone, quæ illi priori successit, et tempore eodem, quo illa destruebatur, hæc ædificabatur.

De Moloch, seu Molech dicimus, quod erat Regium idolum ipsius Baal, cui per ignem fiebat oblatio, et pueri ei offerebantur, Leuit. 18. et 20. Deut. 12. et 18. Ammonitarum hic quoque fuit Deus. 3. reg. 11. cui Israëlitæ offerebant, in loco Tophet, siue Gehinnom, qui in Euangelio dicitur gehenna ignis. Ibi olim illi per ignem offerebant in memoriam illius magnæ combustionis Assyriorum ibi factæ, quasi Baal eius combustionis fuerit author. Ita solent idololatræ, miracula Dei suis idolis attribuere. De hoc idolo lege 4. reg. 23. Esaïæ 30. Iere. 7. 19. et 32. Huic idolo illi pueros offerebant, vt ab incendio seruarietur: nos ei a puero sacrificat bestia, vt perpetuo Gehennæ igne deuoremur. A puero nos omnes occidit in pædobaptismo, vt nulla sit amplius spes regenerationis: sed igni perpetuo ibi destinamur, quasi dæmonio ipsius Baal in holocaustum oblatis. Ibi Papistico candelarum igne lustramur, vt vere dicantur nobis esse ignea Babyloñiorum sacrificia, quia sine accenso igne non fiunt. Paruulos eiulantes magno applausu offerunt in pædobaptismo, sicut olim ipsi Molech offerebantur cum tympanis. Ibi immolant paruulos in torrentibus. Esa. 57.

Vere etiam homines concremat Bestia, vt in Vr Chaldæorum. Ignea hominum facit sacrificia, viuos eos in ignem mittens, vt adoretur Bel, et sustineantur excelsa, regni Molech. Ac in eo ipso cultum se illa putat præstare Deo, Ioan. 16. Ita debuit excæcata bestia prophetiam Tophet et Gehinnom cum suis Chemarim adimplere, 4. reg. 23. et tabernacula

macula Dei in terra comburere, psal. 73. Ita de Antichristo prædixit Daniel, cap. 11. quod flamma quoque sanctos conficeret, idque diebus multis. Adde quod fornacis ardentis pœna erat olim Babylonis peculiaris: ut sine ea impleri hic non possint Babylo-nica mysteria.

Admirabilis iterum atque iterum Bestia, quæ sola potuerit illa omnia gentium mysteria complere. Flamines illa sibi consecrat, Salios Lupercios, et alios sacerdotes: ad conficienda liberi patris, Eleusinae Cereris, Orphica, Bacchanalia, et alia diis manibus sacra. In summa, nihil scriptum inuenias, in gentium Deorum sacris mysteriis, quod hic non compleatur. Nam ita debuit Bestia seruire ritus Gentium, sicut Israëlitæ seruauerunt ritus terræ Chanaan: alioqui in ea non complerentur omnia, quæ lex adumbravit, iniquitatis mysteria. Mortuorum sacrificia a Gentibus didicit Bestia, sicut et idolorum cultum: nam Iudæi hæc omnia detestantur. Sicut apud Gentes in diuorum numerum relatos legimus Iouem, Iunonem, Herculem, et alios: ita Bestia, cacodæmonum suggerente cuculla, ex mortuis hominibus nobis deos facit, ab eorum statuis nos docens varia precari. Denique, sicut Christus ex Iudæis et Gentibus vnum facit, ita Antichristus Iudæorum et Gentium abominationes in vnum coaceruat. Cuius rei typus in Antiocho præcessit. Nam statuit ille, ut esset ex Iudæis et gentibus populus vnus, ipsius statuta, et cæremonias obseruans, reiectis libris testamenti Dei. O vos omnes Christiani principes, nolite amplius cunctari: desolatam facite meretricem, et Bestiam, quæ Christi religionem desolauit, ut compleatur in vobis Ioannis prophetia apoc. 17. Beatos vos dicunt prophetae, si hoc facitis, psal. 136. Esa. 13. Iere. 50. et apoc. 18.

DE MINISTERIIS ECCLESIAE CHRISTI, et eorum efficacia.

LIBER TERTIVS.

Ministeria noui testamenti efficaciam nouam habere, est nobis nunc post vetera dicendum. Propter nouum hominem instituta esse omnia, eique miro modo singula seruire, manifeste nunc cognoscet, qui noui hominis generationem veram cognouerit. Euangelica vero ministeria, vt Christus ipse nos docuit, sunt prædicatio, baptismus, et fractio panis. Hæc tria, quia vere sunt ministeria spiritus, sub ministerii appellatione libet tractare, vt agnoscas esse in omnibus arcanam vim, esse internam, volente ita Deo, spiritus efficaciam, et singularem gratiam.

DE PRAEDICATIONIS euangelii efficacia.

Dicamus igitur primo de prædicationis euangelii efficacia, et de clauium potestate. Omnibus receptum est, eos qui nobis pœnitentiam et Christi fidem prædicant, esse ministros spiritus: quia eis externe prædicantibus, spiritus interne operatur. Non quod sit coactus spiritus domini, aut ministerio alicui necessario alligatus, sed quia placet ita agere. Ministri illi sunt, per quos credimus: ergo si per eos credidimus, spiritus est in eorum prædicatione, cum fides sit donum spiritus. Non est sine spiritus actione prædicatio, si ad pœnitentiæ prædicationem sequitur cordis compun-

punctio, Lucæ. 3. et actorum. 2. Prædicante Paulo aperiebat dominus cor mulieris, ut animum auditis intenderet, acto. 16. Hinc dat Christus spiritum sanctum apostolis, quando eos ad prædicandum mittit, Ioan. 20. Ad id datus est, ut eos loqui doceat, eorum sermonibus insit, et eis loquentibus in auditores agat. Comprobat hoc ipse Christus dicens suis ministris, Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri Dei in vobis loquitur, qui et audientes trahet, dicta vestra in eorum animos imprimendo. Si spiritus sermoni non inesset, quomodo diceretur, quod sermo ille, quem a ministro accipis, agit in te, ut credas? 1. Thess. 2. Quomodo verbum prædicationis diceretur gladius spiritus? Ephe. 6. Quomodo esset fides ex auditu? Rom. 10. Magna vis est prædicationis, si per eam mittit Deus gladium et ignem in terram, Lucæ. 12. Sermoni huic adeo inest sancti spiritus efficacia, ut per sermonem euangelii renatos nos dicat Petrus, 1. Pet. 1. Et Paulus per euangelium, inquit, ego vos genui, 1. Cor. 4. Est internus noster homo de spiritu sancto per euangelii prædicationem vere genitus, instar Christi per Dei sermonem de spiritu sancto geniti. Nos ex aqua et spiritu renati, dicimur mundati lauacro aquæ per verbum, sicut tex auditu genita fides est, donum spiritus. Ille euangelii sermo Petro dicitur semen immortale, quia per eum generatur internus homo immortalis, secundum veram, quam postea trademus, generationem interni immortalis hominis: qui per prædicationem plantatur et feminatur, per baptismum rigatur, et viuificatur, per canam domini nutritur, spiritu sancto internam efficaciam his omnibus tribuente. Ad quem modum subdit Petrus, absconditum nostrum et nouum cordis hominem, esse per euangelii sermonem a spiritu sancto incorruptibilem genitum. Nec mirandum, quod ab externa illa voce interne generetur nouus homo incorruptibilis. Nam ex-

terno illi sermoni inest spiritus, ad interna penetrans, et intus in nobis agens. In sermone est spiritus, et ab imo viscere cum voce prodiens spiritus, ad ima etiam per aures interne penetrat. Ingressus est, inquit, in me spiritus, quando vir ille loquutus est mihi, Ezech. 2. Imo sermo ipse doctoris eius spiritum quodammodo in auditore refert. Ille ipse ore ministri prolatus sermo, interne in nobis agit, et plurimum habet latentis energiae viua vox, maxime euangelii vox. Ille ipse euangelii sermo scripturis dicitur semen feminantis, id est, sermo euangelizantis: et sermo ille regni caelestis dicitur esse semen, quod seminatur in corde, Matth. 13. Simul atque sermo est auditus, suo spiritu Deus inspirat, trahit, quos vult, et efficit, ut cadat semen in terram bonam. Hinc factum, ut Pauli praedicatio esset tantae potentiae per potentiam spiritus Dei, Rom. 15. Nam praedicationis euangelii ministerium praebet spiritus sanctus, Phil. 2. Praedicatio crucis Christi potentia Dei est, cum sit sermonibus, quos docet spiritus sanctus. 1. Cor. 1. et 2. Illud autem nota, quod ait ibi Paulus, se missum ad euangelizandum, non in eloquentia sermonis, ne inanis reddatur crux Christi. Docet Paulus per eloquentiam sermonis exinaniri vim crucis Christi, ut in affectatis quibusdam hodie videmus. Vim crucis Christi illi inaniunt, qui elocutionis vi praeualere certant, quasi vis crucis Christi eam victoriam non pariat, sed suae orationis lenocinium. Vim tolerandae crucis in suis exigit Christus: sermonem vero non fuco aliquo aliunde quaesitum, sed quem efficacem ipse petentibus dat, ut se daturum pollicitus est Matth. 10. et Lucae 21. In hoc sermone est efficacia spiritus sancti, qui loquitur in nobis. Qui sermonem nostrum contemnit, non homines contemnit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis, 1. Thess. 4. Deus dat in ore ministri verba, tanquam ignem et gladium, ^{ut} per ea Ieremias aedificet et destruat, per ea apostolus liget, et sol

et soluat, credentes vel non credentes, ut super petram ædificentur, vel non ædificentur. Denique cum potentia erat sermo coniunctus. Sicut Dei sermoni annexa est spiritus virtus, quia ipse loquens spirat et agit, ita et in ministris, qui hac ratione dicuntur Dei cooperarii: et prædicabant, Domino cooperante, et sermonem signis confirmante. Quomodo non erit ministerium spiritus, si prædicando ipsi nos generant? Quomodo diceret apostolus, Opus meum vos estis in domino? Quomodo diceretur, quod spiritualia sua illi nobis communicant? An spiritualia hæc sint Romanæ bullæ, rescripta, vel præbendæ? Quicumque fidelis, a quo aliquam Christi cognitionem accipis, dici tibi potest apostolus, et spiritualis minister, sicut ait Paulus: Si aliis non sum apostolus, vobis tamen sum, quia Christi fidem per me habetis, quæ sigillum est apostolatus mei. Hæc sunt ministrorum Christi vera sigilla, non characteres bestię. Magna vis est prædicationis, si per eam generatur Christus in corde credentium. Imo tanta vis est prædicationis de Christo, ut etiamsi fiat per invidiam, vel inanem gloriam, adhuc dicat Paulus, eam cedere ad salutem, propter subministrationem spiritus Iesu Christi Philip. 1.

De prædicatione euangelii hæc sint pauca præmissa, quia hoc potissimum est ministerium, per quod mira Christus operatur. Mirabili efficacia, sine strepitu armorum, mundum per prædicationem suæ ditioni subiecit, et nunc subiiciet. Per illam stultitiam prædicationis de Christo crucifixo, mentes dicuntur captivæ in obsequium fidei. Vnde argumentum colligimus, externo dicto aut facto spiritum cooperari, ut baptismo et cænæ cooperatur. Qua etiam ratione dicuntur Ministri esse Dei cooperarii, et dispensatores mysteriorum Dei. Nisi ipse cooperaretur, inaniter præciperet, dicendo: Ite, prædicate, in spiritu sancto baptizate, et in veram communicationem corporis mei panem

frangite. Qui sapienter antecedentia disponit, consequentia non deserit. Christus hæc dixit, et ita fieri instituit, cum insigni efficacia. Quanquam externum verbum, ab externo alio facto differentiam habeat, quia auditus est sensus disciplinæ, et ex auditu fides: tamen ex Dei voluntate argumentum est æquale. Auditus in rebus aliis non talia faceret, qualia facit prædicatio euangelii, quia Deus ita fieri vult. Leuare festucam si Deus vellet, miram haberet energiam. Energiam habent baptismus et cæna, quia ita Christus voluit. Quot et in aliis dictis et factis apparet. Nam voluit ipse, ut dicentibus apostolis, pax huic domui, pax sequeretur, ubi quis in ea esset pacis capax. Voluit morbi sanationem ad eorum manuum impositionem esse annexam. Quia Christus id dixit. Dicere, prædicare remissionem peccatorum, perinde illi est, ac si dixisset, remittite peccata, ligate, soluite, virtute spiritus vobis data. Per potentiam spiritus Dei ab ipso euangelii prædicatore soluuntur vel ligantur, credentes, vel non credentes. Prædicatio euangelii Iesu Christi, ab hac spiritus virtute prodiens, est clavis aperiens ostium regni cælorum, quod est ostium fidei, acto. 14. Hac clauē donatus est ibi Paulus, non clauē putei abyssi. Clauē illa apostolica non potest bestia donari, cum sit clauis potestas in fide per spiritum fundata. Quam rem dator ipse clauium aperte nos docet. Nam Petro, cum esset aliis apostolis in fide robustior, et prior credidisset, prius clauē Christus pollicetur, non tamen donat, Matth. 16. Postea omnibus firmiter credentibus data est eadem clauium potestas, dato spiritu sancto, et apertis scripturis, ut intelligerent, quid essent prædicaturi, Ioan. 20. Hinc et clauis scientiæ dicitur: quam scientiam bestia non habet, sicut nec spiritum fidei: quomodo igitur clauem habebit? Hac scientiæ ratione superueniens Paulus, priores apo-

res apo

res apostolos excelluit in eo clauium munere: quia potentior illi fuit gladius spiritus, id est, verbum Dei. Peritior ille erat in figuris legis, earumque mysteriis dignoscendis, et Iudaismis improbandis. Excellentiore post effusum paracletum est Paulus apostolatu donatus: ob quam rem Iudaismos ille acrius persequitur, et regnum cælorum nobis clarius patefacit. Non enim a tempore aduentus Christi fugantur omnino Iudaismi, sed a tempore missi paracleti: et eousque vmbre adhuc vigeant, Christo ipso adhuc legem seruante, vt eam seruans impletet. Vnde ratio colligitur, quare noluerit Christus apostolos ad gentes initio transire, sed in ciuitatibus Israëliticis se continere, Matth. 10. Tum quia Christo super omnes gentes data est in resurrectione plena potestas: tum ne Iudæi immature scandalizentur: tum maxime, quia nolebat Christus, per Iudaizantes adhuc apostolos, legis vmbas et ceremonias gentibus inculcare. Imo tunc vetuit eos declarare sublimem illam visionem Matth. 17. Cum nondum essent apostoli spiritu sancto et igne per paracletum baptizati, nondum ad eos venerat nouum illud Dei regnum, cuius ostium erant gentibus aperturi. Ideo appropinquasse regnum illi tunc prædicabant, nondum plene venisse. Imo nesciebant apostoli, quid rei hoc esset, sed Iudaicum quoddam regnum ipsis deferendum cogitabant, acto. 1. Matth. 20. et Marc. 10. Postea vero missio paracleti in regnum illud cæleste sunt vere ingressi, facti noui cælestes homines, et spiritu cælestia gustantes. Missus tunc ad gentes Paulus, cum vera claue, et scientia regni cælorum, euangelizans, adesse cæleste regnum, per Christi resurrectionem nobis e cælo datum, in quod Christo credentes assumuntur. Qui regnum cælorum potest hominibus aperire, ille dicetur habere claues regni cælorum. Eo magis, quia cum hac ipsa claue scientiæ regni cælorum coniuncta est efficax quædam gladii spiritus

pote

potestas, in fidei certa virtute consistens. Hac virtute, et spiritus potestate utebantur aliquando apostoli, etiam usque ad corporalem hominis mortem, et eius in potestatem satanæ deditionem, ad aliorum ædificationem, et aliquando ad ipsorummet, qui tradebantur. Potestatem magnam habebant apostoli, et habent veri ministri, gladium duplicem, sermonis et spiritus. Gladium iussit Christus apostolos emere, instante passione, Lucae 22. gladium fortitudinis fidei. Alibi dicitur gladius spiritus sermo Dei, Ephes. 6. Idem gladius est, et eadem fortitudo. Nam a spiritu Dei est fidei fortitudo, et in sermone Dei est spiritus fidem roborans. Sermonis et spiritus gladius vnus est duo gladii; est gladius vtrunque scindens; qui non solum duplicia sensa referat, sed et duplici virtute externe et interne auditorem immutat. Hic ipse sermonis et spiritus gladius, vtrunque scindens, de ore Christi egreditur, apocali. 1. 2. et 19. Vniuersa euangelii armatura duos habet fortissimos gladios, verbum Dei et spiritum eius. Duæ istæ manus erant, per quas formauit Deus mundum, et per quas eum reformat. Duobus his gladiis destruentur duo bestiae gladii. Gladio vtrunque scindente, de ore Christi egresso, percutiet nunc Deus Antichristum, et gentes ei adhærentes 2. Thess. 2. apo. 17. et 19. His duobus gladiis in prælium armati prodeunt Christiani. Hi duo verbi et spiritus gladii sunt in euangelii defensore necessarii, vt sermone doceat, et spiritu sit fortis, ne ob persecutiones vnquam vacillet, vt Petro dixit Christus dicto capite. 22. Vnum fortitudinis gladium petenti domino, duos ferreos gladios ostendunt ignorantes apostoli. Quos sufficere, mystice respondit Christus, quanquam id tunc apostoli non intellexerint. Sicut rudes apostoli duos illos gladios carnaliter intelligebant, ita bestia id solum, quod carnale est, ex eorum dictis vsurpat, duos inde sibi tribuens ferreos

ferreos gladios. Similis est eius ratio rationi eorum, qui ignito ferro signaculum fronti imprimunt, ita credentes, nos igne fore baptizandos. Sacrilegium est, quod duos sibi tribuit bestia gladios, quia dictum est, ecce duo gladii. Adeo est bonæ mentis expers, ut quiduis in sui pompam sibi persuadeat. Nec id solum, sed et gladiis illis ad necem per carnifices utitur, quod apostoli non fecerunt. Vides, lector, qualis sit bestię sensus carnalis et facinorosus, non solum in gladiis, sed et in clauium bullata potestate. Pro clauibus thesaurorum regni habet clauē mammonæ. Sicut vnus est gladius vtrique scindens, qui est duo gladii: ita est vna clauis scientiæ, quæ est duæ clauēs, cum duabus capitum incisuris. Est clauis biceps, vtrique arcana sensa referans, iuxta literam et spiritum. Quod vero clauis regni cælorum sit clauis scientiæ, docet Christus Matth. 23. et Lucæ 11. Hæc ipsa est clauis Dauid, aperiens thesauros eius, id est, sanctas scripturas, Esa. 22. et apoc. 3. Hæc clauis scientiæ cælestis omnes legis clausuras viuā intelligentia referat. Hæc Iudæis et gentibus aperit ostium fidei Christi, et regni eius. Bestia autem illa Babylonica non habet scientiam, ut ostium hoc fidei, et regni Christi, prædicando aperire possit: ergo clauem non habet. Si scientiam Dei haberet, non diceretur bestia. Non potest illa de regno Dei verba facere, cum nesciat, quale sit regnum hoc cæleste, quod intra nos est, et qualiter regnet nunc Christus in sanctis suis. Qui per Christum tot theodidacti, sunt veri Christi ministri, habentes clauem Dauid, quæ aperit scripturas, bestię illi clausas. apoc. 3. et 5. Qui per regenerationem ex aqua et spiritu sancto viderunt et ingressi sunt in regnum cælorum, illi possunt de regno cælorum verba facere, cum regnum ipsum in seipsis videant et contineant, ac cælestem illam vitam iam uiuant. Sine hac clauē scientiæ regni cælestis nemo potest sacerdotis munere fungi, Hoseæ. 4. Sine hac nemo po-

mo potest episcopum agere, cum oporteat episcopum esse ad docendum idoneum. 1. Timoth. 3. et 2. Timoth. 2. ad Titum. 1. Esa. 66. et Iere. 3.

Hac tanta potestate donati apostoli, et veri Christi ministri, habuerunt potestatem ligandi, soluendi, et alia faciendi iuxta mensuram fortitudinis fidei, et doni spiritus. Hinc excommunicatio, et in potestatem satanæ, usque ad corporalem mortem traditio, ad aliorum terrorem confurgebat: non per carnifices, ut facit bestia, sed virtute spiritus. Excommunicationis vis in tractatu de cæna cognoscetur. Nam quando reus quis persistens deprehendebatur, a cænæ communione arcebat. Hæc erat excommunicatio, magnæ efficacæ, ob magnam vim manducationis ligni vitæ, sine qua quis efficitur aridum lignum. Bestia vero Babylonica imaginariam habet excommunicationem, qua indefinite excommunicat, etiam non deprehensos, et ubi nulla est cæna. Non solum homines excommunicat, sed et irrationalia pecora, sicut nos a Papistis locustas agri solennitate magna excommunicari vidimus. Id quod rationem quandam Babylonicam habet, ut ex potestate clauium bestię licet colligere, qua ipsa cum locustis agit, apoca. 9. Cogor hic in locustas has inuehi, quia eas nobis repetit Ioannes, si te prius lector orauero, ne molestia afficiaris ob digressiones has, quæ nostro seculo sunt necessariae.

Vice apostolicarum, et cælestium clauium, habet Papa claues putei abyssi, ut magnam inde locustarum vim, ad homines excruciosos in terram emittat, dicto cap. 9. Claues habet, quibus librum claudat, et abyssi puteum aperiat, ut a putei et fornacis fumo denigretur Christus, teste ibi Ioanne. Magna est clauium bestię potestas, qua ignem anathematismum ita facit de cælo in terram fulminando descendere, ut homines in terra viui concrementur, apoc. 13. Magna adeo

igna adeo est clauium bestiae potestas, ut homines possit in bestias conuertere, plumbum in aurum commutare, et idolis numinum virtutes donare, ut in auro et argento ab hominibus adorentur. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et qui confidunt in eis, ut oculos habeant, et non videant, aures habeant, et non audiant. Bestia non potest nisi bestias generare, et locusta locustas: ut fictor locustarum nunc dicatur, qualem olim vidit Amos cap. 7. Loquitur Amos de locustis Ieroboam, has nostras adumbrans, quae ferotinam herbam deuorant post Christi messiem. Homines vero pro terrae frugibus, et ibi et in Exodi locustis intelligendos, exponit nobis Ioannes in apocalypsi, et passim alii prophetae, qui locustas has ita vocant. Aperta est earundem locustarum prophetia, et naturalis similitudo, apud Naum. ca. 3. ubi monachos vocat מִיִּזְרִיִּם minzarim, pseudonazaræos, sacris coronatos. Erunt, inquit, pseudonazaræi, quasi locustæ, et apostatarum priores quasi locustæ locustarum, castrametantes in septis locis tempore frigoris, et orto postea sole volantes. Ea est locustarum, et reliquorum ex putredine genitorum animalium natura, ut calidum et humidum ament tempus et locum, putredinis suæ fomitem. In apricis quibusdam, sepibus et foveis generantur, nocturno seu nubiloso tempore coacervantur, et orto postea sole volant: sicut eas nunc solis Christi splendor a suis culinis et hypocaustis auolare faciet, ut earum ne vestigium quidem supersit, nec locus mansionis earum amplius dignoscatur, ut ait ibi Naum. Sicut putredinis fomes, orientalis ventus, Aegyptiacas locustas super faciem terræ produxit: ita contra occidentalis venti spiritus eas in orientalem abyssum præcipitabit, ut olim factum est in Aegypto. Exo. 10. Adde hic quatuor illa locustarum genera, quæ apud Ioclem paradisum Dei perdiderunt, instar quatuor ordinum mendicantium, de quibus in quarto sigillo diximus. Si locustam, cui a natura est indita cuculla, induas lorica, seu monachali sacco, habebis

inte

integrum monachum, larvatum dæmonem. Admiratur merito Ioël horridum aspectum populi huius cucullati, cui nunquam similis visus est, nec videbitur. Admiratione ducerentur apostoli, si nunc resurgentes hæc monstra viderent. Admiratione nos duceremur, nisi essemus larvis assuefacti. Potestas caudæ harum locustarum est falsa doctrina quasi scorpionis caudæ venenum. Ita caudam Ioannes exponit cum Esaia, apoc. 9. et Esa. 9. Horrendæ sunt bestię, quæ cum leoninis dentibus habent muliebres fallacias: et sunt velut equi ad bellum sanctis inferendum expediti. Vnde merito et concorditer inferunt Ioannes et Ioël, solis obscurationem ad locustas consequutam, vt in fine primi libri iam exposui. Vbi etiam cum Ioanne dixi, bestiam de abyssu ascendisse, sicut de abyssu quoque ascendunt locustæ, apoc. 9. et 17. Cuius rei mysticam ex toto nunc audi rationem.

Carcerem spiritus nequam esse diximus in illo tartarorum abyssu cum gigantibus, Lucæ 8. apoc. 20. 2. Pet. 2. et Iob. 26. Ab eo maris abyssu ascendens spiritus draconis, et in Papisticum corpus intrusus, facit, vt dicatur bestia de abyssu ascendere, apoc. 13. Huius clauium potestate et fumo ascendant inde locustæ, habentes regem Papam, qui est nuncius abyssi, dicto cap. apo. 9.

Alia ratione locustarum vita de abyssu nunc ascendit. Nam postquam credidit mundus, posse Papam de abyssu, et purgatorio illo fornace manes erudere, creditum etiam est, ob sacrificulorum ignea sacrificia, merita, et missas, quando panis et vinum locustis deuoranda offeruntur, liberari tunc animas a purgatorio illo tartarorum cruciatu. Vnde magni adeo sunt locustarum orti prouentus, vt tota eorum essentia et victus de abyssi fornace nunc veniat. Omnes enim missarum et beneficiorum foundationes propter purgatorii animas fiunt. Perniciosum satanæ commentum,

vt vi

vt viuentes homines benefacta sunt post mortem differant, omittentes, quæ profunt, et expectantes, quæ non proderunt. Pingua itaque de abyſſo venerunt locuſtarum ſacerdotia. Locuſtis ſolis licet panes propoſitionis in menſa domini comedere, et Chriſti meſſem deuorare. Solis illis licet in eccleſia negociari, beneficia obtinere, permutare, reſignare, emere, vendere, apoc. 13. Idque per reſcripta, ſeu bullas, Pape nomine, numero charactere ſeu ſigillo ſignatas, vt ait ibi Ioannes. Characterem beſtiæ ait in fronte et manibus imprimi, quia hæc loca in Papſtica conſecratione inunguntur, et tunc datur vnctis licentia negociandi in ſuis eccleſiis.

Aliud hic adiunge myſterium, ne forſan quis putet, hos beſtiæ miniſtros ſcripturis vocari tantum locuſtas. Imo ſuis coloribus ita eos olim depinxerunt prophete, ac ſi præſentes vidiffent, apoc. 18. Eſa. 13. 34. Iere. 50. et Sopho. 2. Primo eos in apocalypſi vocat Ioannes harpyias, ſeu volucres immundas, dæmonum laruas, ſcortatores, negociatores animarum hominum, poma deſiderii, ad ſpiritualem mercaturam a longinquis Romam nauigantes. Ab Eſaia cap. 13. variis nominibus vocantur habitatores Babyloniorum locorum, vt ſint variæ domus, nempe eremitarum, mendicantium, monialium, monachorum, et antiſtitum cathedralia templa. Primi horum dicuntur ibi צִיִּים zijm, ſolitudinarii, eremite. Deinde cultores alii dicuntur אוֹחִים בֵּבֶתִּים ochim bebethim, fraterculi in monaſteriis. Deinde בְּנוֹת יַעֲנָה benoth iaenah, filie vlulæ, puellæ moniales vlulantes. Poſt eas שִׁירִים רֹקְדִים feirim rokedim, hirci prurientes, monialium ceconomi. Pulcher eſt ordo Prophetæ aſcendendo. Primi Babyloniorum fuerunt eremite, deinde urbani, deinde puellæ moniales, et caprarum cuſtodes hirci. Sequuntur iam prioratus et abbatie in amœnis et inſularibus pratis: deinde magni alii

H. prælati

prælati, antistites et cardinales in delitiosis urbium palatiis, ut aperte docet propheta. Ibi, inquit, habitabit cœtus צִיִּן ijm, conuentus insularium bestiarum. Demum in delitiosis palatiis erunt תַּחֲנִינִים thanim, magnæ beluæ, magni prælati in delubris voluptatis. Ad nostram Babylonem hæc referri docet Ioannes, verba Esaïæ fere repetens, ac dicens, eam esse factam custodiam et habitationem talium bestiarum, apoc. 18. Quod et Sybilla palam exprimit libro quinto, Romam dicens esse Babylonem, sanctorum interfetricem, idolorum, bestiarum, et Antichristi domicilium.

Capite insuper tricesimo quarto, pleraque alia docet Esaïas esse nomina bestiarum, in eiusmodi Babyloniorum et Aedomæorum rudibus habitantium: quæ variis linguis varie exponuntur. Habitare ibi ait noctuas, vlulas, vespertiliones, lamias, coruos ad cadauera, lupos circa gregem, accipitres, et gryphones: pingues porcos, cæcas talpas, onagros, onocrotalos, et onocentauros. Denique miluorum collegium, quando aliquis moritur, ad cadauera deuoranda. Hosque miluos cum coruis, vulturibus, et aliis bestiis, per mutuos concentus, et sine intellectu submurmuratos odarum versiculos, alternatim ad prædam sibi acclamantes. Imo, inquit, nidos, foueas et domos sibi facient, ubi viderint esse pinguium carnes, et pinguia sacerdotia. Ne putes, lector, te hic fabulas audire, cum hæc omnia nunc ita esse, plane conspicias. Vera hæc sunt, et olim prædicta, spiritus sancti mysteria. Ipsum Esaïam audi, qui eodem capite 34. hæc tibi ibi inquirere præcipit, magnum in his latere affirmans spiritus sancti artificium. Illa omnia in figura contingebant illis, et propter nos scripta sunt. Non de bobus ea cura est Deo, ut ait Paulus, nec propter bestias agri dictæ sunt prophetiæ, sed propter nos. Nos enim sumus bestiis assimilati, quia verbum Dei non obseruauimus, psal. 48. ut vere dicatur propheta in ænigmate de nobis loqui, et na

qui et naturali similitudine nos iumentis comparare. Petrus quoque et Iudas bruta animantia hæc vocant, quæ se a communi ecclesia segregarunt. Bestiæ hæc Babylonicæ se ipsas excommunicauerunt, nobiscum in cæna non communicantes. Indignum illæ iudicant, si nobiscum in ecclesia misceantur, sicut ait Daniel, ferrum non misceri luto. Quod prædictæ bestiæ esse homines ipsi, Esaiæ intelligantur, apertissime docet idem Esaias cap. 43. vbi eisdem vocibus utitur, et tam thanim, quam benoth iaenah, ad Christum reducendos affirmat, foreque tam monachos, quam moniales, novas creaturas Christum glorificantes. Imo post prædictum caput 34. mox capite sequenti 35. omnia prædictarum bestiarum loca ad Christum reducit Esaias. Et cap. 11. omnes illas bestias ait esse a Christo cicurandas, quas et bestias gentium vocat Sophonias, feras bestias Ezechiel, et ploraturas iacturam suam ait Michæas. Bene igitur est illis precandum, ut illuminentur, ne sint perpetuo bestiæ. Prædicandum est illis Iesu Christi euangelium, ut prædicationis efficaciam agnoscentes, et vere credentes, baptismi etiam vim agnoscere possint, quam nos nunc trademus.

DE BAPTISMI

efficacia.

Dicamus igitur de secundo ecclesiæ ministerio, nempe de baptismo, et cælestem in eo, ac regenerantem energiam, nunc ostendamus, verba Christi cum primis obseruando. Nihil de hac re dici potest sublimius, quam quod ipsius ore prolatum est: Nisi quis genitus fuerit e supernis, nisi quis denuo natus fuerit, ex aqua et spiritu sancto, non potest cælestia cognoscere, non potest intrare in regnum

cælorum. Non friuole est a Christo dictum, denuo nasci, vt fias nouus homo: ex aqua nasci, ex aqua et spiritu nasci. Ex aqua ait, sicut dicimur mundati lauacro aquæ, lauacro regenerationis. Ea ipsa est e cælo generatio, in cælum nos introducens. Nemo enim e cælo nascitur, nisi cælestis homo. Ad huius autem rei perfectam cognitionem est nobis sciendum, quid sit regnare Christum in sanctis suis, et quale sit illud regnum, in quod facti nouæ creaturæ intramus. Sciendum item, huius regni ostium esse fidem, ne quis pædobaptismo det ingressum sine fide. Qui in fide Christi ex aqua et spiritu regenerantur, de serpentis infernali regno transferuntur in cæleste Iesu Christi regnum, Ephes. 2. Colos. 1. et 2. Insigni dono aliquando incipit in nobis credentibus regeneratio spiritus, illuminatio, et in cæleste regnum translatio: quanquam deinceps magis et magis innouamur, et ad cælestia perficimur. Insigni dono, et certo tempore, dicitur quis eripi ab inferni ditione, cui erat ab origine subditus, atque tunc in cæleste nouum regnum assumi. Contraria hæc duo sunt, carcer inferorum, et regnum cælorum: fitque aliquando ab altero transitus ad alterum, vt antea moriens in infernum ducereris, postea vero in cælum. Manifesta sunt hæc omnia, quibus adiungere potes Petrum et Paulum, qui baptismum aiunt nos saluare, Baptismus nos saluos facit, ad Titum. 3. et 1. Pet. 3. Lauacrum regenerationis et renouationis spiritus vocat ibi Paulus, quia de cælo ibi regeneramur, et innouamur: nouus spiritus nobis datur, et nouum cæleste regnum. Non solum symbolum ablutionis, sed peccata in baptismo vere ablui, docet Ananias acto. 22. et Petrus acto. 2.

Familiaribus item exemplis efficaciam baptismi ostendamus, et externa quædam facta notemus, quæ baptismi similitudinem referunt. Cæcum illuminandum ad piscinam mittit Christus, vt lauetur, Ioan. 9. Naamam Syrus ad Iordanem

danem mittitur, ut lauando ibi curetur a lepra. 4. reg. 5. Dicto ibi credentes, sanati non fuissent, si sequutum lauacrum non fuisset. Nec sanati sunt tempore, quo crediderunt, sed tempore, quo loti sunt, et in loco illo. Nota verbum hoc, quod tempore lotionis, et in loco illo datur salus, ultra præcedentem fidem. Perperam igitur faciunt, qui baptismum vilipendunt, ut solam externam lotionem. Quid si Deus vult, ad opus illud sequi munus internum? An non voluit Christus, ad externam manuum impositionem sequi spiritus sancti dationem? Quare effusis aquis super Christum sunt aperti cæli, et descendit spiritus sanctus? loco eodem et tempore? An non est verum iam recitatum mysterium loci, qui ob peccati translationem dictus est Galgala? Clamant ipsi, spiritum sanctum non debere externis hic esse alligatum. Nos nec alligatum dicimus, nec coactum, cum nec semper ita cuius detur. Sed quod Deus modis aliquibus fieri vult, nos credimus ita fieri. Quare per impositionem pallii Eliæ fuit Eliseus spiritu diuino afflatus? etiam nihil cogitans, 3. reg. 19. Quare pallii eiusdem percussio scidit aquas Iordanis. Ut quid cum cæsarie Samsonis veniebat fortitudo? Quare per farinam, per lignum, faciebat Eliseus operationes spiritus? Quanquam esset præexistens fides, adhuc externis aliis uti placuit, ut actio aliqua sequeretur. Factum igitur, quod ultra fidem exigit Deus, nos quoque exigimus, cum sine eo non fuisset data salus illis, quibus præcipiebatur, ut est res euidens in Naaman Syro, in cæco illuminando, et plerisque aliis. Noë quoque Deo credens, non fuisset a diluvio seruatus, nisi per arcam, cui respondet baptismus, nos instar navis ab abyssi eruens perditione, et nos super aquas in cælum eleuans. Non fuissent filii Israël in terram promissionis, et requiem domini ingressi, nisi facta per aquas via in mari et Iordane. Eodem die regenerationis nostræ, velut in maris baptis-

mo, vocatur Iesus salus nostra, quam nobis tunc facit, Exo. 15. Eodem die in Iordanis baptismo est Iosue magnificatus, Iesus Christus in nobis glorificatus, Iosue. 4. Obserua, quid sibi velint voces illae, hac die, hac die, hac die. Hac die transitus Iordanis factus es populus domino Deo tuo, Deut. 27. Hac die abstuli a te opprobrium Aegypti, Iosue. 5. Hac die te genui, et mihi sacerdotem constitui: die scilicet baptismi. Insignia sunt haec opera Dei. Sicut Chanaanorum corda sunt ibi dissoluta, audito baptismi miraculo, ita nunc quoque dissoluentur, et in Christi ditionem ducentur. Sicut Iudæis ibi per Iordanis transitum datur noua terra, et nouus cibus: ita nobis per baptismum datur nouum regnum, et nouus Christi panis. Imo nouum quid intra nos vere creatur, ut postea videbis. Alioqui non innouasset Christus mundum in sui regeneratione, nec caelos novos fecisset, nec nouas creaturas. Eho praedobaptista, quales nunc caelos novos, quale regnum nouum, vos hic cogitatis? Ite ad aquas Siloë, et videbitis: soli enim, qui regeniti sunt, vident, Ioan. 3. Mittit vos Christus ad aquas Siloë, ut lauemini, et visum recipiatis. Vos autem ire negligitis, sed paruulos mittitis, qui talia videre non possunt, nec lotionem indigent. Nondum intelligitis, neminem posse in Siloë lauari, nisi a Christo missum? Mittitur vero ille, cuius oculi sunt per Christi contactum fide prius obliuati, Ioan. 9. In Bethesda etiam non lauantur, nisi qui actuali morbo sunt correpti, ut sanentur. Dicitur enim ab בֵּית עֲשָׂא esda, et beth esda, domus baptismi, locus effusionis aquae: quinque habens porticus, quia per quinque illos pentateuci libros est in eam comprobatus ingressus. Imo quia verapentateuci mysteria, et eorum complementum, in se continet baptistaus, quinque sensuum portas in nobis aperiens. Quinque portas habet Ezechielis templum, quod baptismi aquis irrigatur, Ezech. 47. Templum hoc est ipsemet homo, cuius omnes quinque sensus in baptismo aperi

aperiuntur, et viuificantur. Ibi incipimus Christum tangere, vero cordis contactu. Ibi cælestia olfacimus, gustamus, videmus, et spiritus sancti fontem audimus, Ioan. 3. Efficaciam lotionis hinc colligite, quod angelus de cælo descendens, aquam ibi agitet, ut vos a quocunque detenti fueritis morbo, sanemini, dicto cap. 5. plusquam triginta annorum languidus ibi sanatur, non infans vnus diei: sicut et ille, qui ad piscinam Siloë missus est, ætatem habebat, ut pro se ipso loqueretur. Quanquam fide ille ierat ad aquas, tamen nondum erat integra luce donatus: sed eius fides lotionem est postea illustrata: quia spiritus sanctus fidem in baptismo viuificat, et illustrat. Vos pædobaptistæ, fidem habetis de Christo confusam, et visionem obscuram: quia nondum ille in cordibus vestris illuxit, ut videatis ibi claritatem Dei in facie Iesu Christi. Lutum vobis illeuit Christus, oculos vestros nondum lauens. Si sciretis, quanta in baptismo ipsi fidei accessio fiat, non cunctaremini. Si intelligeretis, quis sit ille internus nouus homo, cælesti ille natiuitate natus, qui solus viuum Christi corpus manducat, curreretis utique. Vos enim manducare nondum potestis, quia nondum estis nati. An non estis stupidi, qui velitis, Christi corpus adesse cænæ, et nolitis, eius spiritum adesse baptismo? An nescitis, fide plerosque iustificatos, qui tamen baptismi defectu in regnum cælorum non sunt ingressi? Nondum intelligitis, quid inter catechumenum et Christianum intersit? Nescitis, quod sine cælesti natiuitate fides non regenerat? Cælestem autem natiuitatem, visionemque regni cælestis, ex aqua esse et spiritu sancto, quis est, qui nesciat? Addamus his pulchrum dictum Matthæi, relatum in recognitionibus Clementis lib. 1. Si quis, inquit, Iesu Christi baptisma non fuerit consequutus, non solum regno cælorum hic fraudabitur, verum et in resurrectione mortuorum non absque periculo erit, et si bonæ vitæ et rectæ mentis prærogatiua muniatur. Hic ergo, in hoc seculo

est ingressus in regnum cælorum per baptismum. Beati sunt, inquit ibi Petrus, qui regnum Christi fuerint adepti: quia non solum inferni pœnas effugient, sed et incorruptibiles manebunt, primi Deum videbunt, et primum honoris ordinem consequentur. Apud eundem Clementem libro septimo docet Petrus, esse in baptismo magnum munus, et per ipsum dari vitam æternam, quæ nunc in nobis est vita immortalis. Clemens alter Alexandrinus, lib. j. pædagogi, cap. 6. baptismi perfectionem aperte docet, eo lauacro nos perfici, et spiritu sanctificari. Tincti, inquit, illuminamur, in filios adoptamur, perficimur, immortales reddimur, facti Dii, et filii excelsi omnes.

Obiiciet quispiam, Fidem esse ostium regni cælorum, per quam videmus, intramus, et cum Christo in cælestibus regnamus. Respondeo, Fidem Christi esse omnium fundamentum: et euangelicæ fidei cælestia tribui epitheta, qualia lege non tribuebantur, quia fides tunc non regenerabat, sicut nunc in baptismo regenerat, per potentiam regenerationis Christi, quæ est resurrectio eius. Fides ergo omnia facit, sed per baptismum illustrata. Sequitur fidem baptismus, in quo per spiritum sanctum vivificatur fides, et formatur Christus in nobis. Esto, per fidem sis iustificatus, sicut Abraham, in regnum tamen Christi cæleste nondum es ingressus, sicut nec Abraham ipse est tunc ingressus, donec accessit Christi regeneratio. Esto per fidem fundamenta feceris firma et solida, ædificium tamen nondum est consummatum: imo nec consummari, nec compleri potest, nisi per charitatem in cæna domini, ut videbis postea in interni nostri hominis formatione. Si hoc nondum assequeris, saltem intellige, et animo perpende, quare ministerium spiritus dicatur illi aquæ baptismus: An non propterea, quia est in eo spiritualis dispensatio? Magna adeo, volente ita Deo, est illius mysterii vis, ut baptismo externe ministra-

nistrato, aperientur cæli. Magna vis est instituti Christi, eo ministerio spiritum sanctum dari volentis. Magna vis est, si ibi denuo nascimur, morimur, resurgimus, et in cælum ascendimus. Tanto miraculo operatur Deus in baptismo, quanto in mari, et Iordane. Ille fuit vmbra huius veritatis. Non in solis aquis, vt ibi, sed in ipso cælo viam aperit baptismus, vt tunc descendat de cælo spiritus, et nos ascendamus in cælum. Per baptismum tanta nunc dabitur populo Dei fortitudo, vt quasi leo de Iordane ascendat, ad Babylonem cum suo pastore perdendam, Iere. 50. Idem ait Ieremias cap. 49. contra pastorem eundem, et contra Aedom, per quem significantur impii, fratrum suorum persecutores. Hostes omnes destruit virtus, quæ de Iordane suscitatur, vt ait Ieremias. In cælorum regnum nos introducens baptismus, de Aedomæis, et Babylonis nos facit victores: vt olim contra Aegyptios et Chanaanæos baptismus maris et Iordanis nos fecit victores. Per baptismi aquas nos in Ierusalem reducimur, perdita Babylone, Iere. 31. Baptismi aquæ sunt amœnissimi illi paradisi fluuii, per quos nauigare nequit nauis Papisticæ ecclesiæ, Esa. 33. Per baptismi aquas nos, perdita Babylone, restituimur, in terram promissionis, et in paradysum ipsum, Ezech. 36. Earundem aquarum baptismi, post perditam Babylonem, futura mysteria prædicit Esaïas, cap. 42. 43. et 49. et Zacharias capi. 14. Vt baptizato Christo sunt aperti cæli, et descendit spiritus sanctus: ita et in nobis fit, quia membra sumus corporis eiusdem, cuius ipse est caput. Hoc interest, quod in nobis id fit occulte, sicut vita nostra est abscondita cum Christo in Deo. Vt ipsi Christo, ita et nobis in die regenerationis dicit Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te, tibi dans cælestem hæreditatem et regnum. Tanta vis est aquarum baptismi, vt nec vir eas transeat, nisi ab angelo manuductus, tantum abest, vt infantulus per eas transeat,

Ezech. 47. In illis aquis, ait Ezechiel, situm esse terminum hæreditatis nostræ, vt cum ad eas venerimus, hæreditatem nostram possidere incipiamus. Eodem modo dixit Moses, Israëlitas hæreditatem accipienturos, cum transierint Iordanem, Deut. 12. et 32. Quæ omnia in figura sunt dicta. Moses non transiit Iordanem, nec est ipse in requiem domini veram introductus, nec aliquis eorum, qui fuerunt sub lege. Ipse Christus solus est, qui populum vere per Iordanem inducit in requiem domini: id quod olim in figura Iosue ostensum est.

Hæc sola ratio valida est contra eos, qui ministeria vilipendunt: Si ministerio nostro non vteretur Deus in donis effundendis, frustra tot sibi et tales ministros eligeret. Frustra nos diceremur ministri spiritus, Dei cooperarii, et dispensatores mysteriorum. Vere tamen sumus dispensatores spiritualium donorum, quæ in mysterio per ministerium nostrum dispensat Deus. Vere sumus Dei cooperarii, tametsi nihil sumus, quia ministerium nostrum aliquid est. Ego plantavi prædicando, Apollos rigauit baptizando: et Deus ministerio nostro internum dat incrementum et efficaciam. Petrus nihil est, Paulus nihil est, tamen eorum ministerium aliquid est. Quanquam autem Petrus nihil sit, Papa tamen aliquid est, et eius ministerium nihil est. Papa aliquid est. Quia potestatem habet huius mundi. Characteres et qualitates suis sigillis in fronte et manibus potest imprimere, plumbum in aurum commutare, homines in bestias conuertere, duplici gladio sanguinem potenter effundere, et multa millia martyrum canonizare. Nonne hoc aliquid est? Papa igitur aliquid est. Et eius ministerium nihil est. Quia non vt ministret, sed vt sibi ministretur, Matth. 20. et Lucæ. 10. Vt pinguium carnes comedat, gentibus dominetur, a regibus et imperatoribus coram ipso incuruatis, aperto ca-
pite

pite, flexis genibus, et pedis osculo, terræ Deus adoretur, Pastor et idolum, 2. Thess. 2. et Zacha. 11.

Sed Antichristo cum suis ministeriis omisso, baptismi efficaciam alia via ostendamus. Baptismo aliquid inesse gratiæ, vltra prædicta possumus ad hunc modum vrgere. Nam pædobaptistæ non possunt inutilem eis Christi baptismum a Ioannis baptismo discernere. Cum ergo scriptura inter eos discernat, vt a Ioanne baptizati, iterum in nomine Christi baptizarentur: sequitur, eos non recte tenere Christi baptismum. Si a Ioanne ipso post pœnitentiam et fidem baptizati, iterum in nomine Christi baptizantur, actio. 19. multo fortius a pædobaptistis, sine fide, sine intellectu, extra Ecclesiam Christi baptizati, sunt iterum in fide Christi et eius ecclesia baptizandi. Præterea, Ioanne ipso baptista nos sumus præstantiores, non alia, quam baptismi ratione. Sicut ait Christus, Qui minor est in regno cælorum, maior est Ioanne baptista, Matth. 11. Hoc autem esse in regno cælorum, per baptismum datur, Ioan. 3. et Colos. 2. Magnus fuit Ioannes baptista, plusquam propheta, fidem habuit Christi, ad quam prædicandam fuit in vtero sanctificatus. Fuit tamen totus, sub lege, et Christi baptismo non fuit regeneritus, nec nouo regenerationis Christi spiritu donatus: quia non peruenit ad Christi resurrectionem, et paracleti missionem. Per potentiam resurrectionis Christi, quæ est regeneratio eius, et per quam peruenit ad nos cæleste regnum, efficaciam habet regeneratio, quæ est resurrectio nostra. Antequam Christus regeneraretur, nemo fuit in ipso regeneritus. Antequam ipse resurgeret, nemo potuit cum ipso resurgere, nec in regnum illud, quod nondum venerat, ingredi. Quicumque vere baptizati sunt, in mortem Christi baptizati sunt, cum eo sepulti, et resuscitati, Rom. 6. Non potuit ergo in baptismo impleri mysterium passionis, Christo nondum passo. Spiritus ille regene-

regenerationis sanctus, hominem glorificans, Christo nondum glorificato, nondum tunc erat, ut baptizatis conferri posset, Ioan. 7. Vnde semper colligimus, esse totam vim baptismi, per potentiam resurrectionis Christi.

Ne quis igitur, duos nobis superesse baptismos putet, aut Ioannis baptismum cum Christi baptismo confundat, aduertendum, Ioannis baptismum simul cum lege euauisse, completo eo, quod ipse significabat. Euanuit umbra, adueniente veritate, et adueniente ipsiusmet Christi de poenitentia praedicatione, et praesente vera fide, quam ille futuram designabat, et dato spiritu sancto, quem ille dandum significabat. Proinde acto. 13. dicitur: cum compleret Ioannes cursum suum. Et cap. 10. rem praeteritam tunc Petrus significat, dicens, Post baptismum illud, quod praedicabat Ioannes: Ipse quoque Ioannes ait, Gaudium meum impletum est. Perperam igitur Pædobaptistæ quidam suum baptismum, tanquam Christi baptismum, cum Ioannis baptismo confundunt, vtrumque facientes in signum rei, quæ non est. Tot enim sunt differentiae, quot sunt in baptismo Christi mysteria. Nam Ioannis baptismus, quasi praeparatio quædam, Christum regem venturum significabat, cuius regnum in propinquo esse, ille praedicabat, dicens, appropinquauit regnum caelorum. At Christi baptismus, non solum regnum illud iam venisse, significat, sed reipsa id nos facit experiri, et regnum ipsum intra nos ponit. Baptismus Ioannis non regenerabat, sed carnali lege^{is} populo erat vice cuiusdam legis purificationis, et ablutionis, plebem tamen Christo praeparans per poenitentiam et propinqui regni spem. Et in baptismo erat differentia, et in doctrina, ut a Ioanne baptista ad poenitentiam instituti, adhuc indigerent institutione alia viae Christi, acto. 18. Illa erat institutio futuri, hæc institutio praesentis. Hinc finita Ioannis praedicatione, coepit Christus praedicare, Matth. 4. In doctrina
Ioannis

Ioannis baptistæ non ostendebatur gloria resurrectionis Christi iam præsens. Hæc est maxima differentia, quod a Ioanne baptisati adhuc in infernum ducebantur, sicut et Ioannes ipse. Baptismus Ioannis erat professio pœnitentiæ cum expectatione futuri regni. Baptizabat Ioannes in remissionem peccatorum, per Christum perfecte conferendam. Baptizabat item, ut per occasionem baptismatis, filium Dei venientibus annuntiaret. Ita ipse testatur, dicens, Vt manifestus fiat Israël, propterea veni ego aqua baptizans. Vnde colligitur, non fuisse verum baptismum, qui gratiam non conferens, eam solum indicabat futuram. Si verus ille fuisset baptismus, repeti non potuisset. At post resurrectionem sunt illi denuo baptizati, et datus novus spiritus, dicto cap. act. 19. Hinc se Christus continebat, in terris non baptizans, Ioan. 4. tum quia præclarum magis erat docere, tum ne quis putaret, eum esse baptismum, quem Ioannes baptista Christo tribuit, quo nos erat ipse ad cæleste regnum baptizaturus spiritu sancto et igne. Vnus nunc est aquæ et spiritus sancti baptismus, per potentiam resurrectionis Christi. Baptismus verus est post resurrectionem a Christo institutus, et tunc est ei data omnis potestas. Matth. 28. Ita nos post ipsius resurrectionem fore sui regni participes in regeneratione, aperte docuit Lucæ. 22. Vnde Paulus ad Ephesios, nos Christo conregnantes in cælestibus federe, cum eius et nostra resurrectione coniungit, scilicet quæ sit per baptismum, in quo est resurrectio nostra, Coloss. 2. et 3.

Ex his colligimus, nos esse præstantiores, quam fuerint Iudæi et legis prophetæ, ob magnam baptismi excellentiam, quæ nos in cæleste regnum introducit, per potentiam resurrectionis Christi. Si maiores sumus Ioanne baptista, maiores sumus aliis, qui fuerunt eo minores. Illud verum est, quod per Christi resurrectionem in cæleste regnum assumpti

sumpti sunt Ioannes baptista, Abraham, et alii prophetae, qui fidem Christi olim habuerunt. Atque ita sunt regenerationis donum assequuti, cum resurgente Christo resurgentes, Matth. 27. Reliqui vero inferiores semper manent, et manebunt. Ob donum regenerationis baptismi non solum nunc, sed et in finali resurrectione eos præcellemus: quia non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ, sed sua seorsim habebit munera. In resurrectione quisque in suo ordine collocabitur, ut ait Paulus. Sed quis erit ordo? Primitiæ, inquit Christus, deinde ii, qui sunt Christi in aduentu ipsius, 1. Cor. 15. Qui mortui in Christo sunt, resurgent primi, 1. Thess. 4. Iis solis, qui Christi aduentum sequuti sunt in regeneratione hac cælesti, disponit ipse tale regnum, et edant et bibant super mensum eius in regno eius, et sedeant super thronos, iudicantes duodecim tribus Israël, Matth. 19. et Lucæ. 22. Eandem ordinis prioritatem nostram, ex Petro apud Clementem nuper citauimus.

Adde hic schema finalis iudicii, ut intelligas, nos a Iudæis in ea re differre. Locus finalis iudicii figuratur per vallem Iehosaphat, ut ait Ioël. Vnde et יְהוֹשָׁפָט Iehosaphat, Dei iudicium interpretatur. Sita est ea vallis ad orientalem partem vrbis Ierusalem, inter eam et Sodomiticum ignis et sulphuris lacum, Ioëlis 3. et 2. para. 20. prope etiam ad stercorariam, seu orientalem vrbis portam, est vallis Tophet, quæ dicitur gehenna, siue gehinnom. 4. reg. 23. Iere. 7. 19. et Marc. 9. Quæ vallis vsque ad lacum ignis et sulphuris tunc dilatabitur, Esa. 30. Eadem est vallis Gog, ab oriente vrbis vsque ad lacum, Ezech. 39. In eo itaque iudicio, relatis nobis in ciuitatem Ierusalem, et pristinum paradisi locum, mittentur Babylon bestia et locustæ in lacum iræ Dei, in stagnum ignis et ardentis sulphuris, vna cum Gog et draco

dracone ipso, apocali. 14. 19. et 20. Infantes vero, qui antequam scirent bonum vel malum, ab Herode et serpente quasi in Bethleem sunt interfecti, in eos fere limites ibi recipientur, vicino cælestis ciuitatis loco. Martyres fere dici possunt, qui occisione ipsa testantur, se sine proprio delicto ob aliena crimina pati. De infantibus ergo non erit iudicium, nec disceptatio aliqua, qualis de adultis scribitur Matth. 25. Israëlitarum vulgus, aut in pœnam ibit, aut pingui terra, velut lacte et melle, satiabitur, ut carnalem ibi transactam vitam quodammodo illi redoleant. Erunt quidem participes regni, quanquam non pariter sint in cælestem ciuitatem ingressi. Ex gentibus quoque eis similes erunt fere, qui benedictionem aliquam sunt assequuti. Generales hæ sunt differentiae, ultra peculiare alias et varias mansiones.

Modis aliis ex Ioannis apocalypsi, Iudæorum a nobis differentia probatur. Nam in cælesti illa Ierusalem post finalem resurrectionem filii Israël pro foribus stabunt, cum angelis, qui fuerunt ipforum dii. Christiani vero, angelis ipsis præstantiores effecti, agno assidebunt, apoca. 21. et 22. Duodecim etiam margaritæ, quibus duodecim filii Israël ibi conferuntur, minores sunt lapidibus illis duodecim preciosis, quibus apostoli ibidem comparantur, qui etiam dicuntur fundamenta muri ciuitatis. Ipsi ibi dicuntur habere flumen aquæ viuæ baptismi, et lignum vitæ cænæ domini. Vnde magna infertur baptismi, et cænæ excellentia, si eorum fruitionis in beatitudine illa erit adhuc recordatio felix.

Alia sæpius notata est baptismi dignitas, per quam fit regeneritus homo angelo excellentior, frater Christi, in angelos ipsos potestatem habens. Angelos sibi quodam

quodammodo subditos habet ecclesia, si est vera Ecclesia.

Supereſt alia iam relata baptiſmi efficacia, nunc iterum explicanda. Nam eorum, qui ſine baptiſmo decedunt, animæ ſentiunt inferni dolores, ob Adæ peccatum. Poſt baptiſmum autem, et veram Chriſti regenerationem non magis in eas poteſt infernus, quam in Chriſtum reſuſcitatum. Ergo, inquies, ſi ſint duo credentes, ſeu duo in Chriſto catechumeni, et alter baptizatus decedat, alter non baptizatus, inter eos plurimum intererit? Reſpondeo. Si inter gentes ſint duo, pietate pares, aut inter Iudæos, et alter ad fidem Chriſti poſtea vocetur, nonne intererit? Voluntas Dei eſt. Cui vult, miſeretur. Inter propoſitos catechumenos certe intererit, cum ex parte baptiſmi, et eius cæleſti efficacia, tum ex parte fidei. Nam fides ipſa in baptiſmo per ſp̄ritum illuſtratur. Ante baptiſmum non eſt fides ita viua, ſicut poſtea, nec ita vera pœnitentia, vt videbis. Atque ita non erat inter eos æqualitas fidei, ſi ſequentia conſideres. Catechumini tamen decedentis fides non erit irrita: cum præſertim aqua non baptizatum contingat morte, vel martyrio regenerari. Baptiſmi commendatio abditis Dei iudiciis nihil contradicit.

Ex legis quoque figuris magna baptiſmi myſteria licet colligere. Nam baptiſmo, vt dixi, conſecrabantur ſacerdotes, Exo. 29. 40. Leuit. 8. et Num. 8. Eccleſiæ tabernaculum et ſanctuarium ingreſſuri lauabantur, Exo. 30. et Leuit. 16. Leproſi mundandi baptizabantur, Leuit. 14. Denique a feminis, vel menſtrui, vel mortui, vel alterius rei immunditia, baptiſmo lauabantur, Leuit. 15. et Num. 19. Adde locos. 3. reg. 7. et 2. para. 4. in quibus figuratur baptiſmi myſterium, ſi tibi ob oculos ponas vaſa illa, in quibus lauabantur ſacerdotes et holocauſta, ſuper quatuor rotas, et animalia: vt lotionem illam cæleſtem ſuper Cherubim quadrigam aſcendas.

Ex dictis iam ſequitur, quod Chriſti regnum ignorant eſſe

esse cæleste, et potentiam resurrectionis eius nesciunt, qui non amplius baptismo hodie tribuunt, quam olim circuncisioni: quæ solum erat signum, nullam habens spiritus dispensationem. De circuncisione si quidem illud verum est, quia erat ibi regnum carnis, et umbra futurorum. Hic vero est spiritualis actio præsentium, et veritas ipsa. Ministeria legis erant in significando: ministeria vero noui testamenti in gratiam conferendo. Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum facta est. Umbra per Moysen demonstrata est: veritas autem est, quod per Christum factum est. Quia vere inest Christi symbolis id, quod inesse significatur. Cænæ vero adest Christus, sicut baptismo vere adest spiritus. Alioqui quid prodesset mundo ipsa Christi præsentia? Datus est, et venit Christus, ut sit nobis vere præsens, non in umbra, ut erat Iudæis. Item ministeria spiritus nobis Christus instituit, a ministeriis legis infinito interuallo dissita. 2. Cor. 3. Per operationem spiritus habet baptismus eam efficaciam, ut vere dicamus, baptismum nos saluare, ad Titum. 3. et 1. Pet. 3. Per solam enim fidem sine baptismo non complentur omnia salutis Christi mysteria. Baptismus nos saluat, et lauat, sicut panis cænæ corpore Christi nos cibatur, interno mysterio. Fides interne per spiritum sanctum hanc efficaciam suscipit: quam externus ille dare dicitur baptismus, quia Deo sic volente eo symbolo datur. Sicut concedimus, quod externus hic sermo auditus nos interne viuificat per spiritum: ita etiam concedemus, quod hæc aqua nos interne per actionem spiritus regenerat, ut coniunctim nascamur ex aqua et spiritu sancto. Per aquas ipsas in nos agit spiritus, qui aquas ipsas viuificat et agitat. Quando ex aqua et spiritu nascimur, aquas ipsas agitat spiritus in regeneratione hac, sicut in prima mundi generatione spiritus Dei agitationem faciebat super aquas. Aquas ipse spiritus Dei viuificabat

uificabat, ut illæ iterum terram viuificarent, ad rerum generationem, sicut hic ad regenerationem. Hinc apud Clementem libro sexto iubet nos Petrus perpendere, qualiter omnia generentur ex aquis, terræ scilicet admotis, ut eodem modo ex aquis regenerari nos intelligamus. In eandem sententiam Irenæus lib. 3. cap. 19, ait, Sicut de arido tritico massa vna, vel panis vnus, fieri nequit sine humore: ita nos in Christo vnum fieri non possumus sine aqua, quæ de cælo est. Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, ita nec nos. Corpora nostra per externam aquam accipiunt vnitatem, spiritus per internam. Vtraque sunt necessaria, et vtraque proficiunt ad vitam Dei. Hæc ille. Imo ait, quod Christus potestatem regenerationis dedit discipulis, dicens, Euntes baptizate. Quemadmodum concedimus, quod Petrus vel Paulus nos ligat, vel soluit, cum solum sit minister: ita concedemus, quod hæc aqua nos intus lauat, et hic panis nos intus nutrit: cum præsertim ab eisdem spiritus ministris hæc dispensentur. Baptismus nos saluat salute eadem, qua fides saluat: et ea fidei salus per baptismum redditur perfecta. Sicut iustitiæ fidei Abrahæ per sacrum Dei iusiurandum accessit confirmatio in suæ carnis, id est, filii immolatione, Genes. 22. et Iaco. 2. ita quando postquam credidisti, te Deo immolas, et mortis symbolo carnem tuam in baptismo sacrificas, sacramento solenni tibi Deus tunc iustitiam confirmat, et resurrectionis typo te ab aquis reducit, sicut resurrectionis typo est Isaac ab immolatione reductus. Sicut est Christi testamentum morte confirmatum, et sicut eius sacerdotium, vna cum regno, est Dei iuramento firmatum, quando se ipsum victimam offerens est mox in sancta sanctorum resurgens ingressus: ita tibi victimæ facto, et in sancta sanctorum per regenerationem nunc ingresso, regnum et sa-

et sacerdotium hoc sacramento firmantur, et velut testamento morte firmato hodie donantur, quando dictum tibi est, filius meus es tu, ego hodie genui te. Vera autem tu victima per baptismum efficeris, carnem tuam immolas, corpus tuum crucifigis, moreris, et particeps sis Christi passionum, cum eo quoque sepultus, Rom. 6. et Colos. 2. Tunc efficeris noua creatura, ad regnum Christi regenerata, et tunc in cælum resurgis. Nec baptismus sine fide, nec fides sine baptismo, hæc omnia facere potest. Ideo simul hæc coniunxit Christus, dicens, Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit, Marci. 16. Fides nos facit filios Dei, sequente fidem baptismo, per quem Christum induimus, et spiritum filiationis accipimus, Gal. 3. et 4. Fide datur hæreditas regni cælestis, in quod per baptismum intramus, Ioan. 3. Denique omnia passionis et resurrectionis Christi mysteria vere refert baptismus, eorum efficacias viuas in nobis imprimit, et veram ipsam filii Dei filiationem. Esse filium Dei non est res de solo titulo, nec potest quis dici filius Dei, nisi ex substantiali Dei semine generationem habeat. Generationem, inquam, qualem habent omnia, quæ viuificantur, ex aqua et spiritu, substantialem, innata interno homini substantia diuina, vt effectus sit homo particeps diuinæ naturæ. Est itaque generatio hæc vere substantialis, ac regni cælestis participatio, incipitque in nobis, et fit, per lauacrum regenerationis, per aquam et spiritum, qui in baptismo fidem magis viuificans, nos in veram regni cælestis possessionem inducit.

Si fidei et baptismi proprias vires seorsim consideres, inuenies, quod fidei proprium sit iustificare instar Abrahæ, qui iustificatus est, non regeneratus, nec ab inferno penitus tunc liberatus. Regnum autem cælorum confert natiuitas e supernis, per spiritum sanctum, spiritum nouum, quem in baptismo dari vult

Christus. Cælesti dono neminem donat fides, nisi adsit cælestis natiuitas. Nec fides ipsa dicitur cælestis, nisi aliunde fiat cælestis. Possumus fide iustificari, absque hoc quod regnum cælorum intremus. Catechumeni, sicut apostoli, ante datum paracletum, iustificari dicuntur: in regnum tamen cælorum nondum ingressi. Nec videbant tunc, nec intelligebant, quid sibi vellet regnum hoc, sed aliud terrestre meditabantur, act. 1. Postea vero a paracleto sunt omnia edocti, intellexerunt, viderunt, et intrarunt in regnum Christi cæleste. Baptismus est, qui nos regenerat, et in cæleste Christi regnum introducit, ab inferno tunc penitus liberans. Per baptismum nos Christum induimus. Per baptismum, vt ad Romanos ait Paulus, non efficimur Christo σύμφυτοι, inserti, insititii, et in eum transplantati, tanquam palmites in noua vite, idque substantialiter. Per baptismum nos efficimur magni illius regis in regno participes, in cælis cum ipso regnantes, supra angelos, et alias omnes cæli et terræ potestates. Per baptismum virtutes futuri seculi iam gustamus, Heb. 6. Experimur tunc, quod sana conscientia bene respondet apud Deum, per resurrectionem Iesu Christi.

Familiari adhuc exemplo tibi ostendo, qualiter fide, et qualiter baptismo, fiat remissio peccatorum, etiam si tempora separes. Detur quis vere credens filio Dei, et baptizantem quærens. Hic iam est a peccatis iustificatus, iuxta præsens donum Dei, et iustitiæ imputationem, vt si tunc moriatur, sit tandem saluandus. Ab inferno tamen non est omnino tutus. Nondum est plene insitus ecclesiæ, contra quam nihil possunt inferorum portæ. Conscientia item eius nondum quiescit, et peccati adhuc superest inquietudo, donec regeneratis spiritus dono cælesti sit penitus pacata et illustrata. Verum ergo est, peccata fide remitti, et in baptismo remitti. Non enim erat perfecta remissio, cum fides suam

des suam nondum haberet perfectionem. Baptismus igitur non est res ita friuola, et inefficax, ut quidem hodie contendunt. A tempore, quo coepit Christianismus, efficacia baptismi nemo sustulit, exceptis paucis quibusdam tropistis nuper natis. Non habet rationem, quod baptismo fidem illi opponunt. Imo fides efficit, baptismum esse salutarem: et contra baptismus fidem consummat. Fides intus gratiam recipit: instrumentum, quo confertur, est baptismus. Peccata, a quibus fide iustificamur, per baptismum abluuntur. Fides sine baptismo non est viua, nec instar grani synapis: nam efficacia spiritus eam in baptismo viuificat, et in caelum magis erigit. Baptismus et caena domini sunt vita et fomentum ipsius fidei: sunt vita, fomentum, et nutrimentum interni hominis, per fidem ex Deo geniti. Per praedicationem euangelii plantatur fides, quod nec sine operatione spiritus fieri potest. Varia tamen est spiritus dispensatio. Alius est spiritus, quem peperit Christi praedicatio, alius, quem peperit resurrectio. Apostoli omnes, antequam, misso paraclete, spiritu sancto et igne baptizarentur, solum erant catechumini, ut nunc sunt paedobaptistae, qui se iam summam tenere putant doctrinae Christianae. Decipiuntur plane, qui sine fidei baptismo se putant a spiritu sancto regenitos. In baptismo nanque, per potentiam regenerationis, seu resurrectionis Christi, datur nouus spiritus, nascitur nouus homo, resurgens cum Christo, in viam illam et nouam caelorum vitam.

Imo adhuc ultra fidem et baptismum quid aliud requiritur, nempe, ut nouum ibi genitum hominem, nouo cibo nutrias, idque in caena domini. Per caenam domini, quae baptismum consequitur, nutritur, adolescit et incrementa vitae suscipit, ille in baptismo genitus nouus homo. Magis et magis tunc in dies in nobis Christus formatur, et nos magis et magis in vnum Christi corpus cum aliis membris

ædificamur per charitatem. Quemadmodum nos in vnitatem corporis per mutuam charitatem magis ædificamur, ita Christi corpus in nobis tunc facit incrementum, per charitatis illud in cæna symbolum, Ephe. 4. Charitatis symbolum est cæna, vt in ipso cænæ sermone nos docuit Christus, qui et tunc charitatis præceptum dedit, Ioan. 13. et sequentibus. Ita se habet cæna ad charitatem: sicut baptismus ad fidem. Cæna igitur et charitate neglectis, recedit a nobis Christus, arefcit fides, euanesct spiritus, fame contabescit, et moritur homo Christianus. Nisi enim manducaueritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, vita, quam ex fide accepistis, non permanebit in vobis, Ioan. 6. Quasi dicat, fame peribitis, nisi hoc alimento foueamini, quantumcunque credideritis, et fueritis e supernis nati. Nam cælesti nato debetur cæleste alimentum, quo vtens viuatur in æternum. Sicut immortalitas Adæ ex ligno vitæ seruabatur, ita nouum hominem nouus hic cibus in immortalitate seruat.

DE COENA DOMINI.

Sermo iam nos de sacrosancta illa fractione panis hic interferere monet, vt eius cum aliis facta collatione, internam et arcanam in omnibus efficaciam melius agnoscamus. Nam et in hac dominica cæna manducatio vera corporis Christi interna est, et spiritualis. Demonstratur tamen ea manducatio interna per hanc externam, et spiritualis per corporalem. Qua ratione hic panis est nobis corpus Christi, sicut hic aquæ baptismus est lauacrum spiritus: quia sicut per hunc interne nascimur, ita per illum interne pascimur. Hic panis est
corpus

corpus Christi, quia hic panis in externa manducatione est id ipsum, quod Christi corpus in interna: et quia ad huius panis manducationem, ille se nobis vere communicat, et nos sui participes facit. Aliqua ergo per Christi voluntatem et institutum, est vis huius mystici symboli. Vim aliquam indicavit Christus, cum est ex illa panis fractione miraculo cognitus, Lucæ, 24. Magnam in mysterio efficaciam significasse intelligendus est, panem vocans corpus suum. Hoc, inquit, est corpus meum, hoc manducate: quia hunc panem manducantes, corpus meum manducatis. Non solet scriptura res varias ita connectere, nisi ubi est arcana quædam, et mystica connexio. Ad hunc fere modum dicitur, Petra fuit Christus. 1. Corin. 10. quia dixit Christus, Stabo super petram, Exo. 17. Ioannes baptista est Elias, quia venit cum spiritu et virtute Eliæ, Lucæ. 1. Ille igitur panis est caro Christi, ipsa Christi carne nos vere pascens. Per mysticam et arcanam rationem idem tribuitur externo et interno pani munus, et proprietas, ut non solum dicas, hunc panem esse corpus Christi, sed et corpus ipsum Christi dicas esse vere panem. Quia et per hunc panem se nobis vere præsentem facit, et ille tanquam verus panis internum nostrum hominem cibatur et nutrit. Caro ipsa Christi vere dicitur cibus, et talis cibus per quem nos efficiamur membra, ab ipsa Christi carne in vnum corpus interne compacta. Membra, inquit, sumus corporis eius, ex carne eius, et ex ossibus eius. Ut Eva ex carne et ossibus Adæ constabat, ita ecclesia tota, nos ipsi ex carne et ossibus Christi constamus, Ephes. 5. Mysterium magnum est, non res imaginaria, sed substantialis. Ecclesia est vere corpus Christi, veram membrorum Christi in se continens compagem et structuram. Christus carnem suam multis membris communicans, ex illis omnibus facit vnum ecclesiæ corpus, quod est corpus

Christi, ex carne eius, et ex ossibus eius. Vnus hic externus panis constat substantialiter ex multis granis, in unitatem corporis vnus. Ad eundem modum nos participatione Christi in vnum corpus substantialiter coalescimus. Hanc carnis Christi participationem et alibi docuit Paulus, qui luculentam verborum Christi nobis fecit expositionem. Hic panis est corpus Christi, quia huius panis fractio est corporis Christi participatio. 1. Cor. 10.

Imaginariam esse hanc Christi carnis participationem, plerique hodie contendunt ex Paulo ipso, qui eodem loco docet, esse in hac mensa participationem Christi, sicut in mensa idolorum est participatio dæmoniorum. Esto vero, concedamus, valere similitudinem. Sicut ecclesia nostra est substantialiter vnum cum Christo, ita idololatrarum ecclesia est substantialiter vnum cum dæmone. Verum ibi esse dæmonis participationem, ex scripturis superius docuimus. Spiritum immundum exire ab homine, quando ad fidem conuertitur, post Christum docet Petrus apud Clementem in fine libri secundi, et circa medium libri quarti. Si substantialiter idololatriis iungitur diabolus, et per varios actus malos, eis se substantialiter magis et magis in animam insinuat, quare non et nobis Christus? In progenie illa viperarum, imo et in carne nostra, esse substantialiter ipsum serpentem, seu angelum satanæ, satis iam ostendimus: et docet Christus, eos, qui ex patre diabolo sunt, in seipsis habere diabolum facientem. Est igitur in nobis vera corporis Christi participatio. Verus est cibus, qui vere nutrit. Per illam in memoriam eius factam inter nos panis et vini participationem et communicationem, ille se nobis vere participat, et communicat, internum hominem cibo et potu reficiens. Præsertim Christum ibi spiritu colimus, et adoramus, vt ex hoc velit Paulus idolorum cultum, et eorum altaria explodere, solam istam volens obseruari mensam, quæ

quæ nos Christi vere participes facit. Non intelligas in externo pane adorando idololatrandum: non instituit Christus externa adorandi symbola, sed solo spiritu adorandum esse docuit. Ipsummet Christum nos spiritu adoramus, qui est nobis lignum vitæ, panis viuus, et mensa ipsa. Ipsemet et nobis altare, sacrificium et hostia, a seipso oblata. Tale nos habemus altare, de quo non licet manducare eis, qui lapideo templo, aut ligneo tabernaculo deseruiunt, Heb. 13.

Vere itaque dixit Christus, hunc panem esse corpus suum, quia est manducationis similitudo, et quia per hunc panem nobis corpus suum vere communicat. Usque adeo vult in hoc pane corpus suum præsens diiudicari, ut hunc panem indigne sumens, reus sit corporis domini. Et in cibum est nobis instituta cæna, et in charitatis symbolum, et ad passionis recordationem, ut beneficia Christi quotidie commemorando, ei iugiter gratias agamus. Cæna certo signo nobis ostendit, corpus Christi ita esse pro nobis immolatum et traditum, ut eo nunc vescamur, atque ita vescendo, sacrificii illius efficaciam, et corporis eius veram participationem sentiamus. Sanguinem quoque eius sic esse nouo testamento in remissionem peccatorum pro nobis effusum, ut sit nobis perpetuus potus, datique beneficii iugis memoria et applicatio. Exercitium plane diuinum, et incomparabile, quo iugiter uti debemus, tanti beneficii iugiter memores: et passionis domini memoriam ibi recolentes, ei gratias agamus pro salute nobis in cruce impetrata.

Videamus iam, quantum a cænæ veritate hodie aberrant impanatores, tropistæ, et transubstantiatores. Impanatores sensu peruerso corpus Christi cum pane coniungunt. Per arcanam mysterii efficaciam est ibi mystica coniunctio, non per impanationem. Quia spiritualis cibus non potest carnali ore manducari. Ipsi tamen vo-

lunt, carnem Christi impanatam comedi: et intra panem, quasi nuces intra ficus dentibus mandi, et deinde per gulam in ventrem deglutiri. Quæ manducatio animalis est, non spiritualis. Non norunt isti externum hominem ab interno discernere. Non intelligunt, qualia habeat internus homo ad manducandum instrumenta, nempe fidem et charitatem. Ea ipsa manducatio, quæ in cæna fit, per fidem fit, et charitate perficitur, vt apud Ioannem cap. 6. et in cænæ fermone nos docuit Christus, et Paulus ad Ephesios. Miror, eos non intelligere, Christi corpus esse spirituale, cum et corpora omnia nostra futura sint post resurrectionem spiritualia. 1. Cor. 15. et mensura hominis, quæ mensura angeli, apoc. 22. Impanatio illa, cum sit res externa, nihil facit ad propositum sacri mysterii, quod est spirituale et internum. Mystica manducatio ibi dicitur, non profana, non carnalis, non animalis. Spiritus est, qui manducat, non caro, Ioan. 6. Repugnaret fane carneis instrumentis corpus spirituale manducari: nec est illa manducatio magis, quam si quis aërem se manducare dicat. Imo quid aliud absurdius est, quod isti, sicut et Papistæ, cogitant. Imaginantur, carnem Christi in ventriculum solum demitti, deinde reuomi, seu abire. Cum

ab primum assumptæ sunt in stomacho species panis, aiunt migrare Christum, nec ibi manere. Quæ non est ratio veri cibi. Si enim caro Christi est verus cibus, est verum alimentum. Si est verum alimentum, in vnâ substantiam coalescit, vt qui nutritur, fiat substantialiter vnum cum Christo. Christus nos vere ibi nutrit, et substantialiter, non ita, vt ipse mutetur in nos, sed nos mutemur in ipsum. Ergo si nutrit, non a stomacho reuomitur. Substantiam suam nutriendo largitur, et cum anima nostra substantialiter vnum facit. Alia ratione migrationem illam damnat Christus, qui testatur, se manere in eo, qui carnem suam mandu-

manducat, eumque iugiter viuificare vita perenni. Præterea, quod in stomachum non ita demittatur caro illa, vel hinc constat, quod Christi sedes in corde est, non in stomacho. In corde sunt instrumenta huius manducationis, fides et charitas. In corde fit illius cibi elaboratio, per spiritum sanctum in cor effusum, qui sedem domino præparat. Sicut dicitur internus noster homo absconditus in corde homo, teste Petro, ita et manna absconditum ibi manducat, teste Christo. Adde Christi dictum, Quod intrat in ventrem, nec coinquinare potest, nec mundare, sed quod intrat in cor, Marci 7. Non solum carnale istud os, sed nec cæli ipsi sunt glorificati illius corporis contactu digni, quia immundi sunt, donec in die iudicii a calore dissoluti fiant cælum nouum. Nec spiritus noster potest eum nunc contingere, nisi per regenerationem innouatus. Simili figuræ ratione non licebat olim filiis Chaat, manu tangere vasa sancta. Num. 4. Solus sacerdotum princeps Christus hæc tangit, et videt, qui interne ministrat. Ille nobis hæc sancta ministrat, seipsum exhibendo, non quod sacrificuli manibus tangatur. Ipse Christus dicens Mariæ, Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum: indicat nobis, corpus suum non esse in sua gloria ita tangendum. Sed cum ad patrem ascenderit, licebit eos, qui interne renati fuerint, eius corpus glorificatum interne tangere, vero cordis contactu, non manibus externis. Solus princeps Christus aperit, et ingreditur portam cordis nostri, ibique dicitur panis manducatio coram Deo, Ezechiel. 44. et 46.

Tropistæ iam, si essent sensum hunc assequuti, Tropi-
dicere vere possent, panem esse corporis Christi sym-^{stæ.}
bolum, absque hoc quod sophisticis tropis Chri-
stum a nobis eriperent, eum in carcerem quen-
dam relegando. Non enim absentis rei sunt hæc
symbola, vt in vmbris legis: sed est visibile
signum

signum rei inuisibilis, et externum symbolum rei internæ. Exemplum habes in aqua baptismi, quæ est symbolum internæ ablutionis, et renouationis spiritus. Item externa hæc manus impositio dicitur spiritus sancti datio: sicut columba et linguæ igneæ dicuntur signa effusæ diuinitatis, non absentis, sed præsentis. Pro signo sunt hæc nobis ita obseruanda, ac si semper fiat, quod significatur. Inde nos rei efficimur, ipsum præsentem ostendendo. Ad hoc datum est mundo Christi corpus, ad hoc venit Christus, ut nobiscum sit vere præsens: alioqui perinde esset, ac si essemus Iudæi. Imo deteriores nos nunc essemus. Illi enim Deum ipsum in illa oraculi nube personaliter præsentem habuerunt, in medio castrorum Israël. Quod ipsum veram hanc Christi præsentiam in medio nostri figurabat. Nam atrium cordis nostri est, quod nunc inhabitat Christus, estque verum eius tabernaculum in hominibus. Pleraque alia ad hanc rem facientia diximus circa finem dialogi secundi. Adeo familiaris est nobis Christus, ut ad nos veniat, ad nos intret, mansionem in nobis faciat, et nobiscum cænet, ut ipsemet testatur. An non monstrum erit, Christum vocari caput, si suis membris non iungitur? Res mortua est corpus totum, si ab eo caput separe. Perniciosus admodum est error, et ipsissima regni Christi destructio, negare præsentiam eius in nobis.

Sicut igitur hic aquæ baptismus est lauacrum spiritus, quia est demonstratio quædam eius, quod spiritualiter fit: ita de pane illo dicendum, ut demonstratione quadam sit corpus Christi, sit nobis pro corpore Christi, sit in externa manducatione id ipsum, quod Christi corpus in interna. Et demonstrando dixit, hoc est, hoc manducate: volens ea demonstratione et manducatione panis, demonstrationem et manducationem corporis sui exprimi et diiudicari. Aduerte, quid ibi demonstretur. Hoc, id est, panis iste, in memoriam passionis meæ congregationi fractus, et
fidelibus

fidelibus communicatus per charitatem. Hoc, inquam, est corpus meum, quod volo deinceps vobis communicari, quoties in mei memoriam feceritis, sicut ego feci, vos mutuo diligentes, sicut ego vos dilexi, et panem meum pro vobis tradidi. Hæc est exactissima veritas, ut iuxta vim pronominiis demonstratiui, hoc sit demonstratio corporis Christi, et manducationis eius. Nam cum sit manducatio illa, et communicatio inuisibilis, aliter demonstrari non potuit, quam per hanc visibilem, spiritalis per corporalem, et interna per externam. Qua ratione hic panis vere dicitur symbolum corporis Christi, et corpus ipsum Christi vere dicitur mysticus panis. Et est institutum hoc Christi tantæ efficacæ, ut sine eo non possit internus homo in Christo nutriri, magis quam externus homo sine externo pane. Nam ita Christo hæret internus homo, sicut palmes viti, in vnam Christi substantiam. Quod sola externa apparitione recesserit a nobis Christus, usque ad diem iudicii non videndus, probant illa verba, quibus de videndo fit mentio. Non videbitis me, quia ad patrem vado. Sicut vidistis euntem, ita videbitis venientem ad iudicium. Non dixit, non ero vobiscum; sed non videbitis me, et ego vobiscum sum.

Ex his generalem in ecclesiæ Christi ministeriis inferas regulam, quod in eis semper oporteat spiritaliter diiudicare. Sicut in pane illo diiudicatur corpus domini, ut rei efficiantur indigne fumentes, ita in prædicatione euangelii diiudicatur et agit spiritus sanctus, ut Sodomæ et Gomorræ tolerabilis sit futurum in die iudicii, quam illis, qui resistunt, credere nolentes. In baptismo quoque maxime diiudicatur et agit spiritus sanctus, ut magna pœna sint afficiendi pædobaptistæ, qui baptismum sine spiritali diiudicatione tractant. Sicut alii rei sunt corporis domini, ita ipsi rei sunt spiritus domini, quem ibi adesse non permittunt.

tunt. Viuas spiritus operationes obscurant, et ipsissimum spiritum extinguunt, cum baptismum ita ibi extinguunt, vt nihil agatur. Imo in spiritum et corpus domini simul peccant, quia sine baptismo nulla est cæna. Ridiculæ sunt et insipidæ omnes pædobaptistarum cænæ, cum nondum sit natus ille, qui ibi debet cænare. Magnum est facinus, inuidere orbi spiritum sanctum, et panem vitæ. Sine his enim non habet esse Christus in nobis. Sine his tu non diceris Christianus, etiamsi Christum prædicaueris, et catechumenos feceris. Hæc sola ratio tropistas cum frigidis suis symbolis destruit. Nam si symbola ibi sunt rerum verarum, alicubi sunt res illæ veræ. Alicubi est vera noui hominis generatio, alicubi est vera corporis Christi manducatio: alioqui symbola hæc essent symbola nihili.

Trans-
substan-
tiores.

De Papistica transubstantiatione, in albedinem so-
lam transelementatione, et panis annihilatione, hic
inuitus loquor. Magis miror, an sensus communes
in cerebris illis circuncisis reliquerit fatanas, vt de
pane faciant nobis non panem, vtque pro pane albe-
dinem habeant venalem. Nam pro albedinis bucella,
sine vino data, pecuniam nos numerare sacrificuli co-
gunt; vt vere dixerit propheta, nos pecuniam appen-
dere pro non pane, Esa. 55. et sacrificare super albe-
dines, Esa. 65. et hostias nobis a Babylonicis sacer-
dotibus vendi, Baruch. 6. Vsq̃ue adeo sunt in repro-
bam mentem dati, vt carnem ipsam Christi dicant, a
brutis, canibus, et muribus, sub illa albedine come-
di. Et ob id Lombardum contradicentem damnarunt,
vt habetur in articulis Parisiensibus, et lib. 4. senten-
dist. 13. Pudet me amplius fanatica hæc monstra
comminisci. Sed has duas infero prophetarum regulas.
Prima, Papistica omnia dogmata esse doctrinas dæmonio-
rum, et meras illusiones. 2. Thess. 2. et 1. Timot. 4.
Secunda regula, Papistica omnia dogmata tracta esse
de libro signato, et septem sigillis clauso, vt ne verbum
quidem

quidem vnum in eo viderint. apoc. 5. et Esa. 29. Nunquam profecto tanta fuit cæcitas in populo Iudaico: et eo maior est cæcitas, quod dicunt, se errare non posse. Noli igitur, lector, mirari. Nam ita oportuit Babylonios inebriari, Sodomitæ cæcitate percuti, et Aegyptiis horribiles tenebras induci. Percussurus erat Deus legis suæ transgressores amentia, cæcitate, et stupore cordis, ut palpent in meridie, sicut palpat cæcus in tenebris, Deute. 28. Consequens ex his sequitur, errare Papistas in eo, quod fingunt, transelementatiam, annihilatiam, sacramentatiam, aut nescio quam aliam virtutem, in prolatione illorum verborum, Hoc est corpus meum. Quæ verba sui canonis Babylonica institutione a nobis legi prohibent: sed soli sacrificuli ea magno boatu super azymam hostiam sufflando proferunt. Veritas tamen ipsa nos docet, ea verba esse tantum enunciativa, rem actam designantia, et a Christo postea prolata. Nec a nobis ita proferri est necessarium. Mentitur sacrificulus, dicens, hoc est corpus meum. Sed illi propopœia quadam fingunt, se esse Christos, cum sint Antichristi. Nihil eorum, quæ ipsi ibi agunt, præcepit Christus: sed gratias agens fregit, et distribuit panem. Quæ gratiarum actio dicitur benedictio: sicut Christus benedicens, et gratias agens, panem fregit Luca. 24. Matt. 14. et 15. Eam ipsam gratiarum actionem Marcus vocat benedictionem ca. 8. et Paulus, 1. Cor. 10. Ipsamet gratiarum actio est benedictio, seu laudatio Dei: sicut fidelis ille Abrahamæ famulus gratias agendo benedicebat, et benedicendo gratias agebat, Genes. 24. Idem de Salomone et populo legitur 3. reg. 8. Formulas in hac re obseruandas scribere non licet, ne fiant Babylonica et ceremonialia præcepta. Ipse Christi spiritus suis ministris abunde suppeditabit, modo fiant omnia ad eius et apostolorum imitationem hanc.

Conueniebat olim ecclesia, conueniebant apostoli, siue
seniores,

seniores, cum reliquis Christianis, ad frangendum panem, a quouis sponte oblatum. Ibique historia cænæ cum ipsis Christi verbis, ut a Paulo referuntur, pro concione recitatis: seu quo alio modo, Christi et mortis eius tunc instantis et beneficiorum eius commemoratione celebrata: gratias Christo agendo, ac eius benedictionem imprecando, et frangendus oblatus panis, et distribuendus, tanquam pluribus vnus. Tunc si quis panem illum dicat esse corpus Christi, verum dicet. Nam propter illam charitatis vim in fide Christi radicatam, propter illam mortis eius, ac tantorum beneficiorum commemorationem, cum debita gratiarum actione, propter illam panis fractionem et communicationem, communicato ipsi Christi ecclesiæ pane nostro, se ipsum Christus nouo homini fideli communicat, non propter verborum formulas. In ea autem benedictione gratiæ Christo sunt agendæ, de tot passionis suæ beneficiis, de tanta in nos Charitate, et quod ad tale sui corporis conuiuium sola sua gratia nos admiserit. Oratio etiam dominica commode adhibetur, ut nobis tunc detur panis epiusios, panis quotidianæ sustentationis, de manu Christi sanctus, magis ad nos adueniat regnum ipsius, et reliqua. Denique orandus Christus, ut interne compleat id, quod eo symbolo nobis indicauit. Hoc conuiuium vocarunt antiqui *τῆς ἀγάπης σὺναξις*. Epistola Iudæ charitates nostras vocat conuiuia hæc ecclesiæ, pauperibus ob charitatem exhibita. Paulus beneficentiam vocat illam panis et vini largitionem. Beneficentiæ, inquit, et communicationis ne obliuiscamini, Heb. 13. Ob hoc dicta est *εὐχαριστία*, eucharistia, bona gratia, Christianorum inter se comitas, et charitas, cum gratiarum actione. Sicut charitate, qua nos dilexit Christus, se ipsum pro nobis tradidit, ita instante passione, in sui commemorationem hoc sæpius fieri præcepit, charitatem tunc in cænæ sermone maxime commendans, per quam ecclesiæ

ecclesiæ vnitas seruetur. Quotiescunque, inquit, hæc feceritis, facite in mei commemorationem. Commemoratio hic fit magnorum Dei mirabilium, Christo ipso escam Dei nobis dante. Memoriam facit mirabilium suorum misericors et miserator dominus, escam dedit timentibus se. Non solum igitur passionis Christi beneficia ibi commemorabimus, sed et in memoriam eius bona nostra trademus et communicabimus, sicut se Christus nobis et pro nobis tradidit et communicauit. Hanc charitatem nos Christo debemus, qui eam prior in nos exercuit. Nos omnes, si facultas adsit, panem et vinum nostrum, quantum sponte visum fuerit, tradere ecclesiæ debemus, vt fiat communio. Idque quotidie faciendum. Nam sicut quotidie externus homo indiget alimento, ita et interpus. Qua ratione panem quotidianum in oratione dominica precamur. Sicut quotidie visui datum est lignum vitæ ipsi Adam, ita et nobis quotidianus est eius vsus, vt cælesti illa paradisi vita viuamus. Quotidie manna vescebantur Hebræi, quibus nos non sumus deteriores. Quotidie apostoli eo pane vescebantur, acto. 2. et 6. Olim iussit Deus esse iugiter panem super mensam suam, coram facie sua, qui ob id panis faciei, siue panis præsentiae Dei dicebatur, Exo. 25. Num. 4. et 1. Samu. 21. Errant igitur turpissime, qui aut semel in anno, aut post trimestre eucharistiam celebrandam docent. Tanto spiritus et charitatis seruire hic panis in prima ecclesia quotidie offerebatur, cum reliquis aliquando bonis, vt quotidie in ministrando mensis occuparentur apostoli, et cogerentur ad hoc opus alios ministros instituere. Tanta erat copia, vt desolatæ viduæ inde nutrentur in ecclesia, acto. 6. et 1. Timothe. 5. Bona sua sponte communicabant ad inuicem illi primi Christiani, cænæ communioni aliam aut quorundam aut omnium bonorum communicationem adiicientes, qui ita volebant, acto. 2. et 4.

K.

sicut

sicut olim plus quam necessarium esset, offerebat sponte populus ad huius corporis ecclesiae aedificationem, Exo. 36. et 1. paralip. 29. Non est illis credendum, qui aiunt, fuisse in ecclesiis Bachanalia conuiuia sine caena domini. Paulus aperte docet, fuisse caenam domini. 1. Cor. 11. quae et per singulas domos quotidie fiebat, acto. 2. Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine Christi, in memoriam mortis eius communicantes, ibi est caena domini, et Christus in medio eorum. Hoc modo intelligendum est in actis apostolorum, primos Christianos fuisse coniunctos, frequenti videlicet caenae communicatione, et habuisse omnia communia, promptitudine ipsa communicandi: non desertis singulorum omnium domibus, ut monachi hodie fingunt. Constat ibi semper fuisse priuatas domos, quas passim vendebant, ob communicationis charitatem, non ex voto aliquo, aut necessitate.

Charitatis etiam est opus, pauperibus, peregrinis, et itinere fessis, pedes lauare, seu seruilia quauis ministeria exhibere, ut in ipsamet caena docet Christus. Et bona nostra, et operam nostram indigentibus debemus, instar Charitatis Christi. Ea lotionem duo nos docuit Christus, charitatis opus humile, et debere nos mundos accedere.

Aliud ex caena collige charitatis argumentum, ut scias, qua ratione te oporteat fratrem tuum diligere, et ei communicare. Ipse tecum vnum est, sicut tu es vnum cum Christo, et sicut Christus est vnum cum patre, Ioan. 17. Vnus Christus substantiam interni tui hominis efficit, sicut substantiam illius. Vnum tecum est frater tuus substantialiter, ut vnum illum non diligens, qui vnum est cum Christo, Christum ipsum, qui in te est, et vnum tecum est, diligere nequeas. Substantialiter vnum tecum est frater tuus in vnam Christi substantiam, et maiori nexu tibi iungitur, quam alii fratres, ex eodem patre et matre naturaliter geniti. Nam eundem spiritum, eandem

dem carnem, eundem sanguinem, et eadem ossa tecum habet. Vnum corpus estis, et vnus spiritus, ex eadem carne, et eisdem ossibus. Maior est hæc nostra cum Christo sponso coniunctio, quam viri et vxoris, qui in carnem vnâ sunt vnum. Plus communicationis cum ipsâ Christi substantia habet noster internus homo, quam habuerit mater eum in vtero gerens, in quantum carnalis mater. Matth. 12. Ille vere est pater et mater Christi, qui eum in credentium cordibus vere generat. Ille est vere frater et soror Christi, qui filiationis eius est vere particeps. Mundana hæc omnia, fratres, matres, et patres, facile sunt propter Christum omitturi, qui communicationem Christi gustarint. Atque ita vere centuplo plures fratres, matres, et patres, in hoc seculo per Christum lucrifacturi. Perspicua magis hæc erunt libro sequenti, cognita interni nostri hominis substantiali formatione. Tunc denuo completam videbis Christi prophetiam, Ioan. 14. In illo die vos cognoscetis, quod ego sum in patre meo, et vos in me, et ego in vobis, substantialiter. Nam qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo maneo substantialiter.

Magna quoque huius charitatis vis ex lege colligitur. Nam complementum legis, quod est charitas, hic in nobis completur. Operum legis iustitia (quæ erat, vt qui faceret ea homo viueret in eis) ex abundanti hic quoque completur: vt hoc nos faciendo, in Christo viuamus, ac in ea cælesti Christi vita feruemur. Sicut filii Israël fide et baptismo Iordanis sunt in terram ingressi, adepta promissione: et postea, vt in terra illa seruarentur, leges alias acceperunt, quas faciens homo viueret in eis: ita nos fide et baptismo ad Christi regnum assumpti hoc charitatis Christi ministerium, velut legis complementum, seruare debemus, vt in cælesti hac Christi vita feruemur. Seruamur ita, sicut in paradisi vita per lignum vitæ seruabatur Adam. Magna igitur est huius ministerii vis, quod ad omnium consummationem est

a Christo tam solenniter institutum.

Nunc de præparatione, quæ ad cœnam domini requiritur, et de confessione, id solum dicamus, quod est sacris literis proditum. Incircuncisis et immundis non licet hanc cœnam manducare, Exo. 12. et Num. 9, passim iubet lex eorum animas excindi, qui immundi accedebant ad esum sanctificatorum: id quod umbra fuit huius veritatis. Antequam igitur ad mensam domini accedas, te ipsum probabis, ne indigne sumas, sicut Paulus ait, Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim indigne sumit, reus est corporis et sanguinis domini. 1. Cor. 11. Probatio vero ea est, quam docet idem Paulus, dicens, Vos ipsos probate, num sitis in fide. 2. Cor. 13. Qui seipsum probans, in seipso Christi spiritum placatum non agnoscit, aut conscientiae remorsum abstrahentem sentit, abstinere tunc debet. Peccabis, si hæsitans manducabis, non ex certa fide. Abstine igitur, ieiuna, ora, Christo confitere delicta tua, et ab eo veniam pete. Vade, reconciliare fratri tuo, si habet aliquid aduersum te, delictum tuum, si eum offendisti, non negando, sed ingenue id illi confitendo, ut post Christum Iacobus docet, Marci 5. et Iaco. 5. Ita debemus alterutrum delicta confiteri, et reconciliari. Si incidat inter aliquos iurgium, et quisque eorum se inde iustificet aduersarium reum faciens, rei ambo inuenientur. Si autem quisque eorum se coram alio reum faciat, tunc concordia diuina nascetur, et inde ambo ad cœnam domini proficiscuntur. Si de re aliqua quis adhuc hæsitat, peritis se ministris ostendat, ecclesiae presbyteros consulat: qui eum instruent, in fide firmabunt, et pro eo orabunt. Si quem in aliquo fraudauerit, restituet antequam ad iudicem veniatur. Confessio igitur hæsitanti prodest, ad extirpandam conscientiam malam. Potestas ministris est, remittendi peccata, et reconciliandi homines Deo. Qui contempserit iudicium, in cœ-

na il-

na illa malum accipiet, vt plerofque ibi iudicari docet Paulus. Est ergo ad cœnam domini præparatio, quafi ante baptifmum pœnitentia, vt fiat ibi remiffio aliqua, et fanctificatio maior. Vt in lege quis tangendo carnem fanctam fanctificabatur, ita et nunc corde tangendo. Cœna domini myfterio quodam in fe continet vetera facrificia, tam expiatoria, quam euchariftica. Charitas cœnæ peccata multa operit, ne accedenti imputentur. Sanguine in remiffionem peccatorum effufo, nos tunc potans Chriftus, peccata remittit, fordes videlicet, et immunditias, quæ fuperuenerunt. Qui lotus eft, indiget adhuc, vt pedes lauet, id eft, fordes in via contractas emundat. Non communicaret nobis Chriftus fe ipfum, nifi vas noftrum mundaret, cum non cadant in vas immundum talia dona. At non omnes mundantur, ficut non omnes vere manducant. Quemadmodum non omnes, qui euangelii audiunt prædicationem, in terram bonam femen excipiunt: et non omnes, qui baptizantur, vere regenerantur: ita non omnes, qui menfæ accumbunt, Chriftum vere manducant. Quin potius cum Iuda Ifcariote fatanam in pane illo deuorant, iudicium fibi manducantes, et ea ipfa iniqua manducatio iudicabit eos. Non funt externis fymbolis dona Dei ita alligata, vt cuius conferantur: fed funt ecclefie Chrifti ministeria, internis donis decorata, in gratiam fidelium. Baptifmum et cœnam ita debemus nos ministrare, ac fi femper fequatur effectus: quia ad id funt inflituta. Quod fi non fequitur, culpa eft indigne accedentium.

Circa cœnæ œconomiam id dicimus obferuandum, ne diuites, qui panem offerunt, plus aliis fumant, aut priuatim cœnent. Schifmatum hinc fuit origo varia, et vndique perniciofa. Quemadmodum lex damnat priuatas oblationes, Leuit. 17. ita nobis damnantur priuatæ cœnæ, fine ecclefie communionem factæ. Paulus merito arguit eos, qui

pauperibus esurientibus inebriabantur, aut priuatim cænabant. Non potest Christus esse diuifus: ergo non potest cæna esse diuifa. Diuideretur vero, fi ifti fint feorfim membra, illi feorfim membra, et non faciant vnum corpus. Vnum corpus effe debet, per vnum confenfum participans. Vnus panis in cæna effe debet, non vna furni torta, fed in vnitatem communionis a quibusuis oblatus. Panis a quouis fuper menfam domini oblatus, non debet effici priuatus, fed æque omnibus communicari et frangi. Alioqui non feruaretur myfterium corporis domini, quod æque pro omnibus traditum eft. Falfa tunc effet illa propositio, Hoc eft corpus Christi: propter eius a corpore Christi difsonantiam.

De vino eadem eft ratio, nempe oblatio fpon-
tanea gratiarum cum benedictione, actio, et com-
municatio. Fuit autem vini communicatio neceffa-
ria, et ob fanguinis myfterium, et quia ratio cænandi id exigit. Ad iuftam enim refectiõnem, fi detur, et fi egeas, licet tibi panem manducare, et bibere ad fobrietatem. Ita de esurientibus contra ebrios docet Paulus, et citat Tertullianus. Sicut ad iuftam refectiõnem olim quisque vefcebatur carnibus agni, et cæleſti manna: ita et in cæna domini, quæ ibi figurabatur. Eodem charitatis fymbolo pauperes potamus, ficut cibamus. Præterea hoc addit vini fymbolum, quia habemus ibi fignum fœderis noui, i. e. remiffionis peccatorum: ficut dixit ibi Christus, effe fanguinem noui testamenti, pro remiffione noſtrorum peccatorum effufum. Oportet igitur, fi ratum nobis effe volumus Christi pactum, vt ficut fanguinem fuum ille pro nobis effudit, ita nos in eius beneficii commemorationem, gratias agendo vinum noſtrum effundamus, communicemus, remiffionem peccatorum nobis prece-
mur, et nos ipſos probemus, ne indigne bibamus. Quan-
quam vero nulla ratio fuaderet, vinum effe communican-
dum, communicari tamen oporteret, vrgentibus Christi
ver

verbis: a quibus non licet nobis vel latum vnguem discedere, nisi bestiae instar velimus euertere instituta Dei, et mutare leges altissimi.

Qui nec panem, nec vinum ad cœnam offerunt, nihilominus communicabunt, gratias Christo agentes, et orantes, vt Christus, qui seipsum pro ecclesia tradidit, eo eucharistiæ symbolo se velit ecclesiæ communicare, omnes sui corporis et sanguinis participes facere, ac omnes in vnum corpus, per mutuam charitatem magis ac magis ædificare. Hæc charitas fidelibus omnibus sufficit, vt fiant corporis Christi participes. Beatius tamen est dare, quam accipere. Beatius tibi erit, si Christum ipsum tu in tam multis membris nutrias, quam si te alius nutriat. Ecce quanta sit vis huius charitatis, vt Christum ipsum tu ibi substantialiter nutrias, et in multis crescere facias: ipse quoque te substantialiter nutriat, et crescere faciat mutua charitate. Peculiare hoc est signum, per quod voluit Christus cognosci, nos esse discipulos ipsius, si charitatem habuerimus mutuam: non verbis, sed factis ipsis expressam et auctam.

Alias escas præter panem et vinum ad cœnam domini non offerunt Christiani, quanquam in lege carnibus agni cœnaretur, typo veræ carnis agni immaculati Iesu Christi, quæ nobis est vere cibus et vere cœnanda datur. Docuit nos hic Christus rem facilem, quæ iugiter in vsu esse possit. Poculum alterius rei sufficiet, in prouinciis vino carentibus: idemque erit charitatis et communicationis symbolum. Sufficiet eadem ratione panis alterius grani, si frumento careamus. In eisdem duabus rebus, cibo et potu erit cœna Christi, in quibus esse solent aliæ cœnæ. Quanquam indignum sit, si quis deteriora offerat, grata tamen animo accipiendum est. Docuit nos hic Christus

euangelicam paupertatem, ut non solum parce temporalibus fruamur, sed et indigentias quasuis alacriter feramus: cum praesertim ille carnem suppeditet, nobis panem et vinum offerentibus.

Panem et vinum hic offerri dico, non ad eum modum, quo a Papistis in sacrificio Babylonico fit ceremonialis oblatio: sed quia Christiani panem et vinum offerebant et donabant. Vnde nomen sumpsere offertorium et missa. A panis et vini offertorio, seu largitione illa dicitur missa. Vox illa est vulgaris Syriaca, seu Chaldaica. Chaldaeorum lingua, quae apostolorum tempore apud Iudaeos erat vulgaris, dicitur

Missa. מִסָּה missa, quasi largitio, oblatio, seu pensus quidam spontaneus. In eadem significatione Hebraice scribitur missah, cum finali aspiratione, quae in prolatione omittitur. Eius missae meminit Moses Deut. 16. ubi missam spontaneam vocat. Ibi dicitur ex collectis terrae frugibus de area, et torculari tuo, ad commune pauperum, viduarum, et peregrinorum conuiuium, missa spontanea, largitio spontanea, diffusio spontanea manus tuae charitate liquefactae: iuxta vim verbi מָסַח mas, quod est liquefacere, diffundere, sicut se charitas diffundit. Missam, inquit, spontaneam, seu largitionem spontaneam manus tuae, quam dabis iuxta benedictionem domini Dei tui, et epulaberis
a eorum domino Deo tuo, cum paupere, peregrino,
e vidua. Nostrum igitur munus est missa ipsa, non Babylonici sacrificuli. Nos benedictionem nostram ipsi ecclesiae largimur, non sacrificuli illi, qui aliena semper deuorant, et sua nunquam largiuntur. Ipsum donum est scripturis benedictio, sicut Deus nobis donans, nos benedicit. Quisque nostrum est sicut Melchisedech, rex et sacerdos, ipsi familiae Abrahæ panem et vinum proferens, et benedictionem. Est itaque missa, donorum benedictionis Dei diffusio quaedam, communicationis defluxus, largitio illa offertorii, quam nos liberali
et diffu

et diffusa manu ipsi ecclesiæ sponte offerimus, et largimur, vt Deus nobis largitus est. Ita se ibi charitas Christiana diffundere debet, vt Deus suam in nobis diffundit, non solum nobis externum panem et vinum benedictione sua, et cælesti pluuiâ donans, sed et corda nostra cælesti alia irrigatione perfundens, vt alterius panis et vini internus prouentus in nobis fiat. Nimirum igitur, si tam frequens erat olim missa et frequens hoc ad mensam domini, panis et vini offertorium, vt apostoli ob id ipsum quotidie occuparentur in ministrando mensis actio. 6. Nota tunc erat hæc Christianæ Charitatis vis, quæ iamdudum nobis periit. Quoniam, inquit, abundauit iniquitas, refrigescet charitas. Vestigium tamen hoc de panis et vini offertorio in nostri seculi missis hodie videmus: quanquam Papistæ missam suam pro Babylonico quodam ceremoniali ritu nunc vsurpent, mira illusionis efficacia. Petri traditionem iactant, et non vident, quam longe a Petri traditione recesserint. Nam Petrus in populi missis, seu panis et vini largitionibus, gratias Deo agens, orationem dominicam, et verba cænæ domini referebat, quando panem singulis distribuendum frangebatur. An propterea ceremonialis hic ritus Papisticus missa dicetur? Vnde missa? Admiratione profecto, et stupore duceretur nunc Petrus, si mimicum hunc ludum videret, a mitratis illis, cucullatis, et rasis, cum vestimentis illis ita celebrari, vniuerso populo tam insigniter idololatrante. Papisticæ huius missæ originem hinc licet colligere. Nam initio nascentis ecclesiæ antequam liceret publice congregari, in singulis domibus erant ecclesiæ, et per singulas domos, frangebatur panis. Ex quibus conuiujs per singulas domos, vocato vno aut altero presbytero, factis, orta est occasio priuatæ Papisticæ missæ, ab vno sacrificulo factæ. In qua multis adhibitis histrionicis pompis, et ceremonialibus picturis, solus ille comedit, aliis spectaculum

obseruantibus. Nulla igitur in Papistica missa ex panis et vini offertorio sit nunc eucharistia, nec communio aliqua. Panis ille offertorii non in communionem frangitur, sed a sacrificulis rapitur, ut oblata olim rapiebant Babyloniorum sacerdotes. Imo pecunias nunc videmus pro viuis offerri, panem et vinum pro mortuis, et candelas pro idolis. O facinus horrendum. Mortui mortuis offerunt panem et vinum ad cœnandum, candelas idolis, et sacrificulis mammona. Nulla in Babylonica illa missa est eucharistia, nulla communionis cœna, nulla charitas, nulla corporis Christi participatio. Sed velut in synagoga satanæ, sacrificulus sibi soli frangit rotulum azymæ hostiæ, et priuatim deuorat, dicens, corbam, hoc etiam vobis proderit. Ad hunc sane modum rudi plebeculæ imponebant olim pharisæi, sua traditione inuertentes mandata Dei, Matth. 15. et Marc. 7. Detestanda est ibi abominatio, facere Christum priuatum, detestandus quoque azymi panis Iudaismus. Sed infermentati synceritas aliter est nobis seruanda, 1. Corin. 5. Prohibitionis fermenti mysterium impletum est per Christum. In signum tollendi fermenti veteris, a dæmone inducti, quod erat fermentum malitiæ, prohibuit lex, fermentatum aliquod offerre, sed in azymis celebrare. Hinc contrario modo, nos fermento nouo regni cœlorum efficimur noua conspersio azymi synceritatis, sublata dæmoni potestate, nos amplius suo modo fermentandi. Contra Papisticos azymos vide Originem in Matthæum, homilia 35. eius hæc sunt verba: Requirit imperitus aliquis cadens in Ebionismum, Si Iesus celebrauit corporaliter pascha more Iudaico in azymis, conueniet nos imitatores Christi similiter facere. Non considerans, quoniam Iesus, cum venisset plenitudo temporis, factus est sub lege, non ut eos, qui sub lege erant, sub lege relinqueret, sed
 vt ed

vt educeret eos ex lege. Si ergo ideo venit, vt educeret eos, qui erant sub lege: quanto magis non conueniet, illos introire in legem, qui prius fuerunt extra legem? De litera ergo legem egressi, et intra virtutem spiritualem constituti, spiritualiter celebrantes implemus legalia omnia. Expellimus vetus fermentum malitiæ et nequitiae, et in azymis synceritatis et veritatis celebramus pascha. Hæc ille manifeste docens, Ebionitarum hæresim esse nunc Papisticam, quæ azymis et aliis Iudaïsmis abutitur. Nulla ratione potuit Antichristi præceptor satanas, diuinam hanc communionem turpius maculare, quam Iudaïsmos commiscendo, et sacrificulis illis permittendo priuata illa sacrificia, ad priuatum lucrum facta. Qua ratione eiusmodi omnes a Petro et Iuda vocantur maculæ, seorsim conuiuantes in erroribus suis, et semet ipsos pascentes: qui in sua perditione peribunt, cum suo Antichristo, perditionis filio. 2. Pet. 2. Multis illi ornamentis et aureis vestimentis, suam missam, sicut et reliqua omnia depingunt. Sed quod excelsum est hominibus, abominandum est coram Deo. Lucæ. 16. Fucauerunt, inquit, sermones falsos coram domino Deo suo. 4. reg. 17. Scientiam Dei amat Deus, plus quam omnia illa sacrificia, Hoseæ. 6. et psalm. 39. Verbo suo simpliciter obedire vult Deus, non diuinationibus, et adinuationibus nostris, quantuncunque pulchris, et religiose excogitatis: vt vere dicatur theraphisticum scelus, vanitas, et diuinationis augurium, quoquomodo tergiuersari, et glossis circa Dei verbum augurari, 1. Samu. 15. An non vanitatis est diuination, dæmonum figmentum, et Antichristi præludens augurium, ex quibusdam fidei Petri testimoniis regium Papatum inferre? Theraphisticum scelus est, ex detortis quibusdam scripturæ locis idola et cucullas inducere, et
tradi

traditiones varias tanto sacrilegio de libro Dei suffurari. Ne igitur diuinatores dici possimus, faciendum pure nobis est, quod Deus præcipit, non quod rectum nobis videtur. Deut. 12. quanquam id bono zelo nos facere videamur, vt faciebat Saul, dicto cap. e 15. Sicut nos delactamur in adinventionibus nostris, ita Deus delectatur in illusione sensus nostri, Esa. 66. In vanum colitur Deus a Papistis per Papæ doctrinas, et mandata hominum, Matth. 15. et Marci. 7. Abstulit dilectus Deo Christus a Papistica ecclesia carnem sanctam suam, propter illius maleficia, Iere. 11. vt ita delusi super albedines sacrificent, Esa. 65. Comedent, inquit, de fructu viæ suæ, et adinventionibus suis saturabuntur, prouer. 1. Nemo igitur miretur, ablatam a nobis esse cænam, cum præsertim sine baptismo non possit esse cæna. Hic ipse iugis et perpetuus panis est, תמיד *thamid*, iuge illud, quod Antiochus suis decretis nobis eripuit, vt ait Daniel. Nam iugis est huius panis oblatio, et iugiter esse voluit Deus panem hunc coram facie sua. Aliud item erat, iuge sacrificium, de quo Exo. 29. et Nu. 28. quod per Antiochum est sublatum. Iugis erat ignis coram domino, et alienus interdicebatur, Leui. 6. 10. et 24. Per Antiochum vere extinctus est ignis spiritus sancti in ecclesia, et ignis alienus inductus. Nihil ille integrum reliquit.

Ex hoc toto tertio libro inferas, ministeria noui testamenti esse ministeria spiritus, propter spiritus arcanam et internam efficaciam. 1. Cor. 4. et 2. Cor. 3. Spiritus ratione est interna euangelii prædicatio, interna generatio, et interna manducatio, sicut per spiritum data est nobis lex interna, scripta atramento, et tabulis internis. Externa vero data sunt ministeria, vt tesserae, et indicia certa internæ actionis, vere præsentis. Det nobis Iesus Christus ministeria hæc ita seruare, vt sit ipse semper in medio ecclesiæ. Amen.

D E O R D I N E MYSTERIORVM RE- generationis.

LIBER QVARTVS.

Propius iam ad peculiaria baptisimi myſteria accedentes, vt doctrinam, pœnitentiam, et fidem, prærequiri oftendamus, Chriſti ſermones nobis vnice obſeruandos in animo primos reponemus, vt quemadmodum ab eo præceptum eſt, verorum diſcipulorum inſtar nos exequamur. Obſeruandum item, quid egerit ipſe, quid apoſtoli, vt ex eorum dictis et factis diſcamus ſapientiam.

Quod doctrina Chriſti prima requiratur, ipſius doctoris verba manifeſte nos docent. Matth. vltimo. Doctri-
na. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. Concedemus cuiquam mortalium, vt ordinem, vim verborum, ipſaque Chriſti verba nobis ſuffuretur? Imo nec apicem vnum de verbis Chriſti nobis inuerti permittemus. Chriſtus ait, Docete baptizantes. Pædobaptiſtæ aiunt, Baptizate non docentes. Omitto verbum, Euntes: quod indicat, miſſum a Chriſto eſſe debere miniſtrum. Doctrinæ nunc ordinem et in eo dicto, et in aliis obſeruo. Primum omnium, quæ Chriſtus egit aut præcepit, fuit docere. Docerat autem pœnitentiam, et fidem, dicens, Reſiſcite, et credite. Quanquam vero nullus verborum Chriſti ſit ordo, quanquam prius et poſterius te non moueant: tamen ea verba eſſe coniuncta, negare non potes. Ergo qui baptizat, non poteſt Chriſti præceptum exequi, niſi doceat baptizans. Iuxta vim relatiui eos, intelligi oportet, Docete omnes gentes, baptizantes eos, ſcilicet,

cet, quos docuistis. Quid hic vos dicetis pædobaptistæ? Baptizate eos, quos docuistis, ut Christus præcepit. Græca vox *μαθητεύσατε*, proprie significat, discipulos facite, baptizando eos. Adde, quod Christus in eo præcepto bis meminit doctrinæ, ante baptismum, et post. Primo dixit *μαθητεύσατε* baptizandos. Secundo dixit *διδάσκοντες* baptizatos. Primo in pœnitentia et fide initiandos omnes præcipit. Postea addit, dicens, docentes eos seruire omnia, quæ præcepi vobis, nempe charitatem, et cænam. Quæ omnia esto sint semper docenda, tamen ante baptismum non est necessarium ita docere, sicut pœnitentiam et fidem. Ex Marco etiam habemus verba Christi, quæ nolim accipias, ut verba libri signati, sed ut verba viua: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit. Qui crediderit, me esse Messiam filium Dei, et in hac fide baptizatus fuerit, saluus erit. Ecce regulam Christianismi, credere et baptizari. Non solum ordo verborum Christi prius credendum docet, sed quia prædicandum antea præceperat. Ite, inquit, prædicate euangelium. Prædicate, me esse filium Dei, qui in cælis regno, et mihi credentibus omnia dono. Qui ex audientibus id crediderit, et credendo baptizatus fuerit, saluus erit. Videant pædobaptistæ, quod totis euangeliiis Christus egerit, ut eius imitentur vestigia. Primum quod Christus egit, fuit, pœnitentiam et euangelium regni prædicare, ut resipiscerent et crederent. Nouissimum autem, quod præcepit, fuit baptismus. Vbi iterum præceptum de prædicando et docendo, quod prius dederat, repetens, præmisit dicens, Docete, ut credant, et credentes baptizate. Item ut omnis Christi actio sit nostra instructio, Christus tricesimum agens annum baptizatus est, Lucæ. 3. Idque magna mysterii et perfectionis ratione: cum illa sit ætas viri perfecti, et plane adulta Christi, in qua quis efficitur capax mysteriorum regni, in qua fit vera hominis innouatio et resurrectio. Christus insuper orans baptizatus est, ut ait Lucas: er

cas: ergo nos orantes debemus baptizari. Christus et apostoli statim post baptismum prædicare cœperunt: quod pædobaptizati facere nequeunt. Rogo te per Deum, lector, an temere factum putes, quod sit Christus anno tricesimo baptizatus? Et an debeat homo christianus ad imaginem Christi baptizari? Conferamus iam et coniungamus euangelistarum verba. In Marco dicitur, Ite, prædicate euangelium. In Luca vero prædicandam ait pœnitentiam, et remissionem peccatorum in nomine Christi. Ergo si prædicare Christi euangelium, sit primo pœnitentiam prædicare, sit hanc in Christi remissionem peccatorum credentibus annunciare: manifeste sequitur, apud pædobaptistas non posse Christi euangelium secundum hanc rationem prædicari. Nam antequam pœnitentiam alicui prædicent, factam ei iam dudum esse dicunt remissionem peccatorum in pædobaptismo. An non certo tempore quis incipit doceri? An non est aliquod initium pœnitentiæ ex ipsa doctrina? Constat igitur verus ordo ministeriorum ecclesiæ Christi, ut primum omnium sit docere. Christianus omnis a spiritu incipit, et a doctrina incipit. Est vero pœnitentiæ et fidei prima doctrina, eaque tam privatis catechismis, quam publicis concionibus, ut Christus ipse docebat.

Quod autem pœnitentia baptismum præcedat, ultra Pœnitentia.
iam dicta potest ex ipsis Christi et apostolorum actis demonstrari. Nam primum verbum prædicationis Christi fuit, Resipiscite, Vitam emendate, Pœnitentiam agite, Mat. 3. et Marc. 1. Idem in prima sua prædicatione prædicarunt omnes apostoli, Marc. 6. Et post resurrectionem Petrus christi præceptum primus exequens, ad pœnitentiam primo exhortatur, acto. 2. Idem facit ca. 3. et 5. Et Paulus. cap. 20. et 26. Sed nihil apertius, quam Ioannis baptistæ ad Christum præparatio. Totus ipse Ioannes baptista, et vita tota ipsius, typus est pœnitentiæ, fidem Christi præcedentis, sicut Ioannes ipse prior missus est. Christi baptismum præcessit Ioannis baptismus, qui erat professio pœnitentiæ: ad quem venientes confitebantur peccata sua, id est,

sua, id est, profitebantur se peccatores, et malorum pœnitentes. Baptismi ipsius doctrina erat ad pœnitentiam exhortatio, et rigida, ut terrore perculsi auditores contererentur, et resipiscerent. Rigide increpabant Christus et Ioannes pharisæos. Rigide ita bestiam et bestię ministros increpare debemus, si forte aperiat Deus eorum oculos, et dormientes euigilet, ut corde compuncti resipiscant, et impleatur in eis Danielis prophetia, de iis, qui in terræ pulvere dormiunt. Hoc proprium est prædicationis pœnitentiæ, terrorem incutere, ut faciebat Ioannes, ac etiam Christus, Matth. 11. et Lucæ. 13. Pœnitentia ergo non solum a malo conuertit, sed et intus conterit: malum ibi displicet, ubi bonum placet: quod et verbum נחם nacham aperte nobis indicat. Aduerte autem, quod resipiscentiæ primus motus, fidem Christi præcedens, erat quædam ad Deum conuersio cum malorum displicentiâ. Hinc Paulus prædicabat pœnitentiam erga Deum, et fidem erga dominum Iesum Christum, act. 20. Ioannes quoque antequam Christum indicaret hominibus, erga Deum ipsos a malefactis resipiscere docebat, Matth. 3. Hanc pœnitentiam et reliquum baptismi ordinem notauit Ezechiel cap. 36. eripiendos nos esse, dicens, a viis gentium ad fidem saluatoris, effundendam super nos aquam mundam, et dandum nobis spiritum sanctum. Eodem ordine ea tradit Petrus act. 2. Pœnitentiam primo agite, deinde baptizabimini in remissionem peccatorum, in fide et nomine Iesu Christi, et accipietis donum spiritus sancti. Idem docuerat Christus, Resipiscite, et credite: deinde, credite et baptizamini, Marci. 1. et 16. Resipiscant igitur pædobaptistarum infantes, ut baptizari possint.

Aliud rursus pœnitentiæ argumentum colligimus ex verbis apostoli, Heb. 6. Fundamentum nostræ salutis post opera mortua pœnitentiam vocat et fidem. At pædobaptistæ huic fundamento non innituntur, nec sunt ipsi vnquam

quam ab operibus mortuis ad pœnitentiæ, fidei et baptismi sacramentum perducti. Opera mortua idem docet esse, quæ ante patrabamus delicta. Purgabit, inquit, conscientias nostras a mortuis operibus, ad feruiendum Deo, Heb. 9. Et cum essemus mortui per delicta et peccata, Ephes. 2. Ait deinde apostolus dicto cap. 6. fieri non posse eos, qui semel fuerint illuminati, si prolabantur, renouari denuo per pœnitentiam et baptismum. Nec ultra pro peccatis reliqua est hostia, quia vnica est tantum pro omnibus oblata. Vt non est possibile, Christum iterum crucifigi, ita non est possibile hunc ab eius gratia prolapsum, iterum baptizari, cum baptismus fiat in mortem Christi. Quod enim nos fide iustificemur, credentibus peccata remittantur, ac cœlestia donentur, id totum non nostræ fidei meritis, sed passioni Christi adscribendum est. Christus sua passione eam gratiam nobis obtinuit, sicut sua resurrectione in cælum nos euexit per baptismum, nos regeneratione immouando, ipse per regenerationem factus nouus homo. Vnde merito colligit Paulus, applicata nobis debite ea passionis et resurrectionis Christi beneficia, si ea postea perdamus, non posse amplius recuperari, sicuti nec potest Christus denuo mori pro nobis, vt iterum in mortem eius baptizemur. Relapsus hic hominem non intellige, qui post baptismum Christi peccatum quoduis commisit. Sed relapsus, seu a gratia Christi prolapsus intelligit Paulus eum hominem, qui semel a Christo per baptismum regenitus et illuminatus, eius postea fidem abnegauit, ad Paganismum vel Iudaismum reuersus. Talis nunquam amplius baptismi gratiam, sancti spiritus ac regni cœlestis donum recuperare poterit. Peccatum maximum est in spiritum sanctum, si quis illuminatus, postquam cœlestia spiritus sancti dona gustauit, Ethnicus denuo fiat. Hoc est peccatum, pro quo Ioannes ait, non esse orandum. Quid si talis pœniteat?

L.

Respon-

Respondeo, Id Dei est iudicium, eiusmodi scienter relapsos esse ita indurandos in reprobam mentem, ut nec poenitere possint, nec curent, et quamvis curent, in regnum tamen caelorum non ingrediantur: sicut nec Adam est per poenitentiam in voluptatis paradysum reuersus, nec Esau per poenitentiam primogenita recuperavit. Eandem sententiam repetit apostolus cap. 10. Si is, qui iustificatus est, se post adeptam cognitionem veritatis subduxerit, non probabitur animo meo, nec ei pro peccatis reliqua est hostia. Subducunt autem se in perditionem, qui a fide Christi ad Iudaismum vel Paganismum deciscunt. Idem tradit cap. 12. Curam, inquit, agentes, ne quis sit, qui deficiat a gratia Dei. Nam tunc argumento Esau probat non esse locum poenitentiae, quamquam ea postea cum lachrymis petatur. Monet apostolus Hebraeos, ne in Iudaismum relabantur, Christum abnegando, ut olim solebant post Deos alienos saepius ire et redire. Nam puerorum instar carnales homines ferebantur quouis vento doctrinae. Illi etiam pluries soliti lege baptizari (ut hodie Iudaeos et Muhametanos pluries seipsos baptizantes videmus) pluries etiam soliti offerre hostias, et sanguinis effusiones, arbitrabantur, nostrum quoque baptismum repeti posse, ut Mahometus arbitratus est, ex legis et Ioannis baptismi repetitione deceptus. Non intelligens, quod nihil ad perfectionem duxit lex: Christi vero acta sunt ad perfectionem consummata. Vanas ergo esse illas repetitiones, docet merito Paulus. Nam cum sit nexus quidam baptismi cum veris ipsis Christi mysteriis, semel tantum peractis, quae omnia vere in nobis imprimit baptismus, non potest ille denuo repeti, sicut nec Christus potest denuo mori et resurgere. Cum baptismus sit viuum Dei opus, non potest ad mortua opera denuo reduci. Non rursus, inquit, fundamentum iaciamus poenitentiae ab operibus mortuis, rursus

rursus fundamentum fidei. Non eos imitemur, qui ad opera mortua relapsi, repetunt denuo pœnitentiam, denuo fidem, et doctrinam baptismatum, catechismum baptismorum, quasi sint multa baptisinata, vt erant Iudæis. Improbans hic Paulus multa baptisinata, docet, coniunctam esse baptismi doctrinam, sicut ait Christus, docete baptizando. Videamus iam, quem sensum faciant pædobaptistis hæc verba. Nam impossibile est ipsos relabi, cum nondum sint erecti: sed iacent adhuc in veteribus peccatis, et mortuis operibus. Nondum euangelicam illam primam pœnitentiam, nec remissionem illam peccatorum nouerunt, qui in baptismi regeneratione continetur, cum ibi sit veræ pœnitentiæ et fidei complementum. Antea enim resipiscere vere nemo potest, nec in nouam vitam transferri, nisi novo spiritu donatus. Pœnitentia, quæ præcessit, est quasi ex prædicatione Ioannis, præparatio quædam. Quæ vero coniuncta est baptismi pœnitentia, est ex prædicatione ipsius Christi vera resipiscencia, quam et Christus ipse agere dat. Non est vera pœnitentia ante baptismum, sicut nec fides viua, antequam datur spiritus viuificans. Sed est tantum præparatio quædam, eo modo, quo Ioannes baptista plebem domino præparabat.

Ex dictis vero nascitur quæstio, Nouatianos exagitare solita, An relapsos illos ecclesia respuet? Nulla ratione. Nescimus nos, quis plene fuerit illuminatus. Nescimus, quis ex animo Christum negarit. Dñō sunt interna iudicia seruata. Nos quod nostrum est, faciemus, amplectendo venientes, etiamsi intus fingant. In ecclesiæ sâgena sunt pisces boni et mali, semen bonum et zizania, Matthæi 13. Pœnitentia ergo semper ducit ad ecclesiam, ante et post baptismum.

Quod vero post pœnitentiam, et simul cum ipsa
Fides. pœnitentia fides ante baptismum, et in ipso baptismo
 requiratur, vltra iam relata Christi verba plerosque
 alios habemus scripturarum locos, et apostolorum
 praxim, quæ omnia fidem præcedere docent. Vt
 acto. 8. si ex toto corde credas, baptizari licet. Spe-
 cta ibi, qualis sit fides illa ad baptismum requisita.
 Credo, inquit, filium Dei esse Iesum Christum. Hæc
 est fides catholica, ad baptismum requisita, quæ tri-
 nitarios sophistas in regno bestię perpetuo latuit, vt
 nec crediderint vnquam, nec credere nunc possint, Iesum
 illum crucifixum esse verum filium Dei: et in eius nomi-
 ne baptizari. Eodem cap. 8. dicitur, Samaritanos, cum
 credidissent, fuisse baptizatos. Crediderunt Philippo
 euangelizanti de regno Dei, et de nomine Iesu Christi.
 Regnum Dei euangelizabat ibi Philippus, id est, iam
 venisse annunciabat: id quod Samaritani adhuc hodie
 non intelligunt: sicut de aliis refert Christus, qui
 sermonem regni audiebant, et non intelligebant. Ite-
 rum ibi dicitur, quod Simon ille magus credidit, et
 baptizatus est. Item acto. 16. prius iussus est custos
 carceris credere in dominum Iesum, et postmodum
 baptizatus est. Et acto. 18. multi Corinthiorum au-
 dientes credebant, et baptizabantur. Archisynago-
 gus prius credidit domino cum tota domo sua, et
 deinde omnes baptizati sunt. Ad idem acto. 11.
 19. et Ephef. 1. dicitur, Cum credidissemus in do-
 minum Iesum, et postquam credidistis. Idem or-
 do præcedentis fidei probatur Ephe. 4. et Heb. 6.
 Efficaciter idipsum ostendit Paulus Rom. 6. si eius
 verba quis acutius scrutetur. Nam Christianos o-
 mnes ait per baptismum cum Christo esse mortuos,
 et omnes, qui sunt per baptismum cum Christo
 mortui, esse iustificatos a peccato. Ergo si omnes
 rite baptizati sunt iustificati, necesse est, omnes cre-
 dentes fuisse baptizatos, cum iustificatio sit ex fide.
 Omnes baptizatos ait Christum induere, Gal. 3. Indue-
 re quis

re quis non potest Christum sine fide: ergo baptizari non potest sine fide. Præceptum Christi, in actis Paulo datum, necessario probat, omnes a Paulo vocatos debuisse per fidem vocari, cum non ad baptizandum miserit eum dominus, sed ad euangelizandum. Non hoc in baptismi contemptum, sed quia euangelii prædicatio præcedere debet, quia maior in euangelizando, quam in baptizando, peritia requiritur, et quia Paulus alios comites habebat, qui baptizabant, ipse quoque aliquando baptizans. Mandatum est Paulo, ut prædicatione aperiat oculos cæcos, ut fide conuertantur act. 26. In pædobaptismo nulla est ad Deum conuersio, nec oculorum mentis apertio. Mandati Christi executionem candidè seruauit Paulus, fidem prædicando. Multa ideo de fide semper loquitur, Iudæorum cæcitate id exigente, qui spiritualem fidei Christi iustitiam esse carnali iustitiæ operum legis subrogatam, non agnoscebant. Sciebat Paulus, ad fidem prædicandam se esse missum, et primam esse per fidem vocationem. Pædobaptistæ tamen neminem ita vocant, quia non a Christo, sed a bestia illa, quæ fuit, et non est, præceptum suæ vocationis acceperunt. Aut ostendant nobis, vbi sit domini præceptum de prius baptizando, quam docendo. Nam certum in re tanta præceptum requiritur. Certius est, quod dixit Paulus, Dogmata omnia bestię esse efficaces illusiones, et dæmoniorum doctrinas.

Friuola igitur est pædobaptistarum defensio, qua dicunt, Christum et apostolos in prædictis locis, de illis tantum loqui, qui sunt adulti baptizati. Ecquidem, verum dicunt. Ideo nos adulti baptizamur, ut Christus et apostoli de nobis loquantur. Sed pædobaptistæ cum non sint Christiani, fat habent, si de ipsis Antichristus loquatur. Ne vnus quidem est in scripturis locus, de baptismo loquens, qui infantibus conueniat. Nec de adultis, nec de infantibus

est specialis sermo, sed generalis regula, Docendos esse qui baptizentur, et credere debere. An non generalis est, regenerationique propria, cælestis illa spiritus innouatio? Quid est baptizari in nomine Christi? Quomodo baptizantur in nomine Christi, qui Christum nesciunt? Nam illa verba, in nomine Christi, mentis motum in Christum designant: ut id ipsum sit baptizari, inuocato nomine Christi, actio. 22. Ergo si hæc adultorum baptismo duntaxat conueniunt, iam sequitur, paruulos non baptizari in nomine Christi. Si in adultis efficaciam habet baptismus ob præcedentem fidem, iam sequitur, in pædobaptismo non esse talem efficaciam. Si filii iræ sunt omnes, quotquot iustificationem fidei Christi non sunt assequuti, sequitur, pædobaptizatos esse filios iræ. Generalis regula ex nuper citatis Pauli locis ad Rom. 6. et ad Galat. 3. aperte colligitur, Omnes vere baptizatos esse iustificatos, et omnes baptismo Christum induere: ergo paruuli, qui nec credere, nec iustificari, nec Christum induere possunt, nec baptizari etiam possunt. Baptizatos omnes ait Paulus spiritum vnum haurire, et vnum corpus effici. 1. Cor. 12. Ergo infantes non possunt ita baptizari. Verbum vitæ et lauacrum aquæ simul connectit apostolus Ephes. 5. Sine verbo vitæ nulla est baptismi efficacia: ergo qui non est capax verbi, non est capax baptismi. Omnis, qui natus est ex spiritu, vocem spiritus audit, Ioan. 3. ergo infantes non nascuntur ex spiritu.

Procuratoris in baptismo fidem paruulo sufficere, ipsi contendunt: quasi sub tutoribus et curatoribus simus nos, quemadmodum Iudæi. Nulla vera ratione potest dictum illud constare, imo maximum est satanæ figmentum, omnia destruens baptismi mysteria: quia ex fide sua viuet ipse iustus, et qui crediderit, ipse saluabitur. Fingamus tamen, alienam fidem sufficere, et videamus, qualem in tuo pædobaptismo fidem trium spirituum ranarum habuerunt patroni

patroni tui. Ostensum est in libris de trinitate, eos veram Christi fidem ignorasse, et adhuc ignorare. Ergo pædobaptizatus non potest dici in fide Christi baptizatus, nec a Christi ministris, nec in Ecclesia Dei: sed in Babylonica et satanæ synagoga. Denuo igitur nos oportet innouari, sicut denuo efficietur regnum huius mundi domini nostri Iesu Christi, postquam proiectus fuerit accusator iste Babylonicus, qui ob præceptorum suorum transgressionem nos semper accusat, apo. 12. Denuo cantantes halleluja, ad viuos fontes aquarum, et cænam agni vocabimur, postquam impetu magno ceciderit Babylon, apo. 6. et 19. Si fidem habentes sunt denuo baptizati, acto. 19. quanto magis qui nullam habuerunt? Obserua doctrinam, vt intelligas, quæ fides in baptismo requiratur. Nam quidam ante passionem baptizati, iterum postea baptizabantur, quidam vero non. Qui a Ioanne baptizabantur, de futuro Christo loquente: ii postea iterum docebantur, vt præsentī Christo crederent, acto. 18. et tunc iterum baptizabantur, act. 19. Nam Christi baptismus fidem requirit, ipsius Christi iam præsentis, vt Pauli ratio ibi docet. Qui vero ab apostolis baptizati, vel apostoli ipsi ante passionem baptizati, Christo in præsentī credebant, ii vere dicebantur in fide Christi aqua baptizati, nec alio doctrinæ aut aquæ baptismo indigebant, sed solo spiritus complemento. Baptismus itaque Ioannis non erat vere baptismus Christi, sed præparatio ad futurum, vt Paulus docet, et superiore libro ego satis exposui. Non solum in baptismo requiritur fides Christi, sed fides Christi tibi iam præsentis, et iam propitii.

Quod fides item ante baptismum requiratur, docet ordo et via perueniendi ad ecclesiam Dei. Nonne oportet accedentem credere? Nonne Christus est via? Nonne fides est ostium? Hoc nos quærimus, Qui sint filii Dei? Illi quidem, in quibus est spiritus *ὑιοθεσίας*, Gal. 4. et Rom. 8. qui et per fidem filii Dei, Ioan. 1. et Gal. 3. Quod si hæc infantibus non possunt conuenire, ad quid eis confertur baptismus? Quæ est ratio ministeriorum ecclesiæ Dei, nisi vt filiis Dei sint vsui, discipulis Christi et fi-

delibus Christianis ? Sed quis discipulus Christi, qui eius doctrinam nescit ? Quis fidelis Christianus, qui Christi fidem ignorat ? Doctrina Christi ? fides Christi, regnum Christi, regeneratio Christi, omnia sunt vltima perfectione consummata, et solis viris perfectis conuenire possunt.

Cate-
chismus

Cælestis hæc perfecta Christi doctrina nos monet, vt de catechismo hic cum pœnitentia et fide iterum dicamus, cum catechismus ipse pœnitentiam doceat et fidem. Nihil in hac re excogitari potest infanlius, quam infantulorum eo ipso die, quo natus est, a pædobaptistis catechizari. Puellum ipsum interrogant, ac si ille respondere posset. Ridiculus sane Catechismus, qualem ridet Esaias cap. 28. Ipsum infantulum ibi vocant, Heus, audi, aperi oculos, Ego te baptizo. Cæcorum et furdorum est ibi cum cæcis et furdis negocium, vt cæci et furdi omnes perpetuo remaneant. Innumeras ibi cum adiurationibus super recalcitrantem rectas lineas, ad rectos angulos se mutuo secantes, sacrificuli manibus ducunt, quas vocant cruces. Vix sunt postea credituri, qui ludum illum non viderunt. Est sane ridiculum, facere eum catechumenum, qui a catechizante nihil accipit. Nam audienti sermonem debet fieri catechismus. Et qui catechifatur sermone, ei, qui ipsum catechifat, debet communicare bona sua, vt nos docet Paulus Galat. 6. Ipsa etiam vocabuli ratio nos monet, catechismum non posse nisi adultis conuenire. Nam κατηχεῖν est voce quem erudire, seu viuo sermone instituere. Per quem modum Apollos erat catechumenus, actō. 18. Confirmatur catechismus ex factō Corinthiorum. Nam cum catechismus a puero inciperet, nec dum ille baptizaretur, si catechumenus quis ante baptismum moriebatur, defuncti nomine quis baptizabatur, 1. Cor. 15. Cuius facti rationem mox subiungam. Hoc nunc perpende, non solere ibi baptizari pueros, sed expectari tempus facti catechismi, et veræ fidei. Perpende, ibi non

non esse quem temere baptizandum, etiam moribundum: quia non est tunc capax donorum baptismi. Qui enim fieri potest, ut spiritu regeneretur in nouam illam et cælestem vitam, qui nec spiritu nec corpore sibi constat? Fides Christi catechumeno ad iustificationem sufficiet, quanquam cælestibus aliis spiritus et corporis Christi donis ille tunc non donetur. Instituendus pluries, et præparandus est quis, antequam baptizetur, sicut Ioannes baptista dicitur missus, ut pararet domino plebem apparatus, seu perfecte dispositam. Semel et iterum oportet præparare, sicut ait Deus, præpara eos hodie et cras, et lauabunt vestimenta sua, tertia die resurgentes, Exo. 19. Quanquam vero apostoli propter temporis angustiam in tam copiosa messe, et propter abundans eorum virtutis donum, post unam aut alteram prædicationem baptizarent, nobis tamen id non facile licet. Multis diebus debere eos instrui, et doceri ante baptismum, docet Petrus libro septimo Clementis. Multis sunt exhortandi, ut resipiscant. Monendi, quam solenni voto et sacramento ibi in nouam vitam transferantur. Nullum aliud est Christianis sacrum religionis votum, aut iuramentum, quam istud, quod solum merito dixeris sacramentum, quasi sacrum iusiurandum etiamsi non per iurandi verba adhibeatur. Eo ipso tamen, quod quis credens et volens baptizatur, perinde illi est, ac si in verba Christi iuraret, solenni sacramento. Ipsa insuper Christi prædicatio docet, vocatos esse diligenter et sæpius instituendos, repetita sæpius Christi doctrina. Nam totum Christi euangelium usque ad paracleti missionem, catechismus fuit, et verbalis instructio, nondum dato nouo illo regenerationis Christi spiritu. Imo per ænigmata et parabolas mysteria regni tunc tradebat Christus. Non poterat tunc cælestem illam suam regni cælorum doctrinam patefacere, cum non haberet auditores capaces, sicut nec nunc habet, usque ad

noui paracleti missionem. Rudes igitur apostoli eo usque fuerunt catechumeni, et innouato Christo est tunc in eis vere genitus nouus homo. Tunc fuit eis vera cæna corporis Christi nouus cibus noui hominis, ex Deo geniti. Ibi fuit Christi prima cælestis ecclesia, et regnum cælorum inter homines.

Aduerte autem, qua ratione moti fuere, qui pro mortuis baptizabantur. Imo et mortuos ipsos aliqui baptizabant, simul et vngabant, vt refert Irenæus. lib. j. cap. 18. Aut cadauer ita ad resurrectionem mundantes, et sanctificantes: aut animam mortui ita redimentes, vt arbitrabantur. Argumento illis erat Iudaicus ritus, mortuos vngendi et lauandi, et de vnguento sepulturæ suæ docet Christus, et de mortui lotionem legimus in actis apostolorum, capite nono. Ritum hunc esse circa mortuos seruandum, credidit Dionysius ille Hierarchicus. Non leuis apud Corinthios erat hæc opinio, quam ideo citat eis Paulus. Redemptionis mortui, seu baptismi illius, hæc erat ratio: Qui baptismo vere regenerati decedunt, inferni dolores non sentiunt, sicut alii. Hinc arbitrabantur illi, catechumenum mortuum posse baptismo redimi ab inferno: cum videretur iniquum, si ex duobus credentibus vnus, ob baptismi defectum, plus alio patiatur. Hæc apud Valentinianos erat mortui redemptio, quæ apud alios erat cadaueris ad resurrectionem purificatio, et consecratio hierarchica. Nos vana dicimus hæc omnia. Iniquitas nulla est apud Deum, qui hunc voluit ad baptismum accedere, illum vero non. Solus ipse fidem cuiusque nouit, et occulto nobis iudicio iuste iudicat. Non facit Christus catechumeno decedenti aliquam iniuriam, sicut nec aliis, qui ante resurrectionem Christi crediderunt, et in regnum cælorum non sunt tunc ingressi. Fides catechumini non erit irrita, peccata sunt ei remissa. Est vero ali

ro aliqua differentia, nisi catechumeno accedat in morte regeneratio. Dictum iam est, non esse parem fidem ante et post baptismi regenerationem, cum fides ibi nouo modo viuificetur, vbi spiritus sanctus datur. Varia sunt dona cælestia. Mortuo autem non potest prodesse baptismus, quia venit nox, in qua nemo potest operari, vt ait Christus. Legislatoris iusta voluntas alio tendit. Christi præceptum ipsofmet baptizari vult, non alios pro ipsis: sicut ipfimet credere debent, qui baptizantur, non alii pro ipsis. Non omnes Corinthii id faciebant, sed eorum aliqui: quos ob id ab alijs obiurgatos omittit tunc Paulus, solam facti rationem, in qua omnes consentiebant, pro argumento resurrectionis assumens. Spe enim resurrectionis hoc faciebant Corinthii.

Qui autem baptismum mortuo prodesse contendebant, et cænam ei prodesse dicebant. Vnde sequutum est, vt pro mortuo quis eucharistiam sumat, etiam pluries. Qui error est priore longe deterior. Nam hic non suppletur sacramenti defectus, sed scelera inferni se sensim pro sua libidine tollere dicunt sacrificuli. Quæ scelera et bulla quadam passim tolli affirmant: quasi Papæ sit data in infernum potestas, quam apostolis non dedit Christus. Insigni fraude Papistis suggestit diabolus illa pro mortuis suffragia, vt viuentes homines negligant benefacere, dum tempus habent, et benefacta post mortem differant, ferendi postea subsidii spem vanam habentes. Non ex copia Papisticorum suffragiorum, sed ex propriis dictis et factis sunt omnes iudicandi, vt gessit quisque in corpore suo. Opera ipsorum sequuntur ipsos. Beati illi, qui in domino moriuntur, non illi, quos Papistæ post mortem beant. Nunc quoque esse tempus bene agendi, non postea, docet ipse Christus, Ioan. 9. et 12. Antichristus est, iudicandi et saluandi munus Christo præripit, et in infernum potestatem apostolis non datam vsurpat,

pat, qui hominem ante iudicium inde se eximere putat, non amplius iudicandum. Quis mentis compos diceret, esse secundum iustitiam Dei, ut hominis in inferno siti salus et redemptio ex mea vel tua voluntate pendeat? Quisque suum quadrantem, ad nouissimum usque persoluet, suamque farcinam portabit. Filius non potest animam patris inde redimere, nec frater animam fratris, psal. 48. Nullam talem esse ab inferno redemptionem, docent vere Iob, Ezechias et alii. Nullum post mortem posse dari subsidium, docet Ecclesiasticus cap. 14. Vetitum est pro mortuo quicquam offerre. Deut. 26. et psalm. 105. Moabiticus ille fuit ritus sacrificandi pro mortuis, ut ibi colligitur. Deus ille Baal Pehor in sacrificiis mortuorum homines et fœminas scortari docebat, Num. 25. Id passim nunc faciunt sacrificuli cum mulieribus, missarum pro mortuis prætextu viuos generando. Ob hanc Moabiticam et Medianiticam imposturam vetuit in Deuteronomio Moses, pro mortuo quicquam offerre, dicto capit. 26. Pro mortuis se alii incidebant, et caluitio deformabant, quod vetuit Deus, Leuit. 19. et Deut. 14. Cæna pro mortuo est sicut clamor ad idolum, ut ait epistola Ieremiæ. Pro mortuis non debere nos esse ita sollicitos, docuit satis Christus Matth. 8. et Paulus 1. Thes. 4. Hæc sola ratio efficacissime destruit hanc pro mortuis oblationem. Nam qui vere baptizatus et regeneratus decessit, nullum inferni dolorem sentiet, sed cum Christo iam regnat. Ergo talis nullo post discessum indiget suffragio. Qui regenerationis gratiam perdidit, est Ethnicus, extra ecclesiam in inferno usque ad Christi iudicium detinendus. Sola de catechumenis erat Corinthiorum difficultas. Sed catechumeni fidem dixi non esse irritam, cum præsertim in morte regeneratio vera contingat. Soli itaque Deo sunt de mortuis iudicia relinquenda, et catechumeni a nobis diligenter instituendi in fide Iesu Christi.

Mortis

Mortis in baptismo mysterium, pædobaptistis incognitum, sequitur nunc tradendum. Morimur in baptismo, et in mortem Christi baptizamur, ut veterem hominem quasi mortuum deinde geramus, eumque magis mortificemus. Morimur autem ibi ad hunc modum. Nam mori Adamum oportet, ut corpus peccatorum deponat. Nec potest granum frumenti in terram lapsum viuificari, nisi prius moriatur. Ecce iam in baptismo mysterium magnum, et magnam Christi gratiam, ut eo vno pro nobis mortuo omnes ibi pro mortuis habeamur, quod ad peccati extinctionem adinet. Pro mortuis ita habemur, ut nemo audeat dicere, se sibi vivere, cum soli Christo omnes viuamus, Rom. 14. et 2. Cor. 5. Qui enim sibi viuit, corpus peccatorum adhuc sustinet, quod a conceptione dedit illi serpens. Qui autem Christo vivere vult, debet corpus illud peccati, ibi moriturum, sub aquas in baptismo mergere, et ibi eum sepelire: ut depositis ibi, velut in sepulchro, peccatis, et eo lauacro mundatis, denuo ab aquis nouus homo resurgens ascendat, et super aquas, id est, cælos, a spiritu sancto eleuetur. Hinc intelligitur, vitam nostram esse cum Christo in Deo absconditam, et nos per Adam mortuos, et per legem legi mortuos, ut soli Christo viuamus, Colos. 3. et Galat. 2. Solus Christus viuit, solus ille viuit, in carne et spiritu. Nos vero omnes peccati morte per Adam et per legem sumus varie occisi, in infernum et futuram gehennam. Moriens iam ob id pro nobis Christus, peccati omnis et inferni mortem aboleuit, et vitam spiritus nouam in lucem nobis produxit: in quam nihil potest mors nec infernus. Hoc Christi mysterio vetus noster homo peccati, qui secundum carnem vivebat, hic moritur et sub aquas sepelitur: ut qui super aquas resurgens ascendit nouus homo, solam illam habeat internam Christi vi

sti vitam absconditam. Sola igitur cælestis illa, quæ intus latet, Christo insita vita, est Christiano cuius requirenda: nec carni, ut viuat, permittendum. Aut si viuat, ne dominetur, sed mortificata viuat: ut verum in nobis compleatur mortificationis Christi symbolum. Alioqui mendacem Christum in suis symbolis faciemus, et rei erimus sinistre diiudicantes.

At quomodo, inquires, cum Christo est abscondita, et cum Christo est hæc vita manifestanda? Respondeo, Christus, qui a mundo nunc non videtur, dicitur in Deo absconditus, et in resurrectione manifestandus. In Deo est absconditus Christus, non fursum in loco aliquo carceris. Et ita absconditus ut est, in nobis est, vitam nostram sibi insitam abscondens in Deo, in quo ille absconditus est. Hæc itaque vita, qua spiritu in Deo et Christo, et in Deo per Christum interne viuimus, est abscondita: quia de externa est facta interna. Nam qui externus secundum carnem serpentis vita vivebat homo peccati, sublato peccato intelligitur mortuus, et sub aquis in baptismo sepultus. Cui internus alius solo spiritu in Christo viuens successit, cælestem illam æternam vitam viuens, quam solus Christus in cælo nunc viuit, et in nobis interne viuit. Abscondita est etiam hæc vita nostra, quia mundus eam nescit, nosque ideo tanquam amentes ridet et persequitur: ut pulchre hac ratione absconditos nos vocarit propheta psal. 82. Regnum cælorum, quod intra nos est, simile est fermento abscondito, et thesauro abscondito. Matth. 13. Abscondito, inquam, in testaceis vasculis, ut ait Paulus. Internus noster homo est absconditus in corde homo, 1. Pet. 3. Hunc hominem non nouit mundus. Nam, ut ait Ioannes, mundus non nouit nos, sicut nec nouit Christum, qui in nobis est. Quanquam igitur nos rideat mundus, nihilominus absconditam illam cælestem immortalem vitam in
Chri-

Christo nunc vivimus, cum ipso resuscitati, ut finalis resurrectio aliud nihil sit nobis futura, quam eius vitæ manifestatio in gloria. Vita hæc interna externe ibi apparebit in gloria. Vita hæc spiritus fiet ibi vita totius in gloria. Colof. 3. Manifestabitur, inquit, in gloria, quando Christus mundo ad iudicium manifestabitur: et tunc eos, qui nos rident, indicabimus. Immortalis est vita nostra, ut nos nunquam moriamur, nostra ista vita semper nobis servata in Christo ipso, qui vere est vita nostra, ut ait ibi Paulus. Qui in hoc mundo sine hac vita vixerunt, in infernum moriuntur in resurrectione transaturi de morte ad vitam. Nos vero, qui Christo credentes semel iam transivimus de morte ad vitam, solam ibi accipiemus vitæ manifestationem. Apostolorum animæ ita nunc in Deo vivunt. Internus noster incorruptibilis homo in Christo iam vivit. Interna est hæc vita incorruptibilis, ut dicamur perpetuo victuri, et sepulchrum nunquam visuri. psal. 40.

Hanc porro internam perpetuam vitam turbare solet externa carnis victoria. Ideo ad eam tutandam terrestria membra mortificare oportet, ut mox subdit Paulus, dicto cap. Coloss. 3. Hac ratione Christus nos instruens, statim a baptismo ieiunavit in solitudine orans. Quibus duobus, oratione et ieiunio, caro maxime mortificatur, serpentis caput magis et magis in nobis conteritur, et tentationibus omnibus potenter resistitur, ut est ibi Christus in tentatione factus victor oratione et ieiunio. Fides nostra baptismo vivificata, vivens non permanebit, nisi nos carnem mortificemus. Dæmonia pellere, morbos sanare, et alias virtutes operari, nemo potest nisi per orationem et ieiunium, Matth. 17. id est carne mortificata, et spiritu vivificato. Quanto caro magis mortificatur, si ex fide fiat, tanto spiritus magis vivificatur. Quorum utrumque oratione fit, et ieiunio. Per orationem erigitur spiritus
in Deum

in Deum gemitibus inenarrabilibus: et per abstinentiam ipsi appetitus carnis imbelles redduntur, ut spiritui resistere nequeant. Concupiscentias carnis mortificare, est hepar, renes et adipem Deo in holocaustum offerre. Nam concupiscibilis, quæ est in hepate, per renes in libidinem prorumpit, et per adipem roboratur. Talem itaque voluit misericordia diuina in Christo mortificationem consummari, per eius baptismum, id est, corporalem mortem, ut hoc nostro baptismo, tanquam eius rei symbolo, omnes mortificemur et moriamur. Cum tamen non sit nobis mors, sed vita ipsa, et peccati mortis destructio. Moritur ibi vetustas, et peccatum ipsum, quod nobis erat mors, ut mortem ipsam hic mori dicas, et nos viuificari. Nam ad eundem modum, destructa peccati morte, nos hic resurgimus ad æternam spiritus vitam, ad quem in finali resurrectione, destructa corporali morte, resurgemus secundum carnem ad æternam vitam. Omnia illa futura mysteria sunt hic spiritualiter impleta: quia hæc est resurrectio spiritus, sicut illa resurrectio carnis: hæc resurrectio prima, illa resurrectio secunda. Hanc mortis Christi similitudinem esse baptismum, per quem nos morimur cum Christo, probat apostolus. Ro. 6. et colof. 2. Vnde mors, qua Christus pro nobis mortuus est, dicitur baptismus, quo ipse pro nobis baptizatus est, Matth. 20. Marc. 10. et Lucæ 12. Aquæ eius baptismi fuerunt Christi afflictiones et angustiae. 2. Samu. 22. psal. 17. 68. et 143. Has aquas gustauit Christus, non sui causa, sed pro nobis, aquarum signum nobis reliquens, tanquam mortificationis symbolum, cum velut morituri, aquis mergimur, et ibi sepelimur, qui abyssi sepultura eramus cum gigantibus digni.

Non ita intelligas, ut ob id oporteat te totum in aquas a baptizante præcipitari. Sed cum in aquas descendis, effusæ ipsæ in caput et corpus tuum aquæ te totum tingere, mergere, et lauare dicuntur. *Βαπτίζω* est proprie tingere, sicut ut tinctor

cut tinctor, qui et baptistes dicitur, pannum in aqua ponit, et aquam desuper fundit. Ad quem modum nos cum baptizamur, in aquam ipsam descendimus, et desuper aqua nobis a baptizante funditur. Ita desuper renouamur et abluimur, in cælum postea super aquas ascendendo. Ad hunc modum descendit Christus ad aquas Matth. 3. et Eunuchus acto. 8. Inde postea ascendentes.

Ex his inferas primo, Esse in pædobaptismo ridiculum ad aquas descensum vel ascensum, cum infantulus nec descendere possit, nec ascendere. Inferas secundo, non posse eum Christi baptismo baptizari, qui non est mortificationis capax: nec posse in baptismo sequi mysterium resurrectionis, nisi præcedat mysterium passionis. Hoc modo voluit Christus pro nobis mori, et nos pro mortuis haberi, ut pro eo nos mortem obire simus deinde parati, in eisdem baptismi eius aquis stolas nostras dealbando, apoc. 6. et 7. Qui cum Petro eum tam cito negaturus est, nondum est Christi baptismi capax, tantum abest, ut pædobaptistæ sint eius capaces. Quid tu par reddere posses amico, qui se pro te morti obiecit? Nonne te pro illo morti offerre? Nihil gratius nos Christo reddere possumus, nec quod propius ad debiti solutionem accedat. Quanquam adhuc differentia sit infinita, sicut sua mors differt a nostris: ob personæ, quæ patitur, excellentiam, et quæ non merendo patitur: et pro iis, qui mortem merebantur. Quando tu crucem et mortem pro Christo pateris, memento primo, te talia Christo debere, qui pro te talia passus est. Memento secundo, non esse tibi mortem, sed vitam ipsam, et mortis destructionem. Non est tibi pro Christo mors formidanda, quæ tam debita est, et tam preciosa in conspectu eius. Eo magis, quia non est tibi mors, sed carceris fatanæ dissolutio, et in libertatem gloriæ collocatio, vita ipsa semper in Christo viua manente. Vitam illam æternam sci-

M. mus

mus, gustamus, et iam habemus vere præsentem, a qua per mortem non separamur, quin semper viuat internus noster homo. Hoc nos scimus, et resuscitatum Christum in nobis ipsis experimur. Hoc experimento scimus, nos eius instar resuscitandos, qui eius instar iam sumus in interno homine vere resuscitati, ut visa sepultura resurrectionem mox videbis.

Sepultu-
ra. Post mortem sequitur sepultura: de qua dictum est, nos esse cum Christo sepultos. Ut liceat plane ex dictis inferre, quod quanquam Iudæis, in cælum non assumptis, magni momenti fuerit sepulturæ ius, nobis tamen eam cadaueris sepulturam esse rem exiguam, docet in Euangelio Christus, Matth. 8. et Lucæ. 9. Sumus iam omnes cum Christo per baptismum sepulti, Roman. 6. et Colos. 2. ut quod superest post corporalem mortem cadauer, sit ad vitandam putredinem ciuilitè abigendum. Idque maiori pietate faciendum propter imaginem Dei, in cadauere ipso sitam, et propter Christi donum, quod ibi placuit inhabitare. Verrus christianus, qui est nouus internus homo, et noua in Christo creatura incorruptibilis, in æternum cum ipso Christo iam viuens in cælestibus, nec mori potest, nec sepeliri, testante etiam ipso Dauide. Magni, inquit, pretii erit redemptio animæ eorum, et quiescet quis in seculum, et viuet vsque in perpetuum, sepulchrum nunquam visurus, psal. 48. qui est Hebræis 49. Idque eo magis verum est, quia sepulchri nomine infernus simul ibi intelligitur: in quod non ingrediuntur, qui sunt a Christo regeniti. Magna quoque est vis verborum Christi, Qui credit mihi, habet vitam æternam, in æternum non moritur, nunquam amplius moritur, sed transiit iam de morte ad vitam, et ad æternam vitam. Est vere internus noster homo incorruptibilis, et immortalis, ut mox videbis. Qui vero non moritur, sepultura non indiget. Vere est Christus pro nobis mortuus, et sepultus, ad inferos usque de-

que descendens: ut nos postea ei infiti, et confepulti, nunquam amplius moriamur, nec in inferni limbis sepeliatur, sicut sepulti sunt olim Iudæi, in regnum hoc tunc non assumpti. Polluebantur illi, cum aderant sepulturis: et ipso contactu cadauer aut sepulchrum, velut infernus, tangentes polluebat. Num. 19. Si teneas, quæ diximus in primo dialogo, facile intelliges, nos non sepeliri, ut sepeliebantur olim Iudæi. Eorum animæ ad sepulchrum ducebantur, sicut et corpora: nostræ vero in cælum assumuntur a Christo. Sicut Adam postquam peccauit, si de ligno vitæ denuo comedisset, vixisset in æternum, ut ait Deus, ita nos pane illo vitæ, et potu illo incorruptibili nutriti, mori nunquam amplius poterimus, nec esurire, nec sitire Ioan. 4. et 6. ergo nec sepeliri. Sicut ergo, inquit, ego ita qui edit me. Ego autem immortalem et incorruptibilem vitam viuo, ita qui edit me. Ex incorruptibili cibo non potest, nisi incorruptibilis homo nutriri. Fortissima est ratio, si vera sit manducatio.

Ex morte igitur et sepultura hæc duo inferuntur. Primum, quod nos mortua opera reddunt immundos, sicut Iudæi ex contactu mortui polluebantur. Polluta eis erat mors et pollutionis peccati mors infernalis. Secundum, quod sicut magna erat olim Iudæis maledictio, si post mortem ob sepulturæ defectum, a bestiis cadauer deuoraretur: ita est nobis res execranda, postquam sumus Christo confepulti, denuo a concupiscentiis inescari. Sicut olim non licebat sacerdotibus et nazaræis adesse sepulturæ, quæ erat infernus ipse: ita nobis sunt cauenda infernalicia sepulchra, quæ sunt sepulchra concupiscentiæ. Post mortem et sepulturam sequitur resurrectio. Nam aquis mergimur mortis, et sepul-
Resurre-
ctio.

scamur, qui antea eramus ex terra nati. Magnum mysterium, quod ex terreo maledicto elemento carnaliter antea nati, ex aliis caelestibus postea nascamur: ut ita secunda natiuitas primam superet, sicut anima corpus. Nascimur in baptismo ex aqua, spiritu, et igne, Matth. 3. Lucæ 3. Ioan. 3. Simul hic intelliguntur creata et increata, ut simul erant in Christi generatione. Ex illis omnibus ostendemus, animam essentialiter constare atque ita nunc innouari. Ea omnia in Christi generatione fuisse diuina et humana vnum facientia elementa, in libris de trinitate docuimus: in eius regeneratione esse ea omnia innouata, eiusque instar in nobis desuper innouari. Ex superioribus nos denuo nascimur, ut ab eis maledicta terra transformetur, abluatur, et viuificetur. Aqua et superiora illa spiritum sanctum in scripturis designant, sicut caelum: ut ex illis nascentes, dicamur e caelo nasci. Illis nos in diuinitatem interne nunc transformamur, et glorificamur, externe postea corpore transformandi et glorificandi. Solius corporis Christi praemissa est nunc resurrectio, innouatio, transformatio, et glorificatio tanquam specimen quoddam nobis gustandum exhibitum, ut eam nos spiritu nunc Christi innouationem intus percipientes, futuram nostri corporis innouationem certius cognoscamus. Qui in se ipso Christum viuere non cognoscit, non est regeneritus. Qui in se ipso Christum cognoscit, resuscitatum eum vere percipit, et se eius instar resuscitandum. In regeneratione nostra spiritus noster instar Christi nunc resurgit, ad eius imaginem transformatur, et glorificatur. 2. Cor. 3. Ex facta iam spiritus nostri glorificatione instar Christi, futuram instar Christi, nostrae carnis glorificationem efficaciter colligimus. Spiritus resurrectio arguit corporis resurrectionem, accedente experimento resuscitati corporis Christi, quod in nobis experimur. Aequè facile est, carnem, sicut spiritum transformare, et glorificare, cum ea omnia diuinæ

uinæ lucis immixtione pariter fiant. Ergo æque facile est, corporis resurrectionem credere, sicut resurrectionem spiritus. Proprium lucis est, terream materiam in splendentes margaritas, et preciosos lapides, lucide transformare, vt spiritum transformat. Sicut a lucis splendore est Christi corpus in monte transformatum, et in resurrectione glorificatum: sicut a lucis splendore spiritus noster ad eius imaginem et gloriam nunc transformatur, et glorificatur, dicto capite 2. Corin. 3. ita ad eius imaginem corpus nostrum transformabitur et glorificabitur, Phil. 3. Magna est vis resurrectionis Christi, vt eam agnoscetes, nostram etiam euidenter agnoscant, in interno homine iam gustent, et experiantur. Cuius rei verum gustum et experimentum nobis præbet baptismus, in quo vera fit et dignoscitur nostri spiritus resurrectio, regeneratio vera, et noui hominis formatio, instar Christi, qui nouus homo resurrexit.

Vt vero cælestem hanc noui hominis substantialem diuinam generationem penitus assequaris, lector Christiane, repetenda tibi sunt, quæ sæpius diximus, Creatoris substantiam esse creaturæ in vnum plasma varie vnitam et mixtam, tam in anima, quam in corpore, quorum omnium specimen est Christus. Diximus, vitalem Christi spiritum esse halitum quendam, qui elementorum horum substantiam veram continet, sed incorruptibilem et nouam. Sicut verbum Dei est hypostatice homo, ita spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis: et ita se totum nobis communicat. In gratiam nostri est spiritus Christi Deo adglutinatus, vt ita se nobis communicet, et Deo nos adglutinet. Spiritus ipse Christi humanus Deo in vnum adglutinatus, per resurrectionis gloriam et potentiam est innouatus, sicut et caro ipsa. Anima eius hinc dicitur innouata, ob nouam deitatem, et nouam incorruptibilem vitalis spiritus sub

tus substantiam. Ab eo item animæ nostræ, fide re-
stitutæ, substantialiter innouantur, cum Christum to-
tum ordine quodam nanciscuntur. Constat potissi-
mum hic ordo, prædicatione, baptismo, et cæna.
Priora sunt generalia quædam dona spiritus Dei etiam
in gentibus, per quæ bene quis agit, ipso conscien-
tiæ testimonio, antequam specie Christum cognoscat.
Deinde specialis alius est spiritus, quem ex Christi do-
ctrina accipit catechumenus, et iterum alius excel-
lentior, quem baptismo accipit Christianus: sicut
alius est spiritus, quem peperit Christi prædication,
alius, quem peperit resurrectio. Quando in Christo
quis ex aqua et flatu generatur, fit in eo flatus Chri-
sti impressio, quædam substantialis insertio, Christi
vestimentum: simulque accedit carnis cibus, et san-
guinis potus. Ita ex aqua et flatu nascimur, ac si
Christus flatu oris sui in nobis flaret, mox in cæna
nos nutriens. Horum ministeriorum est in dispen-
sationis modis differentia, varia fruitio, et conco-
mitantia certa. Spiritus Christi humanati, baptismo
nobis datus, iam propinqua quadam aptitudine, id
quod in Christo reliquum est, tribui nobis indicat.
Proprium baptismi est ita regenerare, vt Christo sub-
stantialiter inseraris, et Christum induas. Proprium
eius est dare spiritum sanctum, sed ita humanis ele-
mentis iunctum, vt reliqua consequantur, consequen-
te quoque cæna. Eo magis, quia cum ex elementis
illis desuper renouamur, et illa in nobis renouari
sequitur, et nobis ea, quæ Christi sunt, communi-
cari. Atque ita datur nobis in baptismo integer spi-
ritus Christi, sicut in cæna datur integra caro. Cum
elementari flatu datum cernimus spiritum sanctum
apostolis Ioan. 20. et acto. 2. Cum elementari
flatu est anima data in generatione, genef. 2. Cum
eo igitur fit regeneratio, instar primæ generationis:
et nos ex flatu renascimur, sicut ex aqua, crea-
tis simul et increatis. Cogita, in solo Chri-
sto esse

sto esse originaliter spiritum sanctum, spiritu humano vestitum, in gratiam nostri, et ita nobis communicari. Cum ipso spiritu Christi diuino, nouam vitalis ipsius spiritus substantiam accipiunt animæ nostræ, ita vestitæ, sicut verum sanguinem, et veram carnem: esto, sine illis dari possit spiritus sanctus.

Sed ipsam animæ iacturam, et reparationem, hic paucis audire confert. Animæ essentiam, corruptibilibus carnis elementis in vnum alligatam, ita per Adam occidit satanas, vt sit quodam modo anima reddita mortalis. Mortalitas dicitur animæ quibusdam rationibus: vt quando pars corporis tollitur, dolet ibi, et velut moritur anima: et quando spiritus eius absumitur. Insigniore alia ratione est per peccatum anima reddita mortalis, sicut caro mortalis. Non quod in nihilum anima redeat, sicut nec caro. Sed moritur, quando cum dolore vitalibus actionibus priuatur, et in inferno languens detinetur, quasi non amplius victura. Contra vero per Christum sunt animæ redditæ immortales, sicut caro immortalis. Christus immortalitatem attulit mundo, 2. Timot. 1. et 1. Pet. 1. Adam totius hominis immortalitatem seruare potuisset, et peccando eam totam perdidit, quasi moreretur, nunquam amplius futurus. Ad hanc vero immortalitatem nobis iam præsentem intus restituentem, Christus reparator animas nostras reddidit immortales, et vitalem eorum spiritum incorruptibilem, instar vitalis sui incorruptibilis spiritus, quem nobis communicat, seipsum totum communicando. Aërem illum, seu spiritum, quem nunc spirat Christus, in nobis spirat in cordibus nostris, suæ totius naturæ communicatione. Non sine mysterio ex cælestibus elementis nos nascimur e supernis, et de nouo generamur, idque per potentiam resurrectionis Christi: communicata nobis integra substantia spiritus sui, quem regeneratione est ipse totum incorruptibilem nactus. Hanc incorruptibilitatem ita

animæ nostræ substantialiter coniungit Christus, ut aliam dicas esse regentis animam, quam ante, propter substantiam innouatam, et nouam deitatem adiunctam. Sicut ergo vere est in nobis integra caro Christi, ita vere est in nobis integer spiritus eius. Sicut anima nostra sanguine ipso Christi vere reficitur, ita et vitali ipso spiritu in sanguine fito. Vere et realiter sunt in nobis cælestia incorruptibilia, qualia Christus in cælo nunc substantialiter habet, superiora elementa, per quæ ipsi animæ nostræ substantialiter iungitur corpus ipsum Christi in interno homine. Nouam diximus cælestem illam halitus Christi substantiam, per resurrectionem eius innouatam, sicut est terreum elementum in glorificata eius carne innouatum. Cælum factum est nouum, sicut et terra noua, in die resurrectionis Christi. Spiritus nouus, regnum nouum, nouæ in Christo creaturæ, omnia denique noua, fœdere nouo. Et omnia nobis communicata. Admirabilis est in nobis noua generatio, ex aqua et spiritu, elementari simul et superelementari. Per natiuitatem hanc cælum ipsum nobis datur, sicut e cælo ibi nascimur. Talia nobis dantur, qualia Christus in cælo habet elementa, cælum nouum facientia. Ea dat Christus, dans se ipsum totum. Hæc est vera regeneratio, non ita friuola, ut vulgo creditur, sed substantialis et integra noui hominis productio. Substantialis in nobis est innouatio, postquam Christus est substantialiter innouatus, et se talem nobis communicat. Modus innouationis est facilis ab ipsa Christi luce. Ab eximio illo increatæ lucis fulgore immutatur in spiritu nostro prior creatæ lucis forma, ipseque tunc Christi integer spiritus adiungitur, sicut integra caro. Innouatio est ibi necessaria, cum esset ibi prior dæmonis pollutio, in elementis ipsis animæ. Cui tantæ pollutioni nefas esset Christum totum inuolui. Non posset corpus Christi incorruptibile substantialiter iungi animæ nostræ, nisi es

nisi esset in ea participatio illius spiritualis substantiæ incorruptibilis. Id enim est commune vinculum. Per corruptibile vinculum alligatur anima nostra corpori nostro corruptibili, et per incorruptibile vinculum alligatur illa corpori Christi incorruptibili. Nisi illius incorruptibilis substantiæ esset in nobis vera communicatio, aliquid spiraret Christus, quod nobis non communicaretur. Quod nefas est dicere, cum ille se totum nobis communicet. Priora illa creationis mundi elementa, sunt insigni mutatione in finali resurrectione innouanda, sicut et cæli ipsi: cum sint omnia polluta, et ob id vi caloris in die iudicii dissoluenda. Quæ vero sunt noui hominis elementa, impolluta sunt, innouata, ab omni mutatione et alteratione immunia, vt sit vere internus noster homo instar Christi incorruptibilis. Ex incorruptibili femine est vere genitus, incorruptibilis est in Christo conditus, et ex incorruptibili cibo vere nutritus. Quomodo non erit immortalis nouus homo, si vetus ille Adam in prima generatione erat immortalis? An non est iste multo nobilior, quam fuerit ille? Incorruptibiles illi sunt homines, qui, vt ait Ioannes, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo, geniti sunt: qui ob id nec peccant, nec peccare possunt, cum sint verum Dei semen, Ioan. 1. et 1. Ioan. 3. Ex incorruptibili carnis et sanguinis Christi cibo et potu, non potest nisi homo incorruptibilis nutriri, cum nutritio sit naturalis assimilatio. Eo magis, quia homo ille ex ipsa carne et ossibus Christi essentialiter constat. Ephes. 5.

Illi itaque spiritali animæ nostræ substantiæ, eo modo, quo diximus, innouatæ, illisque nouis resurrectionis Christi elementis incorruptibilibus, per regenerationem veram adiunctis, adiuncta in cæna domini ipsa Christi incorruptibilis caro, efficit verum, et incorruptibilem internum nostrum hominem, ex carne et ossibus Christi eiusque et no-

stro spiritu compactum. Quæ vera est Christi in nobis formatio, et interni nostri hominis integra generatio, prius vitam tribuens, quam corpus, instar Christi, non instar Adæ. Nam in Adæ formatione præcessit animam corpus, et arbor vitæ arborem scientiæ. Christus vero prius habuit in mundo vitam et spiritum, quam carnis corpus; prius spiritum suum nobis dat, quam corpus, prius scientiam, quam nutrimentum. Magna sunt hæc mysteria, quæ docent, post lauacrum mox sequi cænam domini, ad complementum et nutrimentum noui interni hominis. Hac ratione nos dicimur esse per vnum spiritum in vnum corpus baptizati. 1. Cor. 12. et Ephes. 4. Omnia mysteria Christi in vnum ita concurrunt, vt simul fide, baptismo, et cæna domini idem effici dicas, et peccata remitti, et nouum hominem gigni. Magna hic arguitur potentia resurrectionis Christi, per quam fides, baptismus, et cæna suam habent efficaciam. Tantæ molis fuit, Christum resuscitare ad immortalitatem, et nouam illam gloriam, quantæ erit postea finalis tota resurrectio, et totius orbis innouatio. Sicut ibi fiet, ita hic factum est vere cælum nouum et terra noua. Plus artificii habet hæc Christi resurrectio, quam prima tota mundi creatio. Illa omnia sunt corruptionem perpessa, hæc vero incorruptibilia semper et gloriosa. Maioris est artificii, ex re facta corruptibili facere incorruptibilem, quam rem totam ab initio facere. Creatio hic facta est, noua mundi productio, et nouæ creaturæ factæ incorruptibiles. Eadem illa finalis resurrectionis futura innouatione sunt iam in Christi corpore, per eius resurrectionem, omnia innouata et terreæ carnis, et spiritus elementa, quæ diuina et humana Christus habuit, vnum facientia: et ea omnia ille nobis communicat, seipsum communicando. Perpende, lector, ex quibus elementis in cælo nunc substantialiter constet ipsum Christi cor-

sti corpus, et vitalis spiritus eius. Inde intelliges, qualem ex spiritu et carne ipsius, compositionem habeat nouus homo, Christo insitus, ut palmes viti, in vnam Christi substantiam.

Fortasse hic nobis obiicies, Si impeccabilis et incorruptibilis sit in nobis homo, sequitur, nullum post baptismum et cœnam, posse a quoquam committi peccatum. Respondeo. Internus homo non potest vnquam peccare. Nos vero sæpius et varie peccamus. Tunc internus homo non mox corrumpitur, sed in Christo seruatus quodammodo delitescit, Christo ipso longanimiter sustinente. Multa enim peccata operit charitas et gratia Christi.

Non igitur, inquires, mortalia peccata omnia tollunt gratiam. Respondeo. Peccata varia in lege erant ad mortem mox inferendam, quæ nunc, præponderante gratia Christi, non sunt ad mortem, Christo tegente, et operiente peccatum illud, ne tunc imputetur: quod maximum est dilectionis et gratiæ Christi argumentum. Peccatum insigne, quod tollit gratiam Christi, peccatum ad mortem, pro quo non est orandum, est peccatum in spiritum sanctum. Qui ita peccauit, ille vere in seipso Christum necauit. Ita Christus hodie interficitur in nobis, impietate nostra ipsum necante, cum ab infidelitate et vitiis carnis penitus obruimur.

Non est igitur, dices, immortalis internus homo. Nam tale in spiritum sanctum si ab illuminato committatur peccatum, tunc dicitur in eo mori internus homo, et in eius spiritu Christus extingui. Respondeo. Immortalis et incorruptibilis dicitur in nobis internus homo, sicut Adam ante peccatum: quia in immortalitate seruare se potest, sicut poterat Adam, libero hic et ibi arbitrio, seu libera potens facultate. Facta autem in arborem scientiæ hic et ibi transgressione, simul perditur et arbor

et arbor vitæ. Quæ nunquam deinceps recuperatur, nec potest amplius cum Christo cænari. Ex suppositione ergo dicitur hic homo, sicut ille immortalis et incorruptibilis. Iugiter contra hunc hominem pugnat serpens, sicut contra Adamum, et eius postereros pugnasset, si primo occurſu Adam victus non fuisset. Corruptio in nobis interni hominis nunc fit, resolutione quadam per discessum Christi facta: tuncque praua anima hominis a paradiso, seu regno cælorum, pellitur, et cacodæmoni traditur.

Iterum obiicies, Sicut ipsum Adam ob primum peccatum mox expulit Deus a paradiso, quare Christus peccantes non mox expellit a Regno cælorum? Respondeo. Sublimitas gratiæ Christi erga nos ostenditur. Differentia item est manifesta, vt dixi libro primo. Nam Adam immaculatus totus creatus non potuit in paradiso Dei cum macula tolerari. Nos vero in carne maculata iam fitos Christus secundum spiritum glorificans, peccata maculatæ carnis adhuc tolerat, sed non peccata in spiritum sanctum.

Iam sequi tu contendes, hominem Christianum non posse damnari, nisi ob vnum peccatum in spiritum sanctum. Non sequitur, nisi peccatum in spiritum sanctum latius extendas. Peccata omnia per Christum petentibus remittuntur. Impenitentia vero durante, sensim recedit a nobis Christus, suis momentis, ad pœnitentiam excitans. Tunc peccatum, quod non erat ad mortem, perducit ad mortem, vincente semper carne excitatum spiritum. Longa pugna sensim nos ad mortem ducimur, vt primo libro dicebamus. Multis nos hortatur Christus, et expectat, vt pœnitentiam agamus, antequam candelabrum nostrum tollat, et deleat nos de libro vitæ, apoc. 2. et 3.

Vehementer igitur errant Papistæ, qui mortalium peccatorum magno facto catalogo, a quouis eorum aiunt, vno momento hominem necari, baptisimi gratiam tolli, ac pluries

pluries eam reproduci: quasi sint nobis plura baptismata, instar Iudæorum et Mahometanorum. Imo et apud Iudæos peccatum idem erat huic ad mortem, et non illi, præponderantibus in eo aliis bonis, vt 2. para. 12. et 19. Vbi penitus quis auertebatur a iustitia, omnia erant ad mortem, nec prioris iustitiæ erat tunc aliqua vtilitas, Ezech. 18. imo acrior punitio, post cognitam veritatem deficere: quod et Christus nos docet, ac etiam apostoli. Hoc insuper est nobis certissimum, contra Papistas omnes, Internum nostrum hominem esse in Christi iustitia conditum. Ephes. 4. vt quamdiu ille intus permaneat, permaneat iustitia et gratia Christi, sintque tunc peccata commissa omnia venialia. Quamdiu manet in nobis vera fides Christi, manet et iustitia, quæ est ex fide, daturque per eam delictis omnibus venia. Iustitia hæc Christi in nobis perfecta est permanens, in sola ipsius fide consistens, iustitiis omnibus legis præponderans, in interno incorruptibili homine sita, vt sit ipsa incorruptibilis. Omnia apud Iudæos erant iterabilia, et facile corruptibilia: nobis autem contra. Iudæos maxime intelligo vulgus ipsum. Nam prophetas videntes, et in Christum credentes, fides hæc stabilius iustificabat: quanquam et ipsi nobis fuerint inferiores. Artificio vario in singulis agebat Deus.

Argumentaberis adhuc, Si illa eadem Christi corporis et spiritus in nobis est substantia incorruptibilis, erimus nos æquales Christo. Imo internus noster homo aliud nihil erit, quam ipsemet Christus. Ad hoc primum dico, quod in regno cælorum Christus est omnia in omnibus, Colos. 3. Christus se nobis communicans, facit ex nobis vnum ecclesiæ corpus, quod est corpus Christi, complementum sumens ab ipso corpore Christi, qui omnia in nobis implet, Ephes. 1. Dico secundo, non propterea sequi, nos esse pares Christo, nec in futuro seculo erimus ei pares

pares. Imo nec inter nos erimus inuicem pares. Nam sicut stella a stella differt in claritate, ita resurrectio mortuorum. Ab ipso Christo semper gloriam nostram esse, et eam nos illi debere agnosceamus. Generatio nostra est de creatura, generatio Christi de substantia Dei. Christus sua gratia se ipsum nobis donans, omnia nobis donat, et suam gloriam nobis communicat. Gloriam, inquit, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sim ego in eis, sicut tu, pater, in me, Ioan. 17. Tales nos sumus nunc in mundo hoc, qualis Christus ipse est in cælis. 1. Ioan. 4. Et hoc propterea, quia ipse in nobis est, qui nos tales esse facit. Qualis est cælestis ille, tales et ii, qui cælestes sunt, ut ait Paulus. Non tamen propterea simpliciter dicitur Christus esse noster internus homo: sed quatenus innato nobis spiritui seipsum communicat, eum in dies renouando. 2. Cor. 4. et Ephes. 4. Ignis spiritus Christi carnem nostram ad dissolutionem usque mortificat, sicut moriebantur olim carnales Israëlitæ, quos ignis gloriæ domini contingebat. Quanto magis spiritum nostrum suo igneo spiritu Christus innouat, et magis secundum corpus se nobis insinuat, tanto magis dicitur noster internus homo in Christo adolescere, et Christus ipse magis in nobis formari, et externus homo magis aboleri, ut generatio vnius sit corruptio alterius. Constat itaque internus noster homo ex diuina Christi, et humana spiritus nostri natura, ut ob id nos merito dicamur participes diuinæ naturæ, et dicatur vita nostra cum Christo ibi abscondita. O gloriam incomparabilem, et incomparabilia dona cælestia. Quomodo non erit regnum Dei in nobis, si Christus ipse, qualis in cælis regnat, in nobis est, nos tales esse faciens, qualis ille est? Internus noster homo est vere cælestis, de cælo descendit, de substantia Dei, de substantia Christi diuina. Non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis genitus, sed ex Deo. Internus noster homo iustus est, iustus natus est, si

est, sicut Christus natus est iustus, et in iustitia semper habitat. Internus noster homo Deus est, sicut Christus est Deus, et spiritus sanctus est Deus. In umbra huius veritatis olim dictum est, Ego dixi, dii estis: quam deitatem et Zacharias nobis prædicit cap. 12. Sicut vnus Deus est in multis, vob id Deos dici faciens: ita vnus Christus est in multis, nos esse faciens Christos et Deos.

Quia vero substantiam interni noui hominis non ^{Spiritus sancti donum,} scitis nouerunt pædobaptistæ, sicut nec substantiam integram vitalis spiritus noui, familiari alia via de spiritus sancti dono in baptismo, cum eis disceptamus. Sciscitemur ab eis, quare dicitur baptismus spiritus? Ego, cum omnia spiritus sancti effecta, per omnes scripturas discuro, inuenio spiritum sanctum nunquam alicui tribui, nisi vbi aliquid in eo effecisse apparet. Vni per spiritum datus sermo sapientiæ, illi propheta, alii dona linguarum. Spiritus sanctus est spiritus consilii, timoris, pietatis, et similium. Esa. 11. et 1. Corin. 12. Hæc omnia vocat ibi Paulus manifestationes spiritus. Vnicuique, inquit, datur manifestatio spiritus ad id, quod expedit. Vnum est igitur, quod pædobaptistæ fingunt, esse in paruulis dationem spiritus sancti, instar Ioannis baptistæ, cum non sit in paruulis, vt in Ioanne baptista ea spiritus manifestatio. Imo, quod insanius est, spiritum sanctum vocant infusas quasdam qualitates. Ioanni præcurSORI ad Christi manifestationem ex priuilegio datum est in vtero, vt de eo testimonium ferret, etiam si non esset baptizatus. Hoc vero in illis paruulis non reperias. Nec etiam si reueriretur, ad pædobaptismum quicquam faceret. Quomodo ex non baptismo probant ipsi baptismum? Si baptismum inde deducere volunt, baptizent in vtero matris, sicut Ioannes erat in vtero. Spiritus sancti itaque munus fuit ibi manifestum, quia salit infans in vtero matris.

In pædo-

In pædobaptismo vero aliud nihil manifestatur, quam clangor quidam, seu vagitus ranarum, aquis illis innatantium, et calcitrantium. Si in Ioanne baptista non fuit regeneratio, multo minus erit in pædobaptistarum infantibus. Confirmatur ratio præcedens, si a pædobaptistis rogemus, Quid sibi velit ignis spiritus? An non Christus baptizat nos spiritu sancto et igne? Putas, ignem hunc esse rem mortuam? Potest esse ignis, nisi vrat et luceat?

Dices tu nobis, Quemadmodum apostoli vno tempore aqua baptizati sunt, et alio tempore spiritum sanctum acceperunt: ita nihil prohibet paruulos carnis aqua baptizari, et adulto spiritum sanctum accipere. Sed quando nihil prohiberet, quorsum eis baptismus exhiberetur? quis esset effectus? quæ utilitas? Vbi verbum domini, id facere iubens? Apostoli credentes sunt aqua baptizati. Spiritum regenerationis sanctum, ante resurrectionem accipere non potuerunt, cum spiritus ille nondum esset. Velut ænigmate quodam Christus mysteria sua ante resurrectionem designauit, quo omnia postea vere noua in suo regno compleuit. Idem in mysterio nunc sunt baptismus Christi in Iordane, et resurrectio eius, quam ille baptismus Iordanis verum regenerationis spiritum nondum integre habuit, cum Christus nondum esset glorificatus. Ioan. 7. Idem nunc sunt, aquæ et spiritus sancti baptismus, quod nunc fieri non poterat. Quamuis baptismum fides tempore præcedat, et aliquando baptismum spiritus præcedat aquæ baptismus, in fide semper factus: tamen operatione diuina sic denuo coniunguntur illa tempora, vt simul fide et baptismo idem effici dicas, cum in baptismo sit fidei complementum. Per baptismum datur remissio illa peccatorum, quam fides iustificando confert. Peccata, a quibus fide iustificamur, per baptismum abluuntur. Nequit ego baptismus sine fide aliquo modo concludi. Necessario oportet, nos
iuxta

iuxta Christi præceptum, credentes baptizari, ut sic eo lauacro regeneremur. Impossibile autem est, paruulos lauacro regenerari. Non solum ergo prohibentur paruuli baptizari, sed et impossibile est, *nobis* ipsos baptizare, ut baptismi omnes definitiones ostendunt, quas mox trademus. Prohibuit Christus paruulos baptizari, iubens, ut apostoli baptizarent eos, quos docuissent: iubens prius credere, quam baptizari.

Si de manuum impositione loquamur, quid magis mimicum pingere possis, quam sacramentum illud ^{Manuum imposi-} ^{tio.} ministratorum, quod vocant confirmationem, vnum de septem illis bestiarum sacramentis? Non fuit possibile, de puteo abyssi ascendere pictos alios dæmonas, qui tot et tantis modis Christi euangelium ludibrio exponerent. Si, postquam credideris, baptizaris, nihil de hac manuum impositione, quæ baptismum consequitur, verius tibi dici potest, quam id, quod tu ipse leges act. 6. 8. 13. 19. et 1. Timoth. 4. Non legitur illa manuum impositio ad dationem spiritus sancti a Christo peculiariter instituta, sed generaliter est ab eo probata, ad virtutes edendas et morbos sanandos. Sine ea vere dicitur baptismus spiritus, lauacrum regenerationis, tinctio renouationis, spiritus regeneratio ex aqua et spiritu sancto. Illa manuum impositio superabundantem benedictionem continet, et certam virtutem, seu operationem, sicut per manus fiunt operationes. Manuum impositione et oratione utebantur Israëlitici patres ad benedictionem imprecandam. Genes. 48. Num. 27. et Deut. 34. Re fieri solita ad benedictionem dandam usus est Christus, et post eum apostoli. Non est illa formula baptismo penitus necessaria, eo magis, quia sublime illud linguarum donum, quod per impositionem manuum tunc dabatur, ad ecclesiæ multiplicationem, non necessario oportet baptizatis omnibus dari: sed superabundans benedictio ibi ostenditur. Ma-

num impositio aliquando est baptismo præmissa, aliquando omissa, aliquando repetita, ac pueris non baptizatis adhibita. Paulo ipsi prius est manus imposita, quam aqua baptizaretur, acto. 9. Petrus datum Cornelio cernens spiritum sanctum, ei manus imponere non curauit, acto. 10. Illud obserua, quod quamuis post datum spiritum sanctum Cornelio, omiserit Petrus manuum impositionem, tamen aquæ baptismum non omisit: quia ille magis mysterio conueniebat, et erat a Christo omnibus institutus. Repetitam manuum impositionem vides acto. 6. et 13. Apostoli itaque illa benedicendi prisca ratione, a Christo probata, vtentes, super ægros manus imponebant, et orabant, vt sanarentur: sicut baptizatis manus imponentes, orabant, vt daretur eis spiritus sanctus. Id quod nos iuste faciemus, benedictionem semper Christi ac eius spiritus multiplicationem imprecantes. Vocatis quoque ad ministeria ecclesiæ manus, apostolorum instar, imponemus, orantes, vt sit semper manus Christi in ecclesia: ne quando, vt irruerunt Papisticæ larvæ, et Iudaicæ picturæ, adinventionem aliqua noua surrepant iterum Gog et Magog. Hanc vero manuum impositionem nemo accipere debet a ministro, quem videt idololatram, non missum a Deo, vt sunt hodie mitrati et bullati. Non abs re monet nos Christus, vt ministros et operarios a Deo ipso mitti oremus. Matt. 9. Operarios, inquam, non Papisticis bullis, pecunia emptis, ad pinguium carnes comedendas intrusos: sed populi suffragiis ad prædicandum, et ministrandum electos, acto. 6. Aut ab iis, in quibus conspicua erit spiritus sancti virtus, consensu ecclesiæ constitutos, ad Titum. 1. Aut forte et oratione discretos, quando inter aliquos videbitur æqua ratio, acto. 1. Hæc est nobis seruanda triplex ratio constituendi ministros in ecclesia Dei, seclusa Papistica impostura.

Sed quid de illa in sanandis ægris olei vnctione, qua utebantur apostoli, qua nec lex, nec Christus vñ leguntur? Respon-

spondeo. Quemadmodum Christus, dicens, Cum ieiunas, unge caput tuum, unctionis usum fuisse docet, non unctionis præceptum dat: ita apostoli unctione fieri solita videntes, unctionem illam non instituunt. Hoc docent Iacobi et Marci verba, quæ sunt tantum enunciatiua. Apostoli, inquit, ungebant oleo multos ægros, et sanabant, Marci 6. Iacobus inter Iudæos agens, in circumcisione et plerisque aliis Iudaizans, docet presbyteros super infirmum orare, quando eum ungunt, Iaco. 5. Orent, inquit, super infirmum, ungentes eum oleo, et oratio fidei sanabit eum. Vnde Pharisaica colligitur traditio, quæ in lege non ita scribitur. Illud verum est, prophetas et apostolos ultra sanationis donum, aliis remediis usos. Vnde facilius potuerunt remedium vsitatum retinere, cum dono sanationis utebantur. Oleo se Iudæi ad ornatum, et ad salutem ungebant, et olei unctio inter benedictiones legis continebatur. Naturale est in morbis, ægros linimentis aliquibus obliniri: et tunc oratio adiuncta proderit. Aegyptiorum prisco seculo vnus et communis erat olei vsus ad morbos omnes sanandos, vt de chamæmelino refert Galenus. Sacris item literis, oleo inungere idem est, quod medicamento oblinire, Esa. 1. sicut Samaritanus oleo inunxit vulnus proximi sui, cum tamen purum oleum nulli vulnere conueniat. Rudes itaque adhuc apostoli unctionem illam tempore, quo refert Marcus, vt euangelicam non excogitarunt, cum præsertim ipsi tunc omnes iudaizarent. Fuit igitur Iudaica traditio. In rebus aliis maioribus Iudaizare cogeantur apostoli, præsertim Iacobus, qui Ierosolymis in media sedebat Iudaizantium turba, acto. 21. et Galat. 2. Circumcisionem ille filiis Iudæorum, ad Christianismum conuersorum, permittebat. Purificationes, rasuras, et legis vota, Paulo seruanda consulebat, sicut et aliis unctionem illam. Cogeantur illi, vt liceret de Christo loqui, coram Iudæis simulare, a suffocato et sanguine abstinere, et alios

Iudaismos obseruare, propter offendiculum et Iudæorum metum. Babylonios alios longe deteriores idololatrarum ritus nos hodie seruare aut dissimulare cogimur, propter offendiculum et metum. Quia sæuius multo in nos agunt bestię ministri, quam egerint Iudæi in apostolos. Sanguinem semper sitiunt, et cum Caipha et Pharisæis exclamant, Non licet nobis interficere quenquam.

Completis iam et ordine traditis baptismi mysteriis, superest nunc, ad totius nostri operis complementum, quasdam alias rationes et baptismi finitiones adducere, ac obiecta quædam diluere, vt, pædobaptismo vndique improbato, nullus amplius superfit ambiguitati locus. Primo ratio contra pædobaptismum. Quia Christi symbola perfecta viros perfectos exigunt, aut perfectionis capaces. Secunda ratio, Christi symbola ad memoriam etiam sunt instituta, vt possit homo Christi beneficia recolere, et diem, quo fuit cum Christo sepultus, comminisci, sciens, se non posse renouari, si a tali gratia cadat. Magna res est, si cui penitus inhæserit. Cuius memoriæ defectu Christum facile tradimus obliuioni. Tertia ratio, qui iustificationis fidei vim norunt, aperte etiam norunt, quemuis ante adeptam Christi fidem iniustitiæ seruisse, et fuisse filium iræ. Si ergo filius iræ fuit, quid illi profuit pædobaptismus? Syllogismum hunc pædobaptistæ dissoluant, Omnis, qui non credit filio Dei, manet in morte Adæ, et ira Dei manet super eum: Pædobaptizatus non credit filio Dei: Ergo pædobaptizatus manet in morte Adæ, et ira Dei manet super eum. Pædobaptizatos non credere, manifestum est: quia non audierunt prædicationem, quia fides est ex auditu. Quomodo enim credent ei, de quo non audierunt? Alios syllogismos ex supra dictis collige, Omnis, qui natus est ex spiritu, vocem spiritus audit, Ioan. 3. pædobaptizatus non audit: ergo non est natus ex spiritu. Vniuersalis prima vera est, et
a Chri-

a Christo tradita, vbi generaliter de baptismo docet. Omnes, quicunque baptizantur, Christum induunt, &c. syllogismus est euidens, sicut ex vniuersali illa, Quicunque baptizati sumus, mortui et iustificati sumus. Quarta ratio, Iuxta Pauli sententiam nemo potest initio esse spiritualis, sed præcedit, quod animale est, deinde sequitur, quod spirituale. 1. Cor. 15. Ministeria autem noui testamenti sunt ministeria spiritus, et in eis spiritu incipimus 2. Cor. 3. et Gal. 3. ergo ea non possunt a puero carnis incipere. Quinta ratio, Vt docet historia Daudis, qui ascensurus est arcem sion, nec cæcus, nec claudus esse debet, sed strenuus miles. Nemo sublime illud protectum attingere potest, nisi percusso Iebusæo, abstulerit idola omnia cæca et manca, quæ odit anima Daudis, 2. Sam. 5. Sexta ratio, In fluminibus illis aquæ viuæ de cælesti Ierusalem, vt ait Ezechiel, egredientibus piscatores hominum sunt apostoli, non piscatores paruulorum. Boni piscatoris est pisciculos nuper natos non attingere, sed alios maiores ab aquis tollere. Septima ratio, spiritualibus spiritualia, sicut carnalibus carnalia, teste Paulo, oportet conferre: nam hæc inter se, sicut et illa, suum ordinem seruant. Dispice iam, an pædobaptizatus sit ad dominicam cænam admittendus? Si puero, secundum carnem nato, non dederis carnale alimentum, fame peribit. Ad eundem modum in spiritualibus nouus homo per baptismum e cælo natus, nisi nouo cælesti pane nutriatur, fame contabescet. Necessario enim indiget nouus homo nouo cibo. Eo magis, quia sine cæna non est completus nouus homo. Octauo ratio, Omnes suos Christianos ad cænam suam Christus vocat, ergo qui cænæ Christi non est capax, non est ad Christum vocandus. Nam portentum est magnum, si hominem generes, qui manducare non possit. Nona ratio, Fidelis dispensator dat familiæ domini cibum in tempore suo, Luca. 12. Sed pædobaptistæ ante tempus

omnia faciunt. Dant cibum non petentibus, nec indigentibus. Dominica ministeria dispensant iis, quibus nondum est agnitus Christus. De paruulis carnis faciunt regnum spiritus: cælum cum terra confundunt, confusione Babylonica. Decima ratio, Christus iubet apostolos respicere ad regiones iam albas, et paratas ad messem. Sed pædobaptistæ omnes fructus immaturos colligunt, et eos immaturos perdunt. Ad veram enim messem, ut docet nos Christus, oportet expectare, primum, ut herba crescat, deinde tenera spica, deinde granum integrum in spica: et tunc est tempus aptum, ad adultum hominem metendum, Marc. 4. Pulcher est locus, cui contrarium facientes pædobaptistæ, teneram herbam, antequam fructum ferre possit, instar locustarum deuorant. Vndecima ratio. Iidem erant Christiani et discipuli, idem sonabat initio appellatio Christianorum, quod sonare solebat appellatio discipulorum, acto. 11. Ergo nemo Christianus, nisi discipulus. Ergo pædobaptizati non sunt Christiani, qui non sunt discipuli. Evidentissima est hæc ratio, nullos tunc esse vocatos ad baptismum infantes, cum solum vocarentur discipuli. Ita iussit Christus, ut apostoli discipulos facerent, quos baptizarent. Duodecima ratio, omnes Christiani fratres sunt. Si Christiani ac fratres sunt infantes illi, quare eos a fraterna Christianorum communione repellis? a cæna Christi? Hoc ipso iam fateris, non esse fratres nostros. Decima tertia ratio, Fratres nostri non sunt, qui non acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei. Spiritus iste nos facit fratres, qui nos facit eiusdem parentis filios. Hic autem spiritus, ex auditu fidei est: ergo in infantibus non est. Decima quarta ratio, Cornelius adhuc, accepto spiritu sancto, est baptizatus, ex symbolo accipiens maius stabilimentum, et certitudinem. Tam certi esse debemus, Deum non intus abluere, quam certo

certo videmus corpus nostrum ablui. Quæ certitudo infantibus dari non potest. Decima quinta ratio, Regeneratione efficiuntur homines dii. Sunt autem dii, ad quos sermo Dei factus est. Ergo pædobaptizati non sunt dii, qui sermonem Dei non audierunt. Decima sexta ratio, Non potest esse generatio noua in eo, in quo non potest esse homo nouus: in infante non potest esse homo nouus, qui est per sermonem Dei genitus: ergo in infante non potest esse generatio noua. Decima septima ratio, ex legis figuris pædobaptismum improbat, Bos siquidem, quis, et capra, non possunt, cum primum nata fuerint, offerri, sed noua expectanda est hebdomada, Leuit. 22. Non licet primis annis arborum fructus colligere, sed velut incircuncisi censentur, donec per tempus erunt ad sanctificationem apti. Leuit. 19. Ipsos hominum primogenitos, quos maxime sibi elegit Deus, noluit sibi statim offerri, sed ad nouæ hebdomadæ initium, Exo. 22. Decima octaua ratio, Non potest ad Christum vocari, qui non potest a Ioanne præparari. Vt Christo præmittitur nuncius, viam parans, ita et Christiano cuius: vere catechizans erat Ioannes baptista. Decima nona ratio, Ex Trismegisto ipso in libro de regeneratione, et ex Sibyllinis oraculis, aperte docemur, baptismum non conuenire, nisi hominibus adultis.

Qui laticis culpas abluti fonte perennis
Præteritas, rursus geniti, planeque renati, an
Iam non infandis parebunt moribus orbis.

Hæc docet Sibylla octauo libro, quæ et primo docuerat, baptizandos debere institui.

Vt rectos faciant calles, animosque repurgent
A vitiis, et aqua lustrentur corpora cuncta,
Vt nunquam deinceps peccent in iura, renati.

Vicesima ratio, Si infantes liceat sine intellectu baptizari, licebit quoque pueros, a pueris ludentibus, mimice et

per iocum baptizari, vt de Athanasio puero et baptizante fertur: res omnium maxime ridicula. Lucebit item nobis æreas campanas, argenteos calices, altaris lectos, aquæ vrceolos, et brandones paschales in ecclesia nostra baptizare: atque ita calicum vrceorum, æramentorum, et lectorum, cum pharisæis baptismata facere, Marci. 7. Sed quid obsecro sibi volunt illa campanarum et brandonum nostra baptismata? O miseri pharisei, quousque tandem eritis ebrii, et somno sopiti? O Christe, Deus noster, itane ad mille ducentos sexaginta annos iumentis nos assimilari passus es? Vbi sunt, domine, illæ tuæ antiquæ misericordiæ? Iustus tu es. Expectasti, vt compleretur Chananæorum iniquitas, ne iniuste videreris illos expulisse. Istos quoque ad duplum tempus expectasti, qui Chananæis sunt duplo peiores. Magnæ tibi curæ fuerunt pauci martyres, electi tui, et preciosa in conspectu tuo mors eorum, vt tot peritura bestiarum millia sæuire permitteris, ad complendum tuorum martyrum numerum, apoc. 6. Sæuæ illæ beluæ nihil in conspectu tuo habitæ sunt. In illis tu gloriam tuam ostendisti, omnes velut Aegyptiacam turbam præcipitans, vt gratiæ tuæ erga electos tuos magnitudo appareat. Iustus igitur tu es domine, et illi omnes impii, qui Aegyptiorum, Babyloniorum, et Chananæorum omnium impietates superarunt. Admiranda profecto in hac re Dei sapientia patet, vt quos ille improbos nouit, in ea temporum momenta detrudat. in quibus gloriam suam, et in electos misericordiam patefaciat, et ea, quæ prædixit, compleat, in hoc ipsum malos indurans, propter impietatem suam. Non propter seruum arbitrium. Impietas nostra passim facit arbitrium nostrum ex libero seruum proposito ad certa momenta libertatis biuio, et neglecto. Atque ita nemo in æternum ignem damnabitur, nisi qui malum cognoscens libere commiserit. Tametsi aliquando corporali morte iustum cum

stum cum impio, simul occidat Deus, et paruulum cum magno, Ezech. 21. et Lucæ. 13. tamen æternæ illius futuræ mortis non est simile iudicium. Ea enim nemo gratis damnatur. Si obicias, Deum gratis ad euangelium quosdam vocare, et quosdam gratis repellere: Respondeo, id verum esse, et dictis non contradicere. Euangelicæ vocationis, vel non vocationis, vel non vocationis causam non ad pietatem, vel impietatem nostram, sed ad Dei voluntatem, simpliciter referri vult Paulus, Rom. 9. Quod maxime verum est. Quia aliud est, ad euangelium non vocari, id quod gratis facit Deus: et aliud, ad æternum ignem damnari, id quod nunquam gratis facit Deus. In vocatione hac euangelica nec ipsius Mosis misertus est Deus, quia noluit, vt ex ipso Mose citat ibi Paulus. Ad regnum hoc per donum præsens non vocauit tunc Deus ipsum Abraham, nec Dauidem, nec alios legis prophetas. quia noluit. Non tamen propterea illos gratis damnat, nec facit eis iniuriam, sicut nec catechumenis, ante baptismum decedentibus. Non facit Deus aliis gentibus iniuriam, nos ad euangelicum, et cæleste hoc regnum, gratis vocando: cum et eis sua merces respondeat, vt et filiis Cain respondere dixit ipse Deus. Genes. 4. Nam sunt illi omnes ex factis suis iuste iudicandi. Innatus omnibus a creatione est spiritus Dei, Genes. 2. et 6. Conscientiæ regulam ad salutem sufficientem docens, vt sint impii omnes inexcusabiles, Rom. 1. et 2. actio. 10. et 17. Propter hunc nobis insitum Dei spiritum est sub potestate nostra virtus peccati, vt ipsi Cain respondit Deus. Apud te, inquit, o Cain, et in carne tua, erit illecebra eius, scilicet peccati, et tu dominaberis ei. Propter delicta ergo datur quis in reprobam mentem, non propter seruum arbitrium. Sicut Christus in cælo habet liberum arbitrium, ita ex parte nos ab eo illuminati habemus. Libertate, qua Christus liber est, nos liberi sumus, eius spiritu et libertate donati. Aliis alius est spiritus, et a-

lia libertas, quam passim serpens obscurat. Sed de his fati.

Proferamus nunc baptismi veras descriptiones, quibus verbo Dei describitur, et ex quibus veras definitiones conficies, ut videas, quam longe absint a pædobaptismo.

1. Baptismus est tinctio, cum doctrina, et manuum impositione Heb. 6. At pædobaptizati doceri non possunt.

2. Baptismus est viuum Dei opus, adiunctam habens pœnitentiam, fidem, et spiritus sancti donum. Ibidem. Mortua autem hæc omnia in pueris sunt.

3. Baptismus est post opera mortua ita desuper natum viuificari, illuminari, et futuri seculi virtutes ita gustare, ut sit relapso res irreparabilis. Ibi. Sed pueri solum habent lactis gustum, quem sæpius repetunt.

4. Baptismus est abluere peccata, inuocato nomine domini, acto. 22. pueri vero neminem inuocant, nec nomen Christi norunt.

5. Baptismus est Christo credentem instar mortis eius aquis sepeliri, ibique circumcisione spiritus facta, corpus peccatorum deponere, et deinde cum Christo resurgere, Colos. 2. Quæ res in pædobaptismo est merum præstigium.

6. Baptismus est, sic cum Christo resurgere, ut quasi terrenis quis mortuus, sola cælestia curet. Colos. 3. Pueri nil tale curant.

7. Baptismus est ablui, iustificari et sanctificari, in nomine Iesu Christi, et in spiritu Dei nostri. 1. Cor. 6. Examina singulas partes, et vide an infantibus conueniant.

8. Baptismus est ablutione noua Christum induere tuncque filium Dei effici, Galat. 3. Quæ omnia pædobaptistis sunt friuola et ridicula.

9. Baptismus est, audito Dei verbo, pœnitentiam agere, et tingi in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, ut donum spiritus sancti accipiatur. acto. 2. Pueri nec
audiunt

audiunt, nec pœnitent.

10. Baptismus est renasci ex incorruptibili femine per sermonem Dei, vt quis quasi tunc genitus infans omni dolo vacet, et gustet, quam suavis sit dominus, 1. Pet. 1. et 3. In pueros non feminatur sermo, nec gustare illi cœlestia possunt.

11. Baptismus est nauicula Christi, ab aquarum abyfso nos eruens, idque efficiens, vt bona conscientia per resurrectionem Christi in cœlum erecta, bene respondeat apud Deum, quanquam fordes in carne adhuc maneant. Ibi. Puerorum vero nulla est conscientia.

12. Baptismus est ἐπερώτημα stipulatio bonæ conscientiae erga Deum, est declaratio fidelis animi erga Deum, quo fordes animæ abluuntur. Ibidem. Stipulentur iam pædobaptistæ a suis paruulis, vt fidelem erga Deum animum illi declarent.

13. Baptismus est accedendo in certitudine fidei, ac depulsa conscientia mala, ablui corpore aqua pura. Heb. 10. In pædobaptismo est sicut baptizare campanas.

14. Baptismus est lauacrum regenerationis et renouationis spiritus, nos saluans, vt cœlesti iustitia iustificati regnum Christi possideamus, ad Titum. 3. Pueros regigni, aut innouari, aut iustificari, est vnum purum nihil.

15. Baptismus est per operationem spiritus denuo ex aqua ita nasci, vt vocem spiritus audias, regnum Dei videas, et in cœlum ingrediaris. Ioan. 3. Pædobaptizati nec vident, nec audiunt.

16. Baptismus est iuxta veterem hominem vna cum Christo veluti mortuum sepeliri, et iuxta nouum sic cum illo resurgere, vt quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, ita baptizatus in nouitate vitæ ambulet, Ro. 6. At pædobaptizati serpentis vitam in carne viuunt, veteribus peccatis adhuc conuoluti.

17. Baptismus est Christo sic inferi per hoc mortis eius symbolum, vt et resurrectionis eius particeps fias. Ibidem. Pueri nullius horum sunt capaces.

18. Bapti

18. Baptismus est mort^{is} Christi sic fieri participem, vt crucifixo veteri homine, aboleatur corpus peccati. Ibidem. Sed quid obsecro possunt infantes illi crucifigere?

19. Baptismus est a peccato sic ablui, vt quemadmodum antea seruiebamus iniustitiæ, et iniquitati, ita nunc seruiamus iustitiæ. Ibidem. Pueri nec iniustitiæ seruire sunt apti.

20. Baptismus est scire et credere, quod quemadmodum tunc cum Christo morimur, ita deinceps cum illo viuemus. Ibidem. Pueri vero nec credunt, nec quicquam sciunt, nec viuendi rationem mutant.

21. Baptismus est sic orantem tingi, vt ei tunc cælum aperiatur, Lucæ. 3. Pueri clausis oculis plorant.

22. Baptismus est, audita pœnitentiæ et nominis Iesu Christi prædicatione, spiritu sancto, et igne cælitus afflari. Ibidem. In pædobaptismo solus auditur vagitus, et ranarum clangor.

23. Baptismus est fide Christi ad aquas descendere, et deinde ascendere, Acto. 8. Infantuli nec descendere possunt, nec ascendere.

24. Baptismus est sic tingi, vt per vnum spiritum in vnum corpus coniungamur, vnus consensus vnitatis. 1. Cor. 12. Infantium nullus est consensus, aut spiritus, aut corporis unitas.

25. Baptismus est, audito euangelii verbo, in vnitatis fidei, lauacro aquæ mundari, ad vnitatem et consortium, immaculatæ cælestis ecclesiæ, Ephes. 4. et 5. In pædobaptismo nulla spiritalis ecclesia colligitur, sed chaos Babylonicum.

Ex prophetis diffinitionis aliæ colliguntur, quarum nulla pædobaptismo congruit. Quod baptismus sit effusio aquæ mundæ, de gentibus colligens in cæleste regnum, tollens iniquitates et dans spiritum nouum, Ezech. 36. Quod sit
fons

fons datus domui Dauid, ad expiandum peccatum et immunditiam. Zacha. 13. et plerisque aliis locis.

Diluendæ nunc supersunt duæ aduersariorum rationes, quibus illi pædobaptismum inducere conantur. Prima sumitur ex illo Matth. 19. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Sed nihil contra nos: quia non veniebant ibi paruuli, vt baptizarentur, sed vt manuum impositione, et oratione benedicerentur. In ea re exemplum nobis datur, vt paruulis benedicamus, seu eis beneprecemur. Talium dixit Christus, esse regnum cælorum, id est, eorum, qui efficiuntur vt paruuli. Ipsemet Christus ita exponit, iubens apostolos effici tales, quales sunt paruuli. Verissima est ibi regula Christi, nobis obseruanda, Quicumque non acceperit regnum Dei, tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud Marci, 10. et Luc. 18. Quod si quis ipforummet paruulorum carnis dicat esse regnum cælorum, et futuram gloriam intelligat, nos non contradicemus, qui paruulos ipsos carnis non baptizatos a futura gloria non penitus excludimus. Nunc vero, cum sit regnum spiritus, in illud ingrediuntur, qui efficiuntur paruuli spiritus. Duplicem ita vim nos admittimus, in illis Christi verbis, Talium est regnum cælorum: vt sit sermo eius gladius vtrunque scindens, Vnum ille agens aliud intendit, et vtrunque verum. Paruulos ad se lubens admittebat Christus, cum sciret saluum esse eorum statum: et vt nos eorum exemplo, et similitudine moneret, effici sine dolo, infantium simplicitate. Eis benedicebat, vt futura prospere succederent: nosque instruebat, vt paruulis futura cælestia dona benedicendo precemur. Plurimum illis potest hæc iusti oratio prodesse, contra morbos, contra maleficia, ad omnem dæmonis in eos potestatem coërcendam, vtque ad regnum cælorum sint postea magis præparati.

Secun-

Secundo argumento nobis obiiciunt illud Ioan. 3. Nisi quis natus fuerit e supernis, ex aqua et spiritu, non videbit, non intrabit in regnum cælorum. Profecto non viderunt ipsi vnquam, nec intrarunt in regnum cælorum, quod intra nos est. Ideo eos moneo, vt denuo nasci velint, vt videant, et intrent. Nam sicut est nunc spiritualis natiuitas, ita est spiritualis introitus, qui erit postea corporalis. Introitus in regnum cælorum fit nunc per fidem in spiritu, sicut fiet postea per gloriam in corpore. Ea ipsa hora, qua quis e cælo nascitur, cælestis fit homo, et in cælum intrat. Quomodo enim potest quis e cælo nasci, nisi fiat cælestis? At constat, paruulos carnis nec cælestia curare, nec videre, nec intrare. Quid sit intrare in regnum cælorum, et quod nunc intretur, declarat nobis ipsemet Christus, contra pharisæos Matth. 23. Vos non intratis in regnum cælorum, nec alios finitis intrare in regnum cælorum. Intrari nunc, et a nobis nunc accipi regnum cælorum, docet Matth. 11. et Lucæ. 18. Quid sit videre regnum Dei, ipse etiam declarat Matth. 13. Marci. 12. Lucæ 17. et alibi passim, docens, regnum ipsum nunc a nobis videri, et certo mysterio intelligi. Mysterium magnum suæ spiritualis regenerationis, et doctrinæ tam cælestis, voluit Christus Nicodemo aperire: quod illi plane non intelligunt, qui regnum cælorum in hominibus non vident. Sermo item Christi perinde sonat, ac si dixisset, Nisi quis ingrediatur per arctam portam, et angustam viam, non potest intrare in regnum cælorum, Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam scribarum et pharisæorum, nos intrabitis in regnum cælorum. Hoc vero quid ad paruulos? Nisi conuersi fueritis, et efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in regnum cælorum. An paruuli carnis possint conuerti, et effici sicut paruuli? Præ-

tere2

terea, sicut dictum est, nisi quis renatus fuerit: ita
dictum est, Nisi manducaueritis carnem filii hominis.
Ergo secundum hanc rationem deberent paruuli ad
cœnam admitti. Vt igitur ad omnia vno verbo re-
spondeam, dico primo, quod promulgata lex eos
tantum ligat, quibus loquitur. Dico secundo, quod
Christi sermo simpliciter verus est, etiam in paru-
ulis: qui nec renascuntur, nec ingrediuntur, nec re-
gnum cœlorum videre tunc possunt. Aliis etiam mo-
dis potest argumentum controuerti, si ponderes ver-
ba, denuo gigni, desuper nasci, et ex spiritu. Si
recognoscerent pædobaptistæ, quid sit per actionem
spiritus gigni, nasci, aut renasci, erubescerent di-
cendo, paruulos carnis hoc modo nasci. Cum præ-
sertim ex cœlesti substantia nasci non contingat, nisi
per cœlestem fidem. Item quid est denuo nasci, nisi
effici noua creatura? Quid est effici noua creatura, nisi,
abolito corpore peccati, nouum hominem in nouitate
vitæ ambulare? Item qui renascitur, et resurgit,
prius debet mori, qui ex spiritu natus est, vocem
spiritus audit, et videt regnum Dei, eius mysteria
intelligendo. Quod natum est de spiritu, spiritus est,
spiritualis homo est. Quæ omnia infantibus non con-
ueniunt. Hoc est igitur vnice detestanda pædoba-
ptistarum abominatio, et regni Christi desolatio, quod
nolunt Christum nunc regnare in sanctis suis. Nolunt
nos cum Christo regnare, quia non permittunt nos
cum eo resurgere. Væ vobis pædobaptistæ, qui
clauditis regnum cœlorum ante homines, in quod
nec vos intratis, nec alios finitis intrare. Væ væ.

Conclusio

CONCLUSIO.

PAedobaptismum esse dico detestandam abominationem, spiritus sancti extinctionem, ecclesiæ Dei desolationem, totius professionis Christianæ confusionem, innouationis, per Christum factæ, abolitionem, ac totius eius regni conculcationem. O pater omnipotens, pater misericordiæ, eripe nos miseros ab his tenebris mortis, per nomen filii tui Iesu Christi, domini nostri. O fili Dei, Iesu Christe, qui pro nobis mortuus es, ne moreremur, succurre, ne moriamur. Hoc vnum, vt nos docuisti, te supplices oramus, Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, et tu ipse, domine, veni. In apocalypsi sponsa tua ecclesia orans dicit, veni: spiritus filiorum tuorum ibi orans dicit, veni. Omnis, qui hæc audit, oret, clamet, et cum Ioanne dicat, veni. Venies certe tu, qui dixisti, venio cito, apoc. 22. Et Antichristum aduentu tuo certe destrues. 2. Thessa. 2. Fiat Amen.

EPISTOLAE

TRIGINTA AD IOAN-

nem Caluinum Gebennen-
fium conciona-
torem.

EPISTOLA PRIMA.

Iesum illum Nazarenum, pro nobis miseris crucifixum, fateris tu nomine dici filium Dei, sed re ipsa non esse filium. Nam rationem veram, quare hic homo sit filius Dei, non credis eam esse, quod hic homo sit vere genitus de substantia Dei: sed tropo quodam ais filium, quia est in eo inuisibilis alius filius, quasi radius decifus. Monstro magno Deum discerpis, verum filium obliteras, et Deos novos fingis. Te plane fefellit allegoricum dictum de sapientia genita, quæ et creata dicitur, vt vel hinc colligas, esse figuratam loquutionem. Realitatibus illis nedum discerpitur Deus, sed et duo filii dissimiles aperte docentur, alter incorporeus inuisibilis, alter corporeus visibilis. Absurda hæc te non mouent: id tantum obiicis, Si homo sit sermo, duos esse sermones, cur non et duos filios? Nihil tu ibi discernis, quasi vtrunque promiscue liceat vocibus confusis. Vt absurditatem omnem et confusionem tollas, vnice te rogo, ne vocibus abutaris. Si propriam significationem tu seruas, aliud proprie significat sermo, aliud proprie significat filius. Sermonis est proprie prolatio, et repræsentatio, filii est substantialis generatio. In

O,

hoc est

hoc est realis distinctio, non in illo. Hic homo filius, quia prolatione Dei genitus est, dicitur sermo. Et sermo ille olim, quia ad filii generationem tendebat, et filium referebat, dicebatur filius. Erat sermo referens, personalis filius. Cogita, *λογον* esse rationem referentem, et filium esse ex Maria genitum. Si proprio significatu *λογος* est sermo referens, seu ratio referens, quis tecum dicere audeat, Ioannem esse abusum? Si duos sermones, aut duos filios ratione aliqua dicere lubet, alterum esse figuram alterius, dicendum est. Atque ita tandem conueniemus, dicentes, fuisse olim filii personam et figuram. Vobis potius dicuntur esse duo, cum sit vterque realis, nullaque inter illum et istum similitudo. Ego illum dico fuisse huius naturalem similitudinem et personam. De persona ita proprie loquebantur antiqui, ponentes in Deo personam filii, quæ est vna cum homine persona. In persona Christi dicitur sapientia olim formata. Nam Christus est vera sapientia, qui ab æterno suam formam habet in Deo. Sed realis illius, et inuisibilis filii, quem asseris, quam tu formationem dabis? Impositura diaboli est, et impossibile monstrum in Deo. Aduerte autem, quod apud Salomonem Hebraica vox *הוללתי* *holalti*, non proprie significat generationem, sed expressionem, et formationem, qualis fuit in mente diuina. In anima hominis est notitia, imaginis expressio, formæ conceptio, certæ rei figuratio. An propterea conceptus ille in anima nostra dicitur filius? Nequaquam profecto nisi metaphorice. Potiore vero ratione diceretur in anima nostra esse vera et realis generatio illius conceptus, quam in Deo. Quia animæ nostræ quid extrinsecus aduenit realiter distinctum, non autem Deo. Erat in Deo æternaliter mente concepta formata et expressa sapientia, figuratio Christi. Et in ea ipsa Christi figura relucebant res omnes, quæ futuræ erant in ipso. Hæc erat diuina sapientia cuncta componens ad gloriam Christi, et Christus in Deo. Illa non erat in Deo realis filius, sed persona Christi realis filii. Relucentia erat futuri filii, et ad filii generationem substantialiter tendebat. Similitudinem aliquam
vel hinc

vel hinc potes accipere. Quando in patre futuri Petri est genituræ substantiale semen, est iam in eo substantia filii, nondum filius ipse. Nondum est tunc homo Petrus, sed est origo generationis eius. Ita erat in Deo substantia Christi, æternalis origo generationis ipsius, essentialis imago et persona. Ibi iam hic homo concipiebatur, exprimebatur, generabatur, et si velis, creabatur. In eius persona et figura ait sapientia, Concipiebar, formabar, generabar, creabar. Plura tibi concedo, quam petis, modo Christum intelligas creatum, quia participes creaturæ. Si omnium scripturarum scopum tibi Christum proponas, erunt tibi omnia facilia. Totum verbi arcanum erat huius hominis glorificatio, sicut ipse iam olim erat in Deo gloriosus. Ioan. 17. Memineris quæso, hominem hunc esse vere genitum de substantia Dei, atque ideo esse verum filium Dei. Per sermonem est hic homo ab æterno genitus, et in sapientia sermonis figurabatur filius. Vnde dicitur sapientia personaliter genita, personalis filius, in huius geniti sponsa. Relucebat iam ibi homo essentialiter futurus in Deo, propter quem omnia et per quem omnia. Nullum erat in Deo monstrum, nulla dissectio, nulla realis distinctio: sed gloria æterna hominis Iesu Christi, filii Dei, in eo ab æterno, et in æternum, personaliter et substantialiter existentis. Sit tecum Iesus Christus, ut ipsum bene cognoscas. Amen.

EPISTOLA SECVNDA.

INCorporeum a patre distinctum realem illum inuisibilem filium, et radium decusum tibi persuades ex Paulo, qui Christum ait esse genitum ex semine Davidis secundum carnem Ro. 1. Vnde a pari tu infer: sicut Christus ratione naturæ humanæ filius Davidis nominatur, ita etiam ratione naturæ diuinæ filius est Dei. Recte quidem infer. Et ego a pari quoque ita infero: Sicut natura ipsa humana non dicitur filius, ita nec natura ipsa diuina dicetur filius. Vides, qualiter in te vertitur argumentum. Tres alioqui

O. 2. nobis

nobis filios facies. Natura humana est tibi filius, natura diuina est tibi filius, et totus ipse Christus filius. Si Pauli æquiparationem sequareis, κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα, dices, esse secundum carnem filium Davidis, et secundum spiritum filium Dei. At spiritus Christi non dicitur ibi filius, sed est per spiritum hic homo declaratus filius. Simili diuisione utitur Petrus, Mortificatus est Christus carne, viuificatus spiritu. Spiritum Christi non vocat filium. Ad idem 2. Cor. 13. Crucifixus ex infirmitate uiuit ex virtute Dei. Quam virtutem constat ibi non esse filium. Tota diuinitas Christi his locis vocatur spiritus, non filius. Ego itaque ingenue tibi fateor, Christum ipsum, ratione naturæ humanæ, esse filium Davidis, sed naturam ipsam humanam non esse filium. Christum quoque fateor, ratione naturæ diuinæ, esse filium Dei, sed naturam ipsam diuinam non esse filium. Tu es filius patris et matris, tamen id, quod habes a patre, non est seorsim filius, nec id, quod habes a matre, licet eorum ratione tu sis filius. Ratione animæ tu es homo, et anima ipsa non per se dicitur homo. Ratione Deitatis Christus est Dei filius, et deitas non est filius. Ab eo nobis datur spiritus, qui nos filios facit, et spiritus ille non est filius. Si separatam animam videns, ob similitudinem, et essentialem rationem, tu concedis, esse hominem, eadem ratione concedes, verbum esse filium: nec ob id proprie, esse in vno dices duos homines, nec duos filios. Ostende tu, alicubi dici, Deum esse patrem deitatis Christi, sicut est pater Christi. Christum esse hominis vocabulum, fateris: ergo Deus pater Christi est pater hominis, Deus genitor hominis. Naturalis homo natus est, naturalis homo filius, homo naturaliter genitus est naturaliter filius. Si ille ipse Deus meus et pater est Deus vester et pater: Deus hominis est pater hominis, Ioan. 20. In Christo est duplex natura, diuina et humana, neutra tamen earum est filius, sed ipse ex vtraque natura constans est Christus fi-

stus filius vnigenitus, filius patris et matris, vnicus filius. Similitudines aliae sunt remotiores, vt deitas vincit in omnibus. Ratione deitatis est hic lapis, hoc aurum, illud ferrum: at non solam deitatem, sed id totum proprie dicimus lapidem, aurum, vel ferrum. Doce nos, si potes, deitatem illam, quæ est in Christo, alicubi dici filium. In Christo non est vna illius ternarii portio, vt ais, sed tota deitatis plenitudo: ergo in eo non est aliquis filius, sed ipsemet est filius. Ne vnus quidem est in scripturis locus, in quo dicatur sine homine filius. Quare ergo vos facitis sine homine filium? Error maximus est. Erroris causam si velis audire, paucis ego referam. Christum fuisse apud Deum, legentes, et æternam ei tribui generationem diuinam, audientes, metaphysici sophistæ inuisibilem alium filium imaginari coacti sunt. Hinc ad tertiam rem distinctam saltum fecerunt. Draconis fuit hæc triceps illusio, quæ in sophistas facile irrepfit, instante regno Antichristi. An non legisti ibi spiritum draconis, spiritum bestię, et spiritum pseudopphetę tres spiritus? Tres sunt vere dæmoniorum spiritus, a quibus occupati tenentur, qui bestię trinitatem agnoscunt. Orbem hi tres spiritus concitant, contra agnum immaculatum Iesum Christum, filium Dei, apo. 16. Falsi ergo sunt trinitariorum inuisibiles dii, adeo falsi, sicut dii Babyloniorum: cum præsertim dii illi in Babylone colantur. Vale.

EPISTOLA TERTIA.

SAepius ego te monui, ne illud trium rerum monstrum tantum, et tam impossibile, in Deo tu admittas, nullis bene intellectis scripturis probatum. Hac tamen ratione tu moueris, quod Deus ab æterno dicitur pater: item quia patriarchę dicebantur filii Dei, ratione incorporei illius iam tunc existentis filii. Leuissimæ sunt hæ rationes, ad tantum in Deo monstrum inducendum. Ad primam ego cla-

re docui, seclusa in Deo temporum ratione, eum semper dici patrem, et ab æterno filium hunc generare, in quo et patres antiqui spem habuerunt. Hinc secunda ratio diluitur, imo vt insulsiſſima reprobatur. Nam filiatio illius secundæ inuisibilis rei nihil habet nobiscum commune, vt eius ratione dicamur filii. In homine Christo est vera filiatio, hominibus communicata. Quod in patriarchis fuerit filiatio Christi, fuit umbra Futurorum, sicut erat illis spes futuri Christi. Deus dicebat, se fore patrem, et nos fore filios, tunc in umbra, nunc in veritate. Deus erat pater personaliter, sicut erat in eo persona filii. Erat pater realiter, ratione ipsius hominis Iesu Christi, sine tempore sibi iam præsentis, et ab eo æternaliter geniti: sicut si tu ab æterno spirasses ad prolem aliquam, et mulier eam nunc pareret. Hinc dicitur Christus secundum spiritum esse filius Dei, quia est per spirationem Dei genitus, et spirituali diuina ratione productus. Graue tibi est concedere, hominem Christum esse ex Deo genitum. At nos sumus ex Deo geniti, Ioan. 1. An simili ratione, An sublimiore, est ille ex Deo genitus? Certe sublimiore, et ab æterno. Imponis mihi, quod sermonem ego dixerim in creatione cœpisse, quando Deus sententiam de creando mundo protulit, quasi tunc exstiterit sermo prolationis ad Christi generationem. Ego æternitatem sermonis, seu rationis diuinæ, vbique doceo, Christi relucientiam æternam, futuri hominis personam, et substantiam, vt in ea facie videatur Deus. Extitit quidem sermo in creatione, et exiuit se manifestans, exiuit postea varie ad prophetas. In incarnatione latius exiuit, et generationem totam consummauit. Myſterium magnum est, et donum Dei est, bene nosse generationem hominis huius æternam, et egressionem eius varias, vt ait Michæas.

EPISTOLA QVARTA.

Crassam

CRassam iudicas hanc meam hæresim, quæ Iesum hominem credit esse verum et naturalem filium Dei, corpus ipsum, in verbo et angelis olim præfiguratum. Crassam ob id, quod visibile seu perceptibile quid verbo, spiritui, et angelis tribuam. Crassam hanc fidem amplectebantur olim rudes discipuli, et amplectuntur nunc veri Christiani, quamvis eam sublimes mathematici et metaphysici rideant. Tam vehemens est illusio, ut manifestationem ipsam Dei nemo agnoscat. Deus a mortalibus non intelligitur, nisi per speculum: nec tunc vere intelligitur, nisi ut se nobis exhibet, manifestatione quadam, et communicatione. Si Deus per verbum et spiritum se fecit perceptibilem, in verbo et spiritu erat quid perceptibile, ac perinde in angelis. Materiam quandam luminis diuini susceptibilem, et corpus quoddam substantiale, spiritibus et angelis tribuerunt antiqui theologi: cum quibus id affirmant magnus Basilius, et Augustinus, quem tibi patronum iactas. Lucem hanc solis ipse in Genesi dixit, esse substantiam et corpus, quod se intus penetrari finit. Tale est angeli corpus, aliunde penetrabile, corpus spirituale, substantia ætherea. Spiritus omnes etiam rationales, etiam subtilissimos, penetrat lux diuina, Sapient. 7. et Heb. 4. Omnia implet, omnia penetrat, in angelos intrat et animas. Non obest, si dicas, spiritus illos aliis corporibus vestiri. Nam id fieri potest. Nihilominus est ipsis propria substantia, quam nos aliquando sensibilibus percipiemus, et nunc perciperemus, si sensus essent nobis tam exquisiti. Quicquid est in mundo, est specie aliqua perceptibile. In Deo quoque sermo et spiritus percipiuntur, per quos se ille manifestare voluit, et per quos perceptibiles sunt omnia facta perceptibilia. Si verbum et spiritum concedis perceptibilia esse, quæ ex eis sequuta sunt effecta, perceptibilia dices: tametsi inuisibilia dicamus, quæ spirituali alio modo, quam per visum percipiuntur. Inuisibilem dicimus aërem, perceptibilem tamen. Inuisibilem, inquam, quia est acie nostri visus tenuior. Spiritus ipse diuinus, velut aura tenuis, in

animas nostras spirans, se nobis perceptibilem facit, licet sit inuisibilis. Cælestes creaturas sub specie angeli dicimus visibiles, sub specie spiritus inuisibiles nobis, vere tamen in se visibiles. Eas cum Dauide dicimus esse aëreos flatus, et igneas flammæ, superclementares scilicet: non habentes carnem et ossa terrea, ut ait Christus. Quemadmodum inter homines, ita inter spiritus illos, alii aliis imperant, sunt excellentiores, acutiores, habentes plus agilitatis, tenuitatis et splendoris. Alii habent plus crassitiei, et minus intellectus. Crassi adeo et materiales sunt inferiores spiritus, ut in muliebrem lasciuiam moti, eam genii exequantur, velut satyri, et incubi. Imo ob id sunt diluuium in abyssi tartarum cum gigantibus deturbati, ubi ligati in finale iudicium seruantur puniendi. Ita ex antiquitatibus Iudaicis refert Iosephus. Ita et Henoch, ut a plerisque citatur. Ita Philo Iudæus in libro de gigantibus. Ita quoque septuaginta seniores Hebræorum interpretati sunt, et alii Hebræi. Ita cum apostolis ipsis, Petro, Iuda, et Ioanne intelligunt Iustinus, Irenæus, Clemens Romanus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Lactantius, Eusebius, et reliqui veteres. In aquam sunt dæmones merito præcipitati, sicut et per aquam peccabant. Nam velut aquea corpora, pulchra specie filiorum Dei, mulieribus imponebant, et generabant, aqueum sperma, malis artibus paratum, immittentes. Sine dæmonum opera non fuissent ita genita tam ingentia monstra. Ita filios Dei vocat Iob, malos angelos cum gigantibus in diluuium ponens. Sicut Salomon et Esaias, ut explicui libro secundo de trinitate, loco decimoquarto. Non ergo te debuit hoc tantopere offendere, quod post prophetas et apostolos, maximi Hebræorum ac Christianorum theologi docuerunt, ac etiam philosophi. Philosophos taceo, quia innumeri sunt, Chaldæi, Aegyptii, Græci, et Latini, qui dæmones esse aërea corpora, dixe

dixerunt. Aërei dæmones, seu velut aërei, sunt initio per terreum cibum puniti, deinde in aquam submersi, demum in ignem æternum. Varii sunt modi, quibus a dæmonibus generari potuerunt gigantes, ex propria et multiplici dæmonum virtute, ex observatione locorum in astris, magna corpora facientium, ex sumpto a magnis hominibus semine, et ex victus ratione, corpora roborante.

EPISTOLA QVINTA.

ILLud te pariter offendit, quod veluti naturalem verbo et angelis, dixerim humanam Christi formam ætheream, secundum quam erat ipse in forma Dei. Sed paulisper animum adtende, et te multis viis manuducam. Sicut nunc est vere reale, quod ibi erat in figura: ita nunc est homini Christo vere naturalis ea forma, quæ olim dispositione Dei figurabatur in verbo et angelis. Angelis hac ratione non est humana forma ita naturalis, vt nobis. Cum enim sint spiritalis ætherea substantia, terræ nihil communicans, quasuis formas facile accipiunt. Humana tamen, quæ potior erat in verbo, ipsorum formatore, fuit quoque semper ipsis potior. Imaginem hominis vocat angelum Daniel, ca. 10. Ad angelos dictum est, Faciamus hominem terreum, ad formam et figuram nostram ætheream. Terreus dictus Adam ab adama, vt homo ab humo, accepit vere supernam formam. Ipsi terræ data est tunc ea forma, quæ iam antea erat in æthere, omnium formarum speciosissima, quam reliquæ omnes mundi formæ venerantur, quam et filio suo Deus elegit. In verbo iam ea forma multis viis, seu multis inductionibus, ostenditur, si hoc bene prius teneas, me non dicere in verbo formam corpoream, sed prolationem, exhibitionem diuinam, instar formæ corporeæ. Audi nunc inductionem.

O. 5.

ductiones meas, ut in verbo intelligas formalem aliquam rationem. Inductio prima est ex ipsa sapientiæ omniformis cognitione. Si sapientiā credis omniformem, credes et in ea forma hominis principem formam. Inductio secunda est, ex proprio significato vocis λογος, quod est, sermo referens, ratio referens, repræsentans. Inductio tertia est ab ipsa luce. Si naturale et proprium creatæ, et increatæ lucis semper fuit, rerum aliarum exprimere ideas, in ipsa Christi luce sitas : multo magis erit ei proprium, exprimere Christum, a quo omnia, et qui primus erat scriptus in capite libri. In luce animæ tuæ, quam ais inuisibilem, concedis, esse rerum visibilium formas : cur igitur offenderis, si in luce ipsa Dei dicam ego esse formas tales ? An non inde deriuantur illæ, in animam tuam ? Inductio quarta est, a visione et facie Dei. Non erat falsum, id quod videre cupiebat Moyses. Lux erat Dei ibi abscondita, nobis manifestata. Inductio quinta est ab omni semine, sicut verbum erat semen, vere formale. Ad illius exemplaris instar, in semine tam animalis, quam stirpis cuiusque, est formalis virtus quædam, talis rei figuratiua : non solum talis iuxta certam speciem, sed iuxta certum indiuiduum, quale est ipse Christus. Non solum erat in verbo naturalis virtus figuratiua Christi, sed figura ipsa visibilis, ob peccatum reddita inuisibilis. Inductio sexta est ab hominis formatione, qui ad formæ illius supernæ imaginem et similitudinem est corpore et anima formatus. Inductio septima est ab essentiali conformatione. Si essentialiter nunc est verbum in homine, et essentialiter est verbum homo, essentialiter conformatur et coaptatur formæ et figuræ hominis : atque ita ab æterno habuit aptitudinem et respectum formæ et figuræ hominis. Inductio octaua est a naturali potentia. Naturalis erat ibi potentia, actu nondum terreus homo : sicut in aliis generationibus omnibus naturalis potentia, antequam sit actus : prius potentia filius, quam actu filius. Hinc ab omni generatione inductionem nonam collige, contra mathematicam illam vestram, et realem inuisibilem generationem, hoc

In hoc vnum et vniuersale axioma seruans: Omnis, qui genuerit, in seipso et ex seipso semen elicit, antequam sit filius, et ideale semen. Hoc dicimus verbi semen essentialia, a quo omnia, et in quo omnia relucebant, etiam angeli, qui in ipsa creatione sunt verbo assimilati. Vnde inductio decima confurgit, ab angelica visione et assimilatione. Angeli nihil vnquam de Deo scire potuerunt, nisi quod eis in verbo ipso videre datum est, in quo ipsi videbant faciem Dei: tanta fuit verbi excellentia, manifestatio Dei, Christus facies Dei. Angeli et in actionibus, et in natura ipsa, sunt assimilati, conformati, et quodam modo vniti verbo. Ab omni naturali actione est vndecima inductio, si rerum analogias intelligas. Vt in naturalibus actionibus omne agens assimilatur, conformat, et vnitur sibi passum: ita in diuinis nos sibi, ac etiam angelos, Deus assimilatur, conformat, et vnitur, externa lucis visibili forma, et interno inuisibili spiritu. Imo communicatione suæ externæ lucis, ac ideæ diuinæ ratione, omnia initio sibi naturaliter similia et vnita fecit Deus, pulchra et bona: multo autem magis hominem, Deo multipliciter assimilatum et vnitum. Prima est in homine ex innato Dei habitu vnio naturæ, cum similitudine lucentis formæ. Secunda est vnio gratiæ noui spiritus, cum maioris fulgoris renouata intus imagine. Tertia erit eximia vnio finalis gloriæ, in qua videbimus eum, sicuti est, in abditissima illa luce, nemini vnquam visa, nec angelis ipsis, nec beatis animis, sed soli Christo. Adhuc sunt nobiscum magis beandi boni angeli, sicut mali magis puniendi. Vt nunc mittam angelorum similem et conformem Deo voluntatem, et ingentem erga nos charitatis ardorem: in hoc quoque se verbo Dei conformabant, quod sicut eius erat omniformis essentia, ita illi pro ipsius imperio, vt nobis ministrarent, in varias formas passim transibant, humanam semper reuerendo. Cuius odio factan, contra Dei imperium agens, et a beata vnione discedens, in serpentem degenerauit, relicta forma

forma Dei. Duodecima igitur a deformatione dæmonis sequitur inductio. Deformatio intus et extra, tanta fuit in dæmone, ut hominis formam assumere iam non possit, sine deformitate aliqua. Non potest nunc dæmon se hominem fingere, quin deformis appareat. Cecidit enim a priore pulcritudine. Honorabilis Deo et angelis bonis fuit semper humana forma, ut vera creatoris imago. Ad quam rem ab ipsis cadaueribus, et separatis animis, est inductio decima tertia. In cadaueribus mortuorum, ob huius formæ læsionem et iniuriam ei factam, afficiebantur angeli, et separatæ animæ, in ea forma creatæ, et essentialiter corpori conformatæ. Ob id item iubentur lege puniri, qui hanc formam læserint, eo quod sit imago Dei. Ex his iam aliquam in verbo illo formalem rationem facile est intelligere, si Christum ibi credis: quod utinam tibi detur. Amen.

EPISTOLA SEXTA.

Mutationem Dei nec in creatione, nec in incarnatione esse factam, et substantiam eius esse manifestatam ex iam dictis pauca repetens ostendam, ut totum pietatis mysterium intelligas, ad gloriam Iesu Christi domini nostri. Ante creationem erat verbum, iam præfidens æterna Dei ratio, verbum manifestatione nondum exhibitum. In creatione se Deus visibilem exhibuit, thesaurum suum aperuit, ostia æternitatis. Mutatus non ob id dicitur, quod hoc vel illo modo a nobis percipiatur: cum ille omnem percipiendi formam in seipso contineat, quam vult nobis offerens. Si intelligas, communicationes nobis diuinas non esse in Deo mutationes, intelliges quoque, exhibitiones non esse mutationes. Nihil Deus creat, cui se modo aliquo non exhibeat et communicet. Deus ubique est, rerum omnium essentia plenus. Rerum omnium essentiam
in se

in se ita continet, vt sola sua essentia, sine alia creatura, se hic nobis exhibere possit, vt ignem, vt auram, vt lapidem, vt electrum, vt virgam, vt florem, vt aliud quiduis. Similitudinibus his te commodius excitabo. Nam si Deus non est mutatus, ob singula hæc patefacta, nec mutatus erit caput ipsum Christus patefaciens. Exhibeat se iam nobis Deus, vt lapis ille Zachariæ ostensus: oculos nostros ita aperiat, vt lapidem ipsum videamus. Deus non est mutatus, et visus est lapis in Deo. Verus lapis? Deus in ligno est lignum, in lapide lapis, in se habens esse lapidis, formam lapidis, veram substantiam lapidis. Concedam igitur, hunc esse vere lapidem, quoad essentiam formæ, quanquam desit materia lapidis. Concedam quoque ignem illum esse verum ignem, et esse id ipsum, quod Deus. Est ne ob id mutatus Deus, formam occultam nobis patefaciens? Ignis ille figuram hominis exhibeat, virtute Dei fiat homo, substantiale corpus ex virgine genitum. Quis quæso, dicitur ibi esse filius Dei, a patre Deo realiter distinctus? Ignis ille formali ratione, et personæ figuratione dicitur filius, non realiter distinctus a patre. At homo hic vere realiter, et corporaliter genitus est de substantia Dei patris, et virginis matris. Loco item moueatur ignis ille, aut aura diuini spiritus, aut lapis, aut flos: an mouetur tunc Deus? Deus vbique semper existens immobilis, nec loco mouetur, nec ob ostensam illam formam alteratur. Sed sunt illi modi dispensationis seu exhibitionis diuinæ, qua se nobis, vt vult, vere Deus exhibet, et in rebus agit. Moto homine Christo, non mouebatur substantia deitatis. Externe mouebatur, per aërem descendebat spiritus sanctus, in Deo immobili semper existens. Verbum suum Deus visibile patefecit, varie misit, et immobilis mansit. His modis verum est, quod scribitur Deus olim descendisse, iuisse, venisse, pedes suos lauandos ipsi Abraham exhibuisse. Vera res erat, non præstigium, etiam

tiam secluso angeli ministerio : sicut vera res erat, quod descendit spiritus sanctus in Christum. Motus erat ratione adiunctæ creaturæ, non ratione deitatis : nisi motum dicas iuxta formæ exhibitæ modum, secundum quem locos mutabat, locis ita se exhibens. Quanquam esset ibi angelus, in angelo erat Deus. Visus Deus descendebat, et spiritus ipse sanctus, qui Deus est, descendebat : nec ob id est mutatus Deus, formam certam exhibens, et patefaciens. In angelo, Abrahæ viso, erat forma Christi, forma lucens, et viso angelo simul Deus videbatur, verbum videbatur Christus, Elohim. At quomodo in Angelo relucebat Deus, relucebat Christus? Ipsam angeli et animæ nostræ substantiam penetrat intus, et implet lux verbi, sicut lux solis aërem penetrat et implet. Erat nomen Dei in medio angeli, Deus ipse in media angeli substantia. Exo. 23. Quid obest, quominus in angelo videretur Dei lux verbum? et angelus quasi transformatus, diceretur quis quasi Deus? Si in aliis creaturis, luce informatis, pene videtur, et palpatur Deus, multo fortius in angelo illo, et multo iterum fortius in Christo. Incarnatione ergo non est mutatum verbum, sed assumpta caro est in verbum transformata. Verbum illud erat substantialiter filius, quoad essentiam formæ, quamvis nondum esset adiuncta terrea carnis materia, quæ est vere de essentia filii. Verbum ipsum erat vere Christus homo, quoad essentiam formæ, et formam suam ab æterno retinet, formam hominis : nec confusam, nec imminutam, nec alteratam. Obsecro te, id omnipotentia Dei tribuas, ut idealem illam animæ tuæ rationem, quæ hominis alicuius formam tibi interne refert, possit Deus externe in aëre lucentem et visibilem exhibere. Hinc sine materiali corporatura cognosces, idealem rationem exhibitam, hypostatice subsistentem, formam hominis. Formam hominis fulgorem diuinum, qui ut homo conspiciendus, ut homo se olim exhibebat. Nihil horum in verbo tu agnoscis, sed procaciter vrges, fuisse realem, distinctum, inuisibilem filium, actione reali genitum. Sed vnde hoc probas?

Nec

Nec iota vnum habes, quo filium alium ab homine doceas. Non substantialiter in Patre filium hominem fuisse dicimus, non tamen realibus tuis motibus et punctis. Naturalis erat Deo scientia, vt speculo relucencia, naturaliter referens, substantialiter et primario Christum continens. Naturalis illa relucencia, idea naturalis, et per eam prima dici potest, vt Christo dicitur *εἶδος*, et sicut idea est mentis ratio *λογος*. Si *λογον* in Deo dici idealem rationem tibi non placet, dicatur fermo repræsentans, significatur cum Paulo relucencia, fulgor, splendor, resurgencia. Nullibi sane dicitur esse *λογος*, seu ratio, quin sit idealis ratio, relucencia rei alterius. Omnis quoque sapientia est naturalis relucencia. In æterna Dei luce refulcebat Christus gloriose, ob id dictus relucencia gloriose, Heb. 1. Erat Christus in Deo prima resurgencia, prima omnium potentia, omnia continens sapientia, omnibus in creatione suum ordinem præbens, velut ex seipsa scriptum depromens. In verbo erant omnia per creationem ex inuisibilibus facta visibilia, et verbum ipsum, antea inuisibile, se exhibuit visibile: prius occulta ratio, deinde manifestus fermo. Extitit lumen de lumine, lumen apparens de lumine non apparente. Idea Christi antea imperceptibilis, se postea, vt corpus verbi, perceptibilem exhibuit, visibilem, et tangibilem. Spiritus quoque in archetypo diuinus, vt spiritus idea imperceptibilis existens, post creationem se perceptibilem exhibuit, et omnia impleuit. Ea res nullam Dei in seipsum arguit realem actionem, aut sufflationem, sed in creaturas. Quid igitur, inquires, ante creationem agebat Deus? Idipsum, quod nunc agit. Sibi iam erant omnia præsentia, et creaturas suas iam tunc attingebat. Sine tempore Deus est actus æternus, in creaturas semper agens. Seipsum autem non ita immutabat, vt tu cum sophistis illusis intrinsecas reales actiones, et deriuationes fingis. Si erat ibi actio, erat et passio. Ante creationem, si Deum in se ibi consideres, non erat eius

in sei

in seipsum actus aliquis, non actio aliqua realis. Non erat spiratio passiva, non res aliqua spirata. Non erat ibi actus realis intus generationis, non actio spirationis, sed cum naturali cognitione et Dei constituto, erat propositum et potentia. Relucentia filii non erat actu realis filius, sed potentia. Idem de spiritu sancto dicas, ut fuerit in archetypo potentia spirandi, non actus passivus. Cum ibi nemo ageret, nemo patiebatur: nemo spirabat, nemo spirabatur. Ecce veram inter filium et spiritum æquiparationem, ut ante creationem vere fuerint, non tamen actionibus vestris et passionibus realibus. In creatione quoque similis in hoc erat exhibitionis verbi et spiritus ratio, ut sine sui mutatione verbum et spiritum exhiberet Deus: verbum externe visum ostenderet, et spiritum interne communicaret. Ita verbum et spiritum olim discernimus, ut angelum et spiritum ex hominis et flatus specie. Nunc vero in corpore Christi est omnis et integra verbi et spiritus plenitudo. Intelligis hanc Christi totam gloriam? Quod filius verbum et spiritum plene contineat? hypostatice? Intelligis insuper qualiter formali potentia fuerit olim filius, qui nunc est actu filius? In omni generatione prius est potentia filius, quam actu filius. Et ei, quod est potentia filius, aliquid additur, ut fiat actu filius. Hæc sunt apertissima conformia divinis scripturis, et omnibus rerum naturis, sine monstro aliquo, et sine sophismate. In omni generatione, quod a patre solo prodit, non per se dicitur filius, sed per matrem. Unde igitur vos tantam filii separati in diuina generatione deformitatem somniatis?

EPISTOLA SEPTIMA.

Mutationes varias et agitationes, vos Deo turpiter impingere, sum nunc ostensurus, si de accidentibus errorem prius indicauero. Accidentia nulla esse in Deo, et
 ci ni-

ei nihil accidere, vulgo iactatur: quanquam sophistæ quidam relationes in trinitate sua ponant, res imaginarias, quæ non sunt in rerum natura. Accidentia quæ vocant, nos, esse formales substantias, diximus, sicut lux est vera substantia. Ne vero sit de nominibus contentio, quando accidunt, accidentia vocentur. Nos in vniuersum accidentia omnia Deo accidere dicimus, id est, accidentia omnia, quæ vere sunt, in Deo esse, in quo omnia consistunt. Accidentia dixi, quæ vere sunt, id est, res omnes, entia naturalia. Peccatum non est in Deo, quia non est in eo ratio peccati. Peccatum non est ens, sed entis actio, creaturæ libere deficientis actio praua. Siue actio illa sit interne velle, siue externe aut loqui, aut operari: quamuis mala sit operatio, si superest, opus illud in se creatura Dei est, et Deo inest. Omnia ergo quæ vere sunt, in Deo sunt, et bona sunt facta, quanquam actibus malis sint quædam postea deprauata, vt diabolus ipse, et animus prauus: qui etiam Deo insunt, cum insitis accidentibus, et a Deo ita sustententur. Hanc rem indicauit Deus ipso creationis vocabulo, quod est *mei*, quasi dixisset, insit mihi lux, insit mihi firmamentum, insint mihi luminaria. In Deo omnia consistunt, accidentia Deo insunt, atque ita Deo accidunt. Quicquid in rerum natura accidit, Deo semper accedit, seu Deo incidit: non præter spem, sed ipso suscipiente. Deus non ob id mutatur, sed res, quæ accidunt, mutantur. Non eam hoc continet absurditatem, quam intrinsecæ illæ rerum motiones, et agitationes, quas vos in Deo varie concluditis, in trinitate vestra. Mutationes varias in ipso Deo efficacius arguebant Arrius et Macedonius contra vos omnes sophistas, qui stupenda illusione somniatis, Deum in se duas res distinctas iugi productione et emanatione quotidie gignere et spirare, idque intrinsecis motibus, actionibus diuersis. Incorporeo filio, vt aiunt omnes, idem est gigni, quod esse, et nascendo accipit esse. Non se-

mel, inquiunt, facta est illius cognatio, et postea desit; sed nec principium, nec finem habet, et semper est in fieri. An non hoc est iugiter mouere? iugiter producere? generari? spirare? mittere? An non hæ sunt species motus? Emanationes sunt duæ reales, et non est motus realis? Si peculiari hæresi tu neges, incorporeum filium nunc generari, ita facile ab ipsis omnibus argueris: Generatio, quæ nec principium, nec finem habet, semper est in fieri: sicut splendor, aiunt, semper nascitur ab igne, et lux a sole producitur, Alia ratione, Quemadmodum, inquiunt, spiritus sanctus semper intus procedit, ita filius semper ibi generatur? Quicquid ad hæc respondeas? an non hoc tibi erit mouere? producere? generare? spirare? An non erant duæ reales emanationes? An non erat confusa rerum trium implicatio? huius ex illa generatio, et istius ex illis sufflatio? fluxio? deriuatio? processio? An in confusione hac, et motibus his, tu vere quiescis? Quid est motio, si productio non est motio? si emanatio non est motio? Nasci non est moueri? Et spirari? Procedere quid est? Hos tam absurdos motus, et agitationes, in Deo intrinsecus non tolerantes Arrius et Macedonius, Deum dixerunt, non in se, sed extra se filium quendam olim creasse, et spiritum sanctum meram creaturam fecisse. Labyrinthos admodum varios, et tenebris vndique obfitos, estis omnes ingressi, filium veritatis non manucentes, sed citra omnem Dei sensum vagantes. Simplex alia est veritatis via, non metaphysicis, sed idiotis et piscatoribus nota, quæ hominem docet esse filium Dei vere genitum, cuius generatio in Maria est vere consummata. In creaturas sunt reales omnes Dei actiones. In seipso Deus hac ratione ab æterno egit, et genuit, quod apud se meditans constituit. Verbum princeps constituit et spiritum principem constituit, sine realibus vestris motibus. Atque ita constituens, per eos hunc hominem genuit. Generatio erat in Deo constitutio generationis, quæ ad generationem tendebat, et creatio, quæ ad creationem.

Epistola

EPISTOLA OCTAVA.

CVm ex nullis scripturis realem illam incorporei filii distincti generationem possis ostendere, ad allegoricam figuram confugis, et mordicus arripis vnicam de sapientia parabolam, proverb. 8. Demiror sane, quod homo mente bene composita, ut de iactas, tam tenui flatu in tam altum pelagus agiteris, in tot impingens scopulos et monstra. Plurimis ego, solidissimisque rationibus ostendo, nihil tibi locum illum suffragari, imo plane aduersari. Prius tamen cogites velim, quid proprie significet sermo, quid sapientia, ne tu sacris vocibus abutaris. Sæpius iam dicta repetam et ex Paulo quædam addam, ut vel ipso duce, quid fuerit sapientia, tandem intelligas. Omnis sermo, et omnis sapientia aliquid naturaliter repræsentat, seu est naturalis relucencia. Hæc ipsa est Salomoni data sapientia, rerum diuinarum et humanarum relucencia. Ioannis non est abusum proprietate vocabuli, sed apposite dixit *λογον* sermonem referentem. Erat igitur sermo, et erat sapientia, et relucencia vere repræsentans. Nunc Christus ipse, qui sibi princeps repræsentabatur, est vera relucencia, vera sapientia, omnem lucem in se substantialiter continens. Hinc Paulo dicitur Christus relucencia gloriæ, et substantialis figura, in Deo figurata. Heb. 1. Ex aliis eiusdem Pauli locis, sapientiam fuisse in Deo arcanum Christi, aperte colligimus. Nam ad Eph. 3. sapientiam vocat præfinitionem seculorum, quam fecit Deus in Christo, in quo secula relucebant. Ibidem ca. 1. sapientiam vocat arcanum Christi, quod proposuerat Deus in seipso. Sapientia igitur erat ipsa præfinitio et relucencia Christi, omnia in Deo continentis, et omnibus gentibus communicandi. Erat Paulo *σοφία πολυποίκιλος* sapientia multiformis, sapientia vehementer varia, in qua Iudæi et gentes continebantur, suis temporum articulis. Hinc mysterium vocationis gentium in hac verbi sapientia merito Paulus concludit. Ipsa rerum in Christo diffinitio erat sapientia, ut apud Clementem et in epistola docet Petrus. Ipsum Ioannis *λογον* declarans Paulus

ad Colos. 1. ait, *λογον* fuisse mysterium Christi reconditum, nunc manifestatum, et gentibus communicatum, in cuius imaginis luce omnia consistebant, et consistunt. Ipsam Salomonis sapientiam declarans, 1. Cor. 2. ait, sapientiam illam, ante secula præfinitam, in mysterio reconditam, et nunc manifestatam, esse ipsum Iesum Christum, dominum gloriæ. Sapientiam ipsam ibi ait esse præfinitam ad gloriam hominis. Vndique vides esse thesauros sapientiæ omnes propter Christum, et in Christo reconditos. Pertinacia tua est, hic fingere sapientiam, rem distinctam, realiter genitam: cum præsertim sapientia creata dicatur, et formata, ut sapientissimi quique antiquorum exposuerunt, Hebræi, Græci, et Latini, etiam Iesus filius Sirach, et author libri sapientiæ. Vtrunque ergo per se realiter dicetur, sapientia creata, et genita, quod est Arrianum: aut vtrunque figuratiue, sicut est figurata loquutio, et sicut sapientia aliud figurabat, quod est vere Christianum. Ne igitur realem illam ibi probes generationem, hæc tibi maxime occurrunt. Primum est, quod Hebraica vox *הוללתי* *holalti*, quæ ibi ponitur, non significat generationem. Nam est passivum, cuius activum, si locos omnes inquiras, proprie et uniuoce, ubique significat premere. Passivum quoque ubique est premi, expressione formari, seu pressura quadam parturiri. Hoc longe aliud est, quam paterna generatio, quam vox illa nunquam significat, tametsi ad foemineam pressuram extendatur. Hebræi ita sapientiam in mente formatam docent, et in lingua sancta aliud est peculiare verbum, quod proprie ubique significat generare, et Deo generanti tribuitur, scilicet *הוליד* *holid*. Vnde constat, non proprie in parabola illa dici generationem. Si enim spiritus sanctus proprie de generatione loqui voluisset, ea voce usus fuisset, quæ generationem proprie significat. Adde, quod verbum illud *הוליד* *holid*, quod proprie significat generare

rrare, et Deo generanti tribuitur, est transitium ad mulierem, in qua ille generat. Deus ergo vere et realiter in muliere genuit. Ille est vere filius Dei, quem in muliere genuit Deus, non ille, quem tu somnasti. Ex proprietate linguæ sanctæ, et vi Hebraicæ dictionis, non dicitur generatio sine matre, nec filius sine matre. Filius enim Hebraice dicitur ædificium in muliere factum, ben a verbo banah. Septuaginta quoque, et reliqui Græci interpretes, in Parabola illa Salomonis, per verbum κτίζω, quod est creo, condo, fabrico, Hebraicæ dictionis significatum aptius transtulerunt, quam per verbum γεννάω, quod est improprie usurpatum. Ex latinis insuper versionibus tam Hieronymi, quam Pagnini et aliorum, non habetur ibi generatio, sed formatio, et iuxta mentis conceptionem expressio. Alterum tibi verissima ratione iam occurrit. Quamvis enim generatio eo vocabulo significaretur, constat esse id proverbiale et figurative a Salomone prolatum: cum expresso ibi tractet parabolas, similitudines, et figuras. Quis sanæ mentis negaret, sapientia illa Salomonis personam Christi signari et figurari? Aequè ergo dicitur in persona Christi sapientia creata, genita, et formata. An non in persona Christi dicitur tibi sapientia creata? Aut creata pro constituta olim dicitur, aut in persona Christi creata, ut omnes semper intellexerunt, exceptis Arrianis. Ita exponit Augustinus in Ioannem, sermone quinquagesimo octavo. Ita Nicæna synodus exposuit, ut in eius decreto contra Eusebium refert Athanasius. Ita post Hilarium lib. 12. de trinit. aperte docet Cyrillus, Ephesini concilii præses, libro quinto Thesauri cap. 4. et sequentibus. Addens ibi, esse proverbiale et figurative dictum, et aliquando improprie in sacris literis dici quid creatum, vel genitum. Si improprie dicis creatam sapientiam, improprie dices et genitam, in figura alterius rei, sicut sapientia aliud figurabat. Omnes

denique fatentur, esse prouerbialiter et figuratiue dictum, vt ex eo nec creatio, nec generatio realis ibi probetur. Tertium, quod tibi occurrit, est proprie dicta in Deo ratio, proprie dicta sapientia, scientia re-lucens, sine reali generatione, Deo insita, ac postea visibiliter expressa. Occurrit quoque Paulus, sapientiam docens arcanam Christi præfinitionem. Quartum occurrit, quod sicut apud Salomonem dicitur sapientia ante colles formata, ita apud Iob, dicitur homo ante colles formatus, idque eisdem omnino dictionibus Hebraicis Iob. 15. Eamque formationem discernit Iob a generatione, per aliam vocem ibi significata. Vnde constat per holalti, significari formationem. Quintum occurrit, quod de Christo olim ait Deus, Formaui eum et faciam, Esa. 46. Et Petrus Christum ait ante creationem in Deo præformatum et postea manifestatum. 1. Pet. 1. Sextum tibi occurrit, quod dicitur spiritus sanctus genitus, sicut sapientia genita. Imo ipsamet sapientia erat spiritus sanctus, vt exponit Irenæus lib. 4. ca. 17. et 37. et Tertullianus, li. de carne Christi, aduersus Hermogenem et aduersus Praxeam. Erat vere sapientia, sine reali distinctione, simul verbum et spiritus sanctus, sicut Christus verbum et spiritum sanctum simul continet. Hebræi omnes verissime docent, sapientiam illam esse spiritum sapientibus datum, qui erat iam in Deo præfinitus, seu præformatus. Salomo de sapientia loquens, sapientiam illam sibi datam testatur, id est, spiritum sanctum. Iesus Sirach, Baruch, et liber sapientiae, palam interpretantur, sapientiam illam esse spiritum in Israëlitis habitantem, et in animis sanctorum radicatum. Si sapientia erat spiritus sanctus, cogita iam, si erat spiritus sanctus genitus et realis filius. Ipsemet Chaldæus Ionatas, qui genitam sapientiam ait, spiritum sanctum intelligit, absque aliqua in Deo reali distinctione. Septimum tibi occurrens est, quod eodem contextu prouer. 8. et 9. quædam alia de ipsa sapientia profert Salomon, quæ metaphysicam illam generationem non sapiunt: Quod per vicos et plateas clamarit, quod domum ædificarit, columnas exciderit, et mensam

menfam instruxerit. Parabolicum fuit ædificium, ficut
 parabolica generatio. Ait item, quod sapientia erat חכמה
 chamon, multitudo, vniuersitas ipfa rerum, et ששועים
 shaafuim, delectationes coram Deo, fingula fuis ideis pro-
 ducendo. Plurali numero dicitur ibi in Deo חכמות
 hhachmoth, plures sapientiæ. Quæ tibi plures effent rea-
 les filii, nobis multiplex sapientia, fpiritus vnus et mul-
 tiplex. Vnde iam octauum occurrit, quod Valentinus,
 eeiuf loci, de pluribus sapientiis, falſa reali interpretatio-
 ne, ex Deo ſomniauit, realiter gigni multitudinem hacha-
 moth, quæ apud Irenæum et Tertullianum dicuntur hacha-
 moth. Simili tecum errore tenebatur, in eo, quod rea-
 lem generationem interpretabatur. Sicut Salomon pro-
 uer. 3. in Deo diſcernit ſapientiam, prudentiam et ſcien-
 tiam: ita realiter Valentinus, qui res diſtinctas, ex Deo
 genitas dixit, ſyneſin, enthymeſin, demiurgum, ſyzigiam,
 et alios æonas, eſſeque matrem ſophiam, ſicut Salomoni
 dicitur ſophia mater. Illi erat ſophia mater, tibi filia reali-
 ter genita. Quia ſacræ literæ in Deo ponunt delectationes,
 pœnitudines, et conſolationes, Valentinus æonas filios eſſe
 dixit, delectationes, lachrymas et mixturas. Quibus omni-
 bus realitatibus et falſis interpretationibus exploſis, animo
 pendere, num ſit quoque falſa, ad locum illum tua realis
 interpretatio. Nonum occurrit eiufdem Salomonis di-
 ctum, et loco eodem, Quod Deus ſapientiam et intelli-
 gentiam acquiſierit, ſuo ingenio inuenerit, figurate ſcri-
 pſerit, diſpoſuerit, ordinari, et reliqua, quæ ſecundum
 præſinitionem dicuntur. Similia de ſapientia profert Iob.
 ca. 28. Quod eam Deus ſcripſerit, numerauerit, recen-
 ſuerit, parauerit, perueſtigauerit. Idipſum Eccleſiaſti-
 cus, Baruch, et liber ſapientiæ comprobant, ſapien-
 tiam vocantes, vt ſpeculi relucentiam, imaginem cla-
 ritatis. Hic decimum occurrit, quod Ieſus Sirach poſt
 ſuos maiores, capite primo ait, eam ſapientiam viſu
 plerisque apparuiſſe, eiufque ſpeciem ipſis olim vi-
 ſam, perſpectamque fuiſſe. Eam ipſam ait Baruch,
 olim viſam ab hominibus. Videri poterat, ſi

erat tam lucidum speculum, et imago claritatis, ut ait liber sapientiae. Ea ipsa erat in sublimi sedens, cuius thronus, siue solium, erat in nube, in Mosis tabernaculo, et Salomonis templo, Eccles. 24. Undecimum occurrit, quod sicut apud Salomonem, ita apud Esaiam dicitur olim in Deo creatio et formatio, Christus ipse in Deo creatus et formatus. Esa. 45. et 46. Mira verborum concordia. Adde rationem ultimam, quae sumitur ab omnibus, qui Hebraice unquam scripserunt. Nam si realis illa ibi significabatur rei distinctae generatio, insigniter hoc fuisset ab eis notatum, ante et post Christi aduentum. Res tam insignis insigniter erat notanda. At nemo unquam ibi talia cogitavit. Tantum hoc dixerunt veteres, In Dei sapientia, velut in anima hominis, res alias conspici. Fascinatis sophistis et linguae sanctae imperitis debebatur vestra illusio, in regno Antichristi: ut Deum laceretis, impossibilia in eo fingatis, et hominem esse naturalem filium, negetis.

EPISTOLA NONA.

Citavi tibi, et in unum redactos ad te misi omnes euangelistarum, apostolorum, et discipulorum locos, in quibus de fide fit mentio, et in quibus de credendo fit mentio: ut bene videas, quid illi tunc crediderunt, et quid credendum docuerunt. Citavi tibi ex Ioanne, ea omnia ad hoc scripta esse, ut credas Iesum illum Nazarenum esse verum Messiam filium Dei, idque credens iustificeris, Ioan. 20. Hæc Christi fides ab ipsis apostolis est ita simpliciter prædicata, et hoc illi credentes iustificati sunt. Paulus ait, Nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur. Galat. 2. Per hunc Iesum omnis, qui credit, iustificatur, acto. 13. Si quis ergo aliam esse Christianorum iustificantem fidem, prædicauerit, sit anathema. Si angelus de cælo aliud docuerit, Paulo

Paulo dicitur anathema. Quæ de promissionibus tu
edicere potes, ex hac fide omnia sequuntur, vt acces-
soria ex suo principali. Nam si credis, ipsum esse
filium Dei, credis ipsum esse in promissis veracem,
et promissa omnia complere. Per hanc solam Iesu
Christi fidem dantur nunc promissiones omnes. Omnes
quotquot scriptæ olim sunt promissiones, per hanc fi-
dem dantur nunc vera fiducia credentibus, hunc esse
illum filium Dei promissum, qui promissa implet. Ea
ipsa fides nos prioris nostræ inopiæ, ac miseræ, con-
ficios facit. Si enim credis, hunc esse filium Dei,
mundi saluatorem, iam credis mundum, in peccato
esse constitutum, vnde saluari indigeat: cum item di-
catur ipse redemptionem facere credentium prius ca-
ptiuorum. Non est, quod aliam hic in pædobapti-
smo, aliam ibi in cæna, et alibi aliam fidem tu tibi
dissimilem pingas. Nam ipse est filius Dei, rex cæle-
stis, qui sibi credentes ad cælestia regenerat, et cæle-
sti cibo pascit. Vnum est omnium fides, vnum caput,
vna fundamenti petra, qua creditur Iesus ille esse
verus filius Dei saluator, et id credendo eius in nobis
virtus cognoscitur. Hæc vna fides et in baptismo re-
quiritur, et in cæna requiritur, et in reliquis omni-
bus Christianorum actibus semper requiritur, et ex
ea sequuntur omnia. At tu satis tibi fecisse videris,
si per communicationem illam idiomatum sophisticam
concedas, hunc hominem esse filium Dei: alioqui non
esse vere filium. Sophistica ergo est fides tua, sicut
sophistica est ratio tua, quod hic homo dicatur filius
Dei, et quod sit in eo filius alius inclusus: quasi no-
mine sit hic filius, non re ipsa. Eo magis, quia
falsum tu supponis. Falsum est, quod fingis, esse fi-
lium in filio; cum non filius in filio, sed pater in
filio vere dicatur, Deus in Christo. Noui sane, quod tu
non vere credis, hunc hominem esse filium Dei, quia
non vere credis, hunc hominem esse genitum de sub-
stantia Dei. Sed quis te dæmon communicationem il-

iam idiomatum ita de charactere bestię fumere docuit? Hoc ne cauillo dixit cælestis pater, Hic est filius meus? Ecce puer meus? An non vides, communicationem illam rerum inuisibilium sumptam esse de Antichristi doctrina, in qua vigent illusores, tres dæmoniorum Spiritus? Per quam conceditur, Deum in asino mori? Ab Antichristo inuentum est sophisma illud, ad obliterandum verum filium Dei. Filius Dei ita vobis est homo, sicut spiritus sanctus est mulus. Filius Dei ita vobis est mortuus, sicut spiritus sanctus in mulo moreretur, aut angelus in asino. Hoc adde, quod antequam communicationem illam inducas, ostendere prius debes, esse in Deo inuisibilem alium ab homine filium. Hoc vero nunquam ostensurus es. Vnum hoc item cogita. Esto per tropum aliquem, aut sophisma illud, hic homo nominetur filius Dei, quanquam reuera non sit naturalis filius Dei: est saltem naturalis filius Mariæ, vt habetur Matth. 1. et Lucæ 1. Ibi enim dicitur, quod Maria peperit filium suum primogenitum, quem vocauit Iesum. Si ergo hic sine tropo est verus filius Mariæ, et ille sine tropo est verus filius Dei: iam sequitur, duos esse sine tropo veros filios, in vnum cumulum vnitos. Papismi schola tota nunc docet, hunc hominem dici filium, gratia vnionis, non veritate generationis. Quod est Antichristi maxima blasphemia, et maxima duorum filiorum impostura.

EPISTOLA DECIMA.

Sine promissione neminem posse iustificari, pertinaciter defendis, et fidem Christi veram callide dissimulas. Ex solo aspectu Christi, miracula facientis, poterat mulier Chananæa, vel Cæsarianus aliquis illi credens iustifica-

Iustificari, etiamsi de promissionibus nihil vnquam audiuissem. Nam Christus factis quoque declarabat, se esse filium Dei, et id credentes homines saluabat, et iustificabat, etiamsi essent Scythæ, nullam promissionem habentes. Imo ridiculum, si quis non sit Deo crediturus, nisi aliquid ipse promittat. Qui erant in naui cum Iona, et in Niniue, crediderunt Deo, nihil promittenti, sed eis mortem minanti. Fiducia certa se illi Deo commiserunt, credentes, eum posse mortem auertere, ob id iustificati, teste Christo. Euangelium Dei est annunciatio illa Dei patris, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Nihil hic promittit: tantum declarat, quid velit, et quid sibi placeat. Ita Christus docet, hanc esse voluntatem Dei, nobis declaratam, vt hunc filium videntes, in eum credamus Ioan. 6. Etiamsi nullæ fuissent vnquam promissiones, nec lex, nec prophetæ, solus aduentus Christi iustificaret sibi credentes, vel solo ipso patris testimonio. Sicut solus aspectus serpentis, ita solus fidei intuitus in Christum, saluabat etiam furdos, qui promissionem nullam audire poterant. Ex aspectu enim poterat in eis sufficiens haberi de Christo fides. Ex solo etiam apud absentes auditu. In Israële promissiones habente, non inuenit Christus tantam fidem, quantam in Centurione: in quo sine promissione, sine priore instructione, erat fiducia tam præsens, tam vehemens Matth. 8. Fiducia illius, quem videbat, et credebat, posse omnia. Possem ad hoc tuum dictum explodendum, testimonia alia, et exempla iustificatorum adducere innumera, tam ante tempus legis, quam tempore legis, et tempore gratiæ. Iustificatum ais Cornelium, antequam Petrum audiret, acto. 10. et nullam sibi factam promissionem, ille tunc sciebat, sed credebat esse iustitiam in Deo. Idem scribitur de rege Abimelech. gen. 20. de Raab caupona, de Samaritano, et plerisque aliis. In insulis nouis, Solo
con-

conscientiæ testimonio inuenitur fidei et iustitiæ ratio, in finali iudicio coram Deo profutura. Et tamen ibi nihil de promissionibus auditur. Libro secundo, de iustitia regni Christi, cap. 2. et 3. plerisque iustificatos ostendi, quibus nulla tunc succurrebat promissio. Promissiones quidem addebat olim Deus in lege, et promissiones addebat Christus, cum salubribus miraculis, ut ad se facilius nos alliceret. Scopus tamen fidei nostræ est ipse Christus, ut eum esse verum Messiam, filium Dei, saluatorem nostrum, fiducia certa credamus: ad idque promissionibus diuinis, et aliis de cælo testibus, magis firmemur.

EPISTOLA VNDECIMA.

Quia facta omnia, et actus quoscunque bonos vos omnes deluditis, vestro in Iacobum commento, Abrahamum dicentes esse factis iustificatum, id est, declaratum iustum: operæ pretium me facturum puto, si errorem hunc eliminare tentauero. Fateor quidem, operibus declarari fidem, sed opera quid aliud efficere, multis rationibus ostendo. Primo, Malefacta aliud efficiunt, quam declarare. Furtum, adulterium, homicidium, et alia eiusmodi nonne sunt peccata? Si actibus his, siue externe, siue interne sumptis, respondet aliqua pœna, quare contrariis non respondebit aliqua gloria? Saltem post ademptam gratiam, ne tu omnia antea fuisse praua cauilleris. Virtus gratiæ æquatur virtuti peccati, ac etiam superabundat. Rom. 5. Ergo benefacta in gratia tantum valent, ad augendam gloriam, quantum malefacta in peccato valent ad augendam pœnam. Secundo, Cognoscenda tibi est vis dictionis exclusivæ Iacobi, Non ex fide tantum iustificatus est Abraham, sed ex factis quoque. Ergo ad eandem iustitiam, quam fides effecerat, ali-

erat, aliquid adiecerunt facta. Tertio, Declaratio illa res inanis est; hypocrisis est, si sola declaratio quaeratur. Solus erat Abraham cum Deo, qui declaratione non indigebat, sed veram, et spontaneam operum accessionem adhuc exposcebat. Quarto, Merces operum, doctore Christo, re ipsa aliquid est, quod rependetur. Intellige mercedem, ad certam mensuram factis singulis respondentem, ut ea mensura, qua aliis metimur, remetiatur nobis. Quinto, Aliquando dicimur iustificari, id est, iusti declarari, ut in iudiciali foro. Alioqui iustificari dicitur, qui ex iniusto fit iustus, et qui ex iusto fit iustior, seu cuius iustitiae aliquid accedit, ut accipit Iacobus. Sicut qui fordidus est, fordescit adhuc, et fit fordidior: ita qui iustus est, iustificatur adhuc, et fit iustior, teste Ioanne. Paulus quoque per opera augeri docet iustitiae prouentum. 2. Cor. 9. Sexto, Facta externa agunt in animum, sicut actus in habitum: ab operibus bonis vel malis, bene vel male afficitur animus, sicut ab obiecto afficitur sensus: ergo aliquid efficiunt, augent, vel minuunt. Septimo, Verba sunt Dei Genes. 22. Quia fecisti rem hanc, iuro tibi. Aliquid fauoris peperit factum illud ipsi Abraham, ut tunc iuraret Deus, quod antea non fecerat: et vberiore faceret promissionem, quam ante, quando Abraham crediderat. Octauo iustificatus dicitur Abraham, Genes. 15. eo solo, quod credidit Deo, promittenti numerosam progeniem. Mera fuit gratia. Iustificatus vero iam erat antea credens Deo, iubenti exire de terra propria, Genes. 12. et Heb. 11. Quoniam modo est iterum cap. 15. iustificatus? accessione maioris iustitiae. Insignis ille de iustitia eius locus pra aliis notatur capite decimo quinto: quia ibi Christus promittitur, creditur, et a propheta videtur, et quia fuit ibi intensior assensus. Sensim induitur fides, crescit fides, et crescit iustitia. Ad quem modum et in nobis debet ad certam metam esse intensa fides, ut dicatur viua, et viuifi-

cante

cante spiritu magis ornetur. Nono, Fides est credere, credendi actus factum est. Ergo sicut ex facto illo incipit ad iustitiam imputatio, ita ex factis aliis, Deo gratis, crescere potest, cum sint omnia Dona Dei. Decimo, Factum Phinees imputatum est ei ad iustitiam, psal. 105. Non ait, fuisse solam declarationem, sed imputatum est ei, sicut Abrahæ imputatum est. Ipsa restitutio pignoris imputatur ad iustitiam coram Deo, Deut. 24. ut iam concludam, Data fide, quid est superlucrari? Quid est per bona opera recondere sibi thesauros, in futuro seculo inueniendos? Thesauros, ait Christus, multiplices, Matth. 6. Fidem solam Christi, seclusis operibus, gratis iustificare sibi credentes, docet merito Paulus. Sola fides Christi, quem ex impio facit pium, ex iniusto iustum, sine aliis operibus, ut latronem iustificauit. At nihilominus bonorum operum thesaurus suus cuique seruatur. In futuro seculo nihil magis obseruandum, quam singulorum operum examen: ut qui plus facit, sit ibi futurus maior, qui minus, minor. Atque ita augetur iustitia et gloria ex actibus innumeris, tam internis, quam externis, a Christo ipso præceptis, pro quibus et ipse copiosam fore gloriæ mercedem, nobis affirmat.

EPISTOLA DVODECIMA.

INSULSIS rationibus opera omnia semper damnas. Qualiacunque sint facta, ea semper, ais, esse peccata, fecibus admixta, ut omnia Deo fœteant, et mortem æternam promereantur. In opera spiritus blasphemias, et mortem primam a secunda non bene discernis. Opus nullum ais esse probum, nisi procedat ex perfecto amore: Hic autem nusquam tibi est. Perfectionem omnem a nobis procul abiicis, quia Caro concupiscit. Violenter tua somnia persequeris. Ex professo repugnas doctrinæ Christi et apostolorum

dorum eius, qui perfectionem nobis tribuunt, et nos perfectos docent, cum perfecta in nobis sint dona Christi, et eius perfectio sit nobis communicata. Hinc nos perfectos, post Christum passim vocant apostoli. 1. Cor. 1. et 2. et 14. et 2. Cor. 3. Ephes. 6. Colos. 1. et 4. Heb. 5. 6. 7. 9. 10. et 12. Iaco. 1. et 3. et 1. Pet. 1. et 1. Ioan. 2. et 4. Loco vno Phil. 3. se perfectum et non perfectum docet Paulus. Non perfectum, si resurrectionis gloriam spectes: perfectum vero perfectione donorum Christi. Ex eo, quod charitas ipsa perfecta Deus est nobis communicata, concludit Ioannes, esse in nobis perfectum amorem, qui foras excludit timorem. Ex eo ergo, quod caro suis insultibus concupiscit, non sequitur, spiritum Christi non agere in nobis perfectum amorem. Perfectionem hanc caelestem tu rides, quam nondum gustasti, nondum e caelo genitus. Mentitus est tibi Christus, dicens, esse quosdam beatos, cor habentes mundum, honestum, et bonum, Matth. 5. et Lucae 8. Mentitus est Paulus, sicut et Ignatius, vocans sanctos mundos, immaculatos, corda irreprehensibilia in sanctimonia coram Deo. Secundum internum hominem ea omnia vere dicuntur. Non est in sanctorum operibus admixtio foetida, quam tu fingis. Seorsim a nobis prodeunt opera carnis, et seorsim prodeunt opera spiritus, carne tunc suppressa. Opera spiritus coram Deo et hominibus lucent, teste Christo, proba sunt et bona. Tu improbus et blasphemus, qui opera spiritus calumniaris. Affirmas, ea opera foedata esse, nec sine venia dici bona: quasi ipse Dei spiritus sibi ipsi veniam det. Imo Christus ipse, qui in nobis agit, foedum opus educit. Sed quam veniam ais? Vbi non est nouum peccatum, non opus est noua venia. Non opus est, vetera semper repetere, quae iam sunt condonata, et eorum Deus non amplius recordatur. Cum dicebat Paulus, se nullius peccati esse conscium, non tunc peccabat. Non peccabant apostoli praedicando, et virtutes edendo. Bona opera scriptura vocat, et tu negas, esse bona? In omni, inquit, bono opere

opere fructificate. Ex bonis vestris operibus glorificent patrem vestrum. Plena erat puella operibus bonis, et eleemosynis, acto. 10. Plena misericordia, et operibus bonis. Iaco. 3. Imo in lege naturæ et apud idololatrias erant opera bona, ut vides in Iob. et Cornelio, in eleemosynis Nabuchodonosoris, in oratione, et ieiunio Niniuitarum. Sed concedamus tuo more opera illa cum venia dici bona. Cum venia poterunt ad gloriam augendam prodesse, cum venia erit eorum aliqua merces. Opera tu nobis ad vitam prodesse, negas, quia statum ac firmum est, Vitam æternam per fidem nobis dari: ergo non ex operibus. Ex operibus legis non esse hæreditatem, sed ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni credenti. Vitam et hæreditatem ita nobis per Christum dari, certe fatemur. Sed in ea vita quis negaret augeri gloriam; et operum esse certam mercedem? Filia, ais, insurgeret in matrem, si charitas quicquam efficeret, aut alia opera, cum sint fructus fidei. Magica est hæc Diaboli fascinatio. Opera bona esse fructus spiritus, scriptura docet, sicut fides est fructus spiritus, et charitas fructus spiritus. Galat. 5. sed esto, sint fructus fidei. An non filia vera auget effectum matris? An non et in rebus aliis effectus fouet suam causam, roborat, et auget? An non calor fouet, et facit ignem? An non actus roborat, et facit habitum? Nonne lectio fouet et auget intellectum? Nonne exercitatio roborat artem? Nonne vestimentum fouet artificem? Ita a charitatis exercitiis, orationibus, ieiuniis, et aliis spiritus operibus, vestitur, fouetur, roboratur, et augetur, cum sua iustitia fides, sine quibus nudata moritur. His modis ex grano exiguo fit arbor magna. Cum caro mortificatur, spiritus viuificatur, et fides augetur.

EPISTOLA DECIMA TERTIA.

ERRas tu pessime, errorem existimans, si quis dicat iustitiam augeri. Sola Dei imputatione ais consistere iustificationem, nulla in homine facta mutatione, ut iustus nihil differat ab iniusto. Quid audio? Per peccatum non immutatur spiritus hominis? Si mutatio est, quando peccas, mutatio est, quando tollitur peccatum. Qui sub tenebris est, nihil differt ab habente lucem? Qui liberatus est ab oppressione fatanae, nihil differt ab eo, qui fatanam habet opprimentem? Qui bonum spiritum nanciscitur, nihil differt ab eo, qui caret? Qui placatam conscientiam habet, non differt ab eo, cui rodetur? Regnum caelorum non differt ab inferno? Satanica est iustificatio tua, si talis intus est tibi conscientia, qualis erat antea, et si in te fidei vita non differt a priori morte. Paulus docet nos accipere donum iustitiae, Rom. 5. Vestimentum iustitiae passim dicitur. Iustificationes sanctorum, ait Ioannes, esse in eis byssinum purum, et splendidum, apoc. 19. Ergo est illustratio aliqua. Ipsa clara iustificatio per gratiam, est spiritus gratiae, ut ait Zacharias. Nam iustificatio non fit sine fide, nec fides sine spiritu. Sicut homini peccanti varie se insinuat spiritus malus, ita cum poenitens iustificatur, varie illi se insinuat spiritus bonus, et secernitur malus. Sicut intravit Satanas in cor Iudae, in cor Ananiae et Saphirae, quando peccarunt, ita in corda aliorum intrat magis vel minus. Atque ita cum iustificantur, egreditur ab eis spiritus immundus, ut ait Christus. Sed esto. Imaginemur, solam ita esse Dei imputationem, et offensam in ipso Deo remissionem, quasi Deus mutetur, non homo. Nonne et in his est dare magis et minus? Nonne huic magis remittitur, et illi minus? Ita Christus docet Lucae 7. Hinc dicitur hic magnus, iste maior, ille maximus, in regno caelorum. Sicut imputatione hic dicitur iustus, reconciliatus et gratus: ita imputatione ille dicitur magis iustus, magis reconciliatus, et magis Deo gratus. Qui

Q. negocian-

negociando est quinque talenta superlucratus, gratior est, quam qui duo, et pluribus ciuitatibus præficitur. Omnia in nobis augeri, docet Paulus, magis et magis abundare, et iustitiam, et gratiam, et gloriam. Idipsum docuit Christus, dicens, Ei, qui habet, dabitur, et reddetur abundantior. Vitam habeant, et abundantius habeant. Faxit Deus, Caluine, vt deposito magico tuo fascino, in omnibus abundare satagas. Sola Petri disputatio contra Simonem magum te confundit, et operum iustitiam, etiam in Ethnico docet. Rogat Petrus, An Deus sit iustus? An beneficientibus beneficiat? et malefacientibus maleficiat? Si hæc est iustitia naturalis, ob ipsa benefacta ipse benefacit, sicut ob malefacta malefacit. Est ergo inter Ethnicos aliqua operum retributio, vt ipsemet docet act. 10. et Paulus Rom. 2. Hinc Petrus necessario sequi ait resurrectionem, quod benefacturus sit Deus iis, qui beneficientes sunt mala perpeffi. Quam iustitiam tu cum Simone mago negas. Instar Simonis magi tu doces, iustificationem et fidem esse solam cognitionem. Observationem vero præceptorum esse penitus impossibilem. Contra docet Ieremias, Ipsam præceptorum observationem esse cognitionem Dei Iere. 22. Ioannes ipse ait, Per hoc scimus, quod cognoscimus eum, quia præcepta illius obseruamus. Qui dicit, noui eum, et præcepta eius non seruat, mendax est: præcepta enim eius grauiora non sunt. Ridicula hinc ostenditur cognitio tua, imo magica fascinatio, et euentita iustificatio.

EPISTOLA DECIMA QVARTA.

NEC fidem Christi, nec opera bona probe tu intelligis, nec regnum eius cæleste. Vt rem imaginariam regnum hoc Christi deludis, quasi sit res de solo titulo, quod nos cum Christo iam nunc regnemus in cælestibus. Negas, in-
ternum

ternum hominem esse nouum hominem. An non ibi est nouus homo, vbi est innouatio? Intus in nobis est innouatio: ergo intus in nobis est nouus homo, absconditus in corde homo. Rides tu, quod elementarem Christi spiritum incorruptibilem ego dicam esse de substantia interni nostri hominis. Quæso te, Potest esse compositio viua ex carne, sanguine, et ossibus, sine elementari spiritu? Non est in nobis truncatus Christus, sed tota sua carnis et spiritus compositione se nobis substantialiter communicat. Spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis, et se nobis ita vere communicat: sicut verbum Dei est hypostatice homo, et se nobis ita vere communicat. Sicut est in nobis elementaris eius caro, ita et elementaris spiritus. Ab illo increatae lucis fulgore immutatur in spiritu nostro prior creatæ lucis forma, ipseque tunc Christi integer spiritus adiungitur, sicut integra caro. Hoc tu plane non intelligis, nec qualiter anima nostra Christum substantialiter induat. Rogas, vbi doceat Ioannes, tales nos esse in mundo hoc, qualis est ipse Christus. Verba eius capite quarto prioris epistolæ sunt hæc, Fiduciam habeamus ad diem iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in mundo hoc. Hebraismus frequens est, et manifestus, vt hic dicatur sicut ille, quia est forte eadem, statu et conditione talis. Qualis est cælestis ille, tales et hi, qui cælestes sunt, 1. Cor. 15. Hæc est Paulo et Ioanni fiducia certissima, talem in se habere Christum, qualis ipse est in gloria. Veram regni eius gloriam et gustum iam nunc in interno homine habemus: quæ res certissimam nobis facit de futuro regno fiduciam. In hoc, ait Ioannes, esse perfectam charitatem nobiscum, qualis non fuit temporibus patrum. Nobiscum, qui credidimus Iesu Christo, filio Dei, in eius aduentu. Ipse enim veniens fœdere nouo fecit nobis omnia noua. 2. Cor. 5. Testamento nouo initiauit nobis viam nouam et viuentem. Heb. 10. Ergo vita hæc non moriens, antea non erat, si noua est, et eam Christus nobis initiauit. Tu vero Iudaico quodam

zelo scandalizaris, et conuitiis me obruis, quod cum Christo dicam, eum, qui minimus est in regno hoc, esse maiorem, quam fuerit Abraham: et quod cum Paulo dicam, Abrahamum ipsum fuisse carnalem. Verba Christi, a me iam alibi plene induc̃ta, nunc omitto. Verba Pauli manifesta sunt Rom. 4. Quid igitur dicemus Abraham, patrem nostrum, inuenisse secundum carnem? Non ait Græcus codex, patrem secundum carnem, sed inuenisse secundum carnem. *ἐυηκέναι κατὰ σάρκα*. Ex iis, quæ in ipso Abrahamo secundum carnem gesta sunt, ostenditur ibi spiritualium typus, sicut alibi in Israële carnali, et Aarone carnali, ostenditur figura spiritualium 1. Cor. 10. et Heb. 7. et 9. Carnalis dicitur tota illa vetus generatio, quia non erat ita, vt nos, nouo hoc gloriæ spiritu regniti, nec ad cælestem hanc vitam cum Christo resuscitati. Non nego, quin ad eandem hæreditatem, et ad idem Dei regnum sint eorum plerique post resurrectionem assumendi: et non nulli etiam, Christo resurgente, cum patriarchis iam assumpti. Sed præsentem statum, et aduentus Christi dona cælestia, dico esse nobis potiora. Hoc velim ex Paulo bene tibi cognitum. Quomodo mortem Christus veniens aboleuit, vitam nobis in lucem produxit et immortalitatem. Quomodo per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolus, et liberos reddidit feruituti mortis obnoxios? Quomodo nos in suum cæleste regnum euexit, et in cælestibus sedere fecit? An non vsque ad mortem Christi regnauit mors? An non patres omnes fuerunt antea in inferno? Sola mors Christi infernum confregit, et paradysum aperuit. Cupiebat Paulus dissolui, et esse mox cum Christo, in paradiso, quod Patribus olim non dabatur. Si caro Christi est vere cibus, est vere alimentum. Si est vere alimentum, ille, qui ea nutritur, efficitur substantialiter vnum cum Christo. Substantiali autem hoc carnis Christi cibo non est v-

sus Abra-

fus Abraham: præstantiores igitur sumus nos. Illos omnes nos præcellimus: quia nondum ad eos venerat regnum Christi, nec gloria resurrectionis eius. Nunc, inquit, iudicio tolletur carcer satanæ. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego exaltatus vos ad me in cælum traham. Post mortem sacerdotis magni nos sumus reuersi ad priorem paradisi possessionem, non ante. Per mortem eius est aperta via sanctorum in ipsum cælum.

EPISTOLA DECIMA QVINTA.

REgenerationem veram nondum es assequutus, sicut nec regnum Christi cæleste. Regenerationem fa-
teor non momento perfici, incipere tamen certo tem-
pore, idque in homine, verborum vitæ capace, fidei
capace, cum fides sit ostium regni cælorum. An non
certum est tempus, quo quis vocatur? quo ex iniu-
sto fit iustus? ex non credente credens? Certum
tempus est, quo quis conuertitur, quo a Christo sana-
tur, et quo remittuntur ei peccata, vt ait ipse Chri-
stus Matth. 13. et Marci. 4. Tempus certum muta-
tionis, et translationis nostræ, vide Ephes. 2. Colos.
1. et 2. et alibi passim. Certum est tempus, quo in-
firmus dimissa febre incipit renouari, qui et postea ma-
gis ad valetudinem maiorem in dies renouatur. Rege-
neratio, et renouatio dicitur in baptismo, febre mortis
dimissa, et accepta vitæ spiritu, ac regni cælestis in-
troitu. Lege, quod ad hanc rem, de baptismi perfe-
ctione scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagogi-
ca. 6. Quanquam non semper hora baptismi et cænæ
sequatur effectus, a nobis tamen ita debent ministrari,
quia ad id est eorum institutio, Ais, Christum de aqua
ista nihil cogitasse, quando dixit nos renasci ex aqua.
Quid igitur? Aqua non est aqua? An non aqua est, quan-

do Paulus vocat lauacrum regenerationis? Quando ait, nos mundatos lauacro aquæ? Regenerat hominem ais, quando illuminatur. Contra de iam concedis pædo-baptizatos tuos non regenerari, qui nec illuminantur, nec intelligunt. Rite eos baptizari contedis, regenerationem a baptismo longe separans, et tantum dicens. Baptismum esse signum adoptionis. Ex te ipso omnia componis, et in adoptionis vocabulo tibi falso illudis, dicens puerulos adoptatos. Adoptio sacris scripturis dicitur et fit, quando credenti datur spiritus *ὑιοθεσίας*, Rom. 8. Galat. 4. et Ephes. 1. Rectius nos cum Paulo diffinimus, Baptismus est lauacrum regenerationis, et renouationis spiritus, nos saluans. Si baptismus est lauacrum regenerans, ea ipsa lotio ex aqua et spiritu sancto est regeneratio. Si regeneratio est e cælo, nonne per regenerationem est introitus in regnum cælorum? Ea hora, qua quis e cælo nascitur, in cælum intrat. Intramus nunc in regnum Christi, per fidem in spiritu, in quo est illius gloriæ participatio, et interna in nobis Christi regnantis fruitio. Intramus et per spem, scilicet spem maioris gloriæ postea reuelandæ. Per regenerationem est in nobis spes viua, vt ait Petrus. Spes autem viua est, quæ iam sentitur: sicut fœtus, qui in vtero sentitur, dat spem viuam. Spes viua est, et in nobis iam viuit, quod speramus. Hinc Paulus cum spe ista coniungit, præsentem iam esse eximiam gloriam, Ephes. 1. Quoquomodo nec per fidem, nec per spem possunt tui infantes intrare, nec regenerari. Et tu fur es, et latro, qui eos non introducis per ostium, videlicet per ostium fidei. Quomodo possunt ad Christum vocari, qui a Ioanne non potuerunt præparari? Baptismum Ioannis in hac re parem tu facis baptismo Christi. At Ioannis baptismus erat lotio emendationis vitæ, ad peccatorum veniam, Marc. 3. et Lucæ 1. ad quem venientes confitebantur se peccatores. Matth. 3. Ergo infantibus ille conuenire non poterat. Iudæi infantes nec baptizarunt vnquam,

nec ho-

nec hodie baptizant, sed adultos, quemadmodum et Ioannes. Promissionem, ais, factam nobis, et filiis nostris, et reliquis omnibus, qui longe sunt aëto. 2. Loquitur ibi Petrus de promissione spiritus, quam ex Ioel citat. Si in baptismo est promissio spiritus, iam tecum pugnas, paruulos carnales faciens participes promissionis spiritualis. Eo magis quia promissio spiritus datur credentibus Christo Ioan. 7. et Galat. 3. Filii tritissimo Hebraismo intelliguntur posterius. Promissio spiritus facta est semini Abrahæ. At nec filius, nec semen Abrahæ quis dicitur, nisi per fidem: nec promissio illa accipitur, nisi per fidem. Hæc igitur dona non accipiunt infantes tui. De eisdem filiis loquitur Petrus, de quibus loquutus est Ioel, quem citat. Ait autem Ioel, accepta promissione spiritus filios Abrahæ prophetare, et cælestia videre. Quid hoc ad infantes tuos? Petrus priorem baptismo exigit pœnitentiam, ut in baptismo detur spiritus promissus. Fac ergo, ut tui paruuli pœniteant. Denique vocatum esse oportet, qui donum hoc accipiat: vocatio autem per fidem est. Nobis igitur facta est promissio credentibus, et posteris nostris credentibus, et reliquis omnibus credentibus. At, inquis, differentiam facit Petrus inter Iudæos, qui iam vocati sunt cum filiis suis, et alios externos, qui aduocantur. Differentia est manifesta: quia Christus primo missus est ad oves perditas domus Israël. Hinc Petrus ibi subdit, Vobis primum Deus misit filium suum. Et Iudæis Paulus ait, Vobis primum oportebat loqui sermonem. Et alibi Iudæo primum et Græco. Iudæos ait Paulus sitos prope, et Gentes procul. Quoquo modo, siue prope, siue procul quis sit situs, fide est accedendum, et fide est accipienda illa spiritus in baptismo promissio, post delictorum pœnitentiam. Pœniteat te igitur, et vera Iesu Christi fide ad baptismum accede, ut accipias donum spiritus sancti, tibi ita promissi. Tu vero illusionibus tibi places. Prædestinatos ais infantes illos ita mortuos, impudenter tuo more sacris vocibus abutens. Imo et iustificatos vocas. At in sacris literis prædestina-

tio non dicitur, nisi de credentibus. Ab æterno non vidit Deus quenquam iustum, nisi credentem. Si iustiam sunt, Christus non venit ad vocandum eos, qui non venit ad vocandum iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Res est de solo titulo, quod ais, obsignatione illa pædobaptismi tui facta, paruulos conferi filios Dei. Imo filii sunt iræ, donec crediderint. Nisi filii sint iræ, fides eos non faceret postea ex filiis iræ filius Dei: atque ita fides nihil efficeret. Paulus eos omnes, qui per baptismum sunt cum Christo mortui, ait esse iustificatos, idque ex propria fide. Baptizatos omnes ait Christum induere, idque ex propria fide. Filios Dei esse ait, qui crediderunt Christo Iesu. Horum filiorum proprium esse ait spiritum *ὑιοθεσίας*, qui spiritus in baptismo datur, et ex auditu fidei est. Si quam in paruulis vis esse obsignationem, manuum impositione, et oratione cum Christo vtere. Ora pro eis, vt in suum cæleste regnum eos seruet Christus, qui pro eis ita orare voluit, eos Deo commendans. Arguis adhuc, circumcisionem fuisse olim signaculum fidei, sicut nunc est baptismus: ergo sicut infantibus illa conueniebat, ita et baptismus. Antecedens probans ex Paulo ad Rom. 4. At Paulus ibi aperte docet, Circumcisionem in Abrahamo fuisse signaculum iustitiæ fidei ipsius, quæ fuerat in præputio. Non ait, in infantibus esse signaculum præcedentis eorum fidei, quæ fuerit in eorum præputio. Longe melius concludisses, Instar Abrahæ nos veros filios adultos debere accipere signaculum fidei et iustitiæ. Quod de sacramento poenitentiae ibi ludis, indignum est responsione, cum argumentum facias ex vocibus pro tua libidine confictis, quod ego detestor. Hæc est vis argumenti tui: Circumcisione infantibus data, circumcidere corda viri deinde monebantur. Deut. 10. et Iere. 4. ergo baptismus infantibus conuenit, vt pariter moneantur. Inepte penitus infers, idque magis, quia non est integra similitudo. Baptismi vis non in eo consistit, vt

ffistit, vt ab infante vir postea moneatur. Ab inferno non magis liberabat masculum circumcisio, quam foeminam non circumcisam: ergo non erat sacramentum, per quod salus illa daretur, vt in baptismo datur. Argumentum idem in teipsum torquetur: Cæna in azymis facta, in azymis synceritatis ambulare viri moneantur, infantibus azymi panes tunc dabantur, teste ipso Deo, vt mysterii deinde monerentur: ergo infantibus nunc dabitur cæna, vt pariter moneantur. At tu cænam differs, idque in tempus ineptum, aut ab ethnicis præscriptum, aut tuo placito decretum. Vnde tibi authoritas constituendi tempora et leges?

EPISTOLA DECIMA SEXTA.

PAedobaptismum aliis rationibus defendis, quia olim dixit Deus, se fore Deum Abrahæ, et carnalis feminis eius, in fœdus suum pueros carnis accipiens, Genes. 17. Item, quia dixit, Israelitarum filios sibi nasci filios, Ezech. 16. Facilis est absolutio, sicut præcedentis de circumcissione argumenti, si probe tu intelligas, vetus et nouum testamentum, seu vetus et nouum fœdus differre, sicut figuram et figuratum, sicut vmbra et veritatem. Nihil ad perfectum duxit vetus illa pactio, noua autem nos perfectos reddit, communicata nobis gratis ipsa Christi perfectione, vt ad Hebræos, Colossenses et alibi passim docet apostolus. Ea igitur, per quæ communicatur Christi perfectio, virum exigunt perfectionis capacem, fidei capacem. Quare Christus est paruulus circumcissus, et adultus baptizatus? Quorsum hoc discrimen? An non hic discernuntur legis et euangelii tempora? De veteri fœdere dixit Abrahæ Deus, Erit fœdus meum in carne vestra. Deinde nobis per prophetam ait, Erit fœdus meum in spiritu vestro. Olim in carnali fœ-

dere paruuli carnis censebantur filii. Nunc illi soli sunt filii, qui per fidem fiunt filii Dei. Cum foedus illud ab inferno non liberaret, et mundana tribueret, ad id admittebantur infantes, vt sub Dei protectione viuerent. Carnalis illa filiatio olim figurabat sublimiorem aliam, quam attulit Christus. Quod in paruulis carnis olim gerebatur, figurabat sublimiora alia in paruulis spiritus per Christum futura. Expedita iam est responsio ad id, quod de carnali semine Abrahamæ tu citas. Vice carnalis est nobis spirituale semen. Semen Abrahamæ Christus est, et ii, qui ei credunt. Quod dictum illud Abrahamæ, non ad filios carnis, sed ad filios spiritus, debeat hodie referri, manifeste docet Paulus, dicens, non filios carnis, sed eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahamæ, et semen Abrahamæ, Galat. 3. Rom. 4. et 9. Aperte ibi docet, Abrahamum esse patrem credentium, non aliorum: et filios carnis non esse filios Abrahamæ, sed filios spiritus per fidem. Eos solos esse filios promissionis, docet, cum ad eos solos extendatur hodie promissio spiritualiter intellecta. De Ezechielis dicto, similiter dicendum, fuisse tunc filios carnis. Deus dicebat, eos nasci sibi filios, quia erant sub ipsius paterna protectione, et quia futuri erant Deo sacri, umbra futurorum. Veri enim filii Deo nascuntur in baptismo, natiuitate superna. Ex radice sancta eos ais nasci sanctos, cum vere nascantur filii iræ, vt ipse fateris. Quallscunque sit prædestinatio, filii iræ nascuntur cum Paulo, et fides postea eos vere facit filios Dei. Comparatione ad filios Ethnicorum facta, dicebantur ipsi potius nasci sancti, id est, Deo magis præparati, ad verbum eius suscipiendum. Sanctificare enim, si Hebraice nosti, idem est, quod Deo præparare. Ex matrimonii sanctificatione dicuntur Paulo nasci filii sancti, id est, non spurii, non immundi. 1. Cor. 7. Immundities dicitur in spuriiis, et filiis ethnicorum, præparatio et pronitas ad immundos et obscenos parentum mores. In contrariis autem sanctificatio, ad sacram

cram viam maior præparatio. Nihilominus filii iræ nascuntur omnes. Longissime distat generatio ex sanguinibus, aut ex carne, a generatione, quæ est ex Deo. Ioan. 1. Sanctos vocat Paulus infantes non baptizatos, et tu inde baptizatos inferis? Constat ibi non baptizari, cum præsertim esset tunc infans in potestate patris ethnici. Quod in pii parentes gratiam filio Deus benefaciat, aliquando non recipitur, vt Ezech. 14. Aliquando in precibus impetratur. Proinde in oratione tua, si locos illos veteris testamenti paruulis carnis accommodare lubet, quando eis manus imponis, Christum imitando, ita pro eis orabis, O Deus, pater cælestis, qui olim dixisti, te Abrahæ et filiorum eius formare Deum, et Israëliitarum filios tibi nasci filios, eos in tuam protectionem suscipiens, vt tibi deinceps seruirent verbo, tuo credentes: protege nunc, et in cæleste regnum tuum infantes hos tibi serua, vt tibi fideles seruiant in regno tuo. O Iesu Clementissime, fili Dei, qui tanto amoris indicio paruulos in vlnas tuas benedicens assumpsisti, benedic nunc, et manu virtutis tuæ paruulos hos dirige, vt fide cælesti tua possint cælestis regni tui fieri vere participes. O mitissime Iesu, fili Dei, qui ab vtero fuisti semper innocentissimus, da nobis infantium horum simplicitate sine dolo versari, vt regnum cælorum, quod talium esse dixisti, gratia tua nobis tale semper seruetur, in eumque hi facti paruuli spiritus, tua immensa pietate assumantur. Amen.

EPISTOLA DECIMA SEPTIMA.

Miraris tu, quod ego nullam corpori Christi adhibeam certi loci circumscriptionem in parte quapiam cæli. Indeque a pari, quasi inconueniens deducis, nobis nullum fore locum post finalem resurrectionem. Sed responsio facilis est. Neque nos erimus pares Christo, neque in nobis

nobis erit aliqua loci circumscriptione. Simul cessabunt locus et tempus. Ea tunc erunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis tale quid ascendit. Cessabunt locus, tempus et motus, cælo et terra dissolutis. In firmamenti expansione consistit locus, et hoc cessabit. De Christo autem id sublimi mente cogites, oportet. Sicut variæ huius temporis partes sunt Christo nunc æque præsentis, ita et variæ huius globi partes. Nulla earum ipse circumscribitur, nec vno, vel pluribus locis conclusus continetur. Sola idea diuina nos post resurrectionem continebimur. Sola principe idea diuina ipse princeps continetur, et per eam est, ubique vult, sine locali motu. Extra omne quantitatis corpus est spirituale corpus, in nouo cælo. Non est Christus in aliqua horum cælorum parte, sed in tertio cælo: ubi omnia implet, est omnia in omnibus, et intra nos est. Christus est supra locum, est supra tempus. Si locum dicere lubet, locus eius est Deus. Non est moles carnis eius, ut aër hic, in orbem diffusa: sed est ipse homo ita in Deo, ut in cordibus istorum, et illorum, in quibus vult, simul sit sola sui exhibitione, sine saltu aliquo. Simul est in me, et te, et illo, sicut vox eadem in multorum auribus, cum eadem idea. In ea gloria erat olim verbum, et in ea est nunc homo. Ioan. 17. Nisi hoc Christo dedisset Deus: aliquid eius gloriæ deesset. Donare enim alicui potuit Deus hanc super-excellentem gloriam: ergo et Christo dedit. Consequentiam hanc menti tuæ commenda, si gloriæ Christi sis vere studiosus. Obiicies tu, hic non agi de eo, quod Deus potuit, sed de eo, quod Deus voluit. Et potuit, et voluit Deus, dare Christo totam suam plenitudinem, immensam omnem gloriam supercælestem, supra omne, quod tu excogitare potes. Fateris tu, supra omnem mundi conditionem euectum esse Christi corpus: quare igitur ad mundi conditionem eum nunc reducis?

EPISTOLA DECIMA
OCTAVA.

INfernum nunc esse, Christum eo descendisse, sanctosque secum eduxisse, vos ut fabulam luditis : cum tamen illustretur maxime redemptio Christi ex cognita eius de inferno victoria. Inferni locum dialogo primo ostendi, esse ut sepulchrum, aut sepulchro significari, quicquid subterraneum est. Apparet hoc ex gigantum, Sodomitarum et aliorum sepulturis. Ex iis, qui vivi ad infernum descenderunt. Ex diuite in inferno sepulto, et ex colloquiis, quæ inter mortuos in ipsis sepulchris leguntur. Esa. 14. Ezech. 32. et Sapi. 5. Eos, qui in inferno sunt, ait Christus, esse omnes in monumentis. Ioan. 5. Hebraica vox *שֵׁוֹל* seol, sepulchrum et infernum simul significat. Non caret mysterio ea significatio coniuncta, eo quod ad sepulchrum et ad infernum simul quis tenderet : eo item quod sepulcorum esset aliqua in inferis communicatio. Ultra communem sepulchri rationem, aliquid addere infernum, docent euangelicæ literæ, Christus Lucae 16. Petrus in actis, et in epistolis, Ioannes in Apocalypsi, et Paulus quoque, ubi mortis et inferni destructionem tractat. Infernus et perditio continent plura, et magis abdita, quam sint in visceribus hominum. Prouer. 15. et Iob. 26. Ergo non sunt sola sepulchra cadauerum, sed sunt ibi arcana iudicia. In profundis inferni, ait Salomon, esse scortatores cum gigantibus. Prouer. 2. et 9. Res magna est, quod ait Christus apoc. 1. se habere claues inferni, quem ipse iam aperuerat, et clauferat. Hinc portas inferni edixit non præualituras ecclesiæ, a se in regeneratione fundandæ. Matth. 16. Maxima res ibi statuitur. Antea enim præualebant inferorum portæ sanctis omnibus. Ex originali item corruptione constat, Adamum esse factum feruum peccati, serpenti sui potestatem fecisse, animaque et corpore illi obnoxium.

xium. Vbi ergo erit anima post mortem, quæ tali principi subdita erat? Nonne clausus illi erat paradisus? In potestatem magni tyranni traditus est totus homo, quis eum liberabit? Nemo vnquam, nisi Christus. Opera diaboli fuerunt peccatum, mors, et infernus, per Christum omnia destructa in credentibus, in aliis adhuc remanentia. Ex veteribus scripturis aperte colligitur, infernum nunc esse pœnam eius, horrorem et caliginem Iob. 10. 17. 24. 26. Esa. 5. 14. 38. et locis aliis iam citatis. Potestatem quoque ipsi inferno esse docet Dauid psal. 48. 85. et plerisque aliis. Pœnam inferni iam præsentem, in Gigantibus et Sodomitis docent Petrus, et Iudas. Hæc sola ratio infernum te fateri coget, quod semper dicebantur eo descendere, et animæ ipsæ inde ascendere, vt ait Samuel, et passim alii prophetæ. Quando ait Iacob, Descendam ad filium meum in infernum, non intelligit descensum ad locum cadaueris, sed ad locum animæ, cum crederet, cadauer esse a bestiis laceratum. Ad infernum hunc descendisse Christum, vltra commune apostolorum symbolum, docent Petrus et Paulus. Docent presbyteri, Irenæi præceptores, apostolorum discipuli, vt ipse citat lib. 4. cap. 39. 45. 50. et 56. Docet Ignatius ad Tral-
 lianos, Polycarpus ad Philipenses, et reliqui veteres. Verba Ignatii, quod ad infernum descenderit Christus solus, carcerem ruperit, et multitudinem magnam inde secum ad patrem extulerit, citat Eusebius in fine libri primi eccles. hist. vt vel hinc constet, Ignatium ita docuisse. Id apertius docet Nicodemus, ac etiam Sibyllæ. Id ipsum docent prophetæ. Nam Christus in sanguine testamenti sui eduxit vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Ipse soluit carceris satanæ vincula, et dixit ligatis, vt exirent. Zacha. 9. Esa. 42. et 49. Qualiter sustulit Christus iram Dei, patri nos reconciliauit, et in cælum assumpsit, si nos, vt antea, in inferno reliquit? An non ipse primus aperuit nobis viam intrandi in sancta, in cælum ipsum? Non dis-

soluisset Christus opera diaboli, si infernum non attigisset. Atque ita nec patres liberasset, nec fortem diligasset, ut ipse ait. Non impleuisset ipse omnia, nisi descendisset ad ima, iterum ab imis ascendens ad summa, ut ait Paulus. Ob quam causam inferi ei genua flectunt, et eum laudant, cognita eius apud inferos prædicatione cum tanta gloria et potentia. Omnis, qui credit, ipsum esse filium Dei, in ipso resurgente regeneratus, ab hoc inferno immunis erit, ad cælestia iam translatus. Hæc est propria vis cælestis regenerationis, contra priorem ex originali peccato infernalem generationem. Resurgens Christus de inferno victor, regeneratos suos per potentiam resurrectionis ab inferno vere seruat, in cælestibus secum regnantes. In quibus tu utinam nobiscum regnes. Amen.

EPISTOLA DECIMA NONA.

Quoniam tu inter Ethnicum, Iudæum, et Christianum, non bene discernis, ego de hac re paucis te monebo. Alia suipsius cognitio data est Ethnico, siue lege viuenti, et vix peccatum scienti. Alia Iudæo seruo carnali, qui peccatum bene sciens, ab eo se liberare non poterat. Alia Christiano filio spirituali peccatum melius scienti, per Christum liberato, et cælestia possidenti. Triplex quoque his inest Dei cognitio et religio. Gentium aliqua cognitio et religio fuit, ex naturali instinctu, seu innato Dei habitu, et a creaturis ad Dei sapientiam sumpto argumento. Eorundem fuit certior de Deo et sapientia eius traditio per filios Noë disseminata. Sapientium ipsam Dei sapientes homines tunc confessi sunt, nec cælauerunt a patribus suis acceptam. Iob. 15. et 32. Iudæorum cognitio et religio fuit
ex ora-

ex oraculo Dei sub velamine quodam prodito, Christianorum vero, ex Iesu Christi reuelatione, Deum patrem lucide reuelantis. Solis Christianis data est per Christum cælestis regeneratio, qualis antea non fuit. Regenerari in Deum homines, docent Trismegistus et Plato, quali quali diuinorum cognitione: apud Iudæos quoque aliqua erat semper in melius nouatio: non tamen per sublimen hanc ex aqua et spiritu sancto regenerationem, ac cælestis regni possessionem. Umbra ibi fuit huius veritatis, cum nondum esset resuscitatus Christus. In inferno illi omnes detinebantur, at non omnes iudicio finali damnabantur. Duo discernit Paulus, quæ ad finalem damnationem facient. Non nouisse Deum, non obedisse euangelio, 2. Thess. 1. Fuit aliqua cognitio Dei, ubi non erat euangelium, quale nunc est. Obiicies tu, eandem esse omnium saluandorum fidem, nec saluari quem sine fide Christi, qui est vnicus omnium saluator. Ad hoc dicimus, Christum saluare pios omnes, sed nos regenitos maxime. Dicimus insuper, in Iudæis fuisse umbram fidei Christi. Ille eis de nube loquutus, cui credebant, Christum præfigurabat. Atque ita est fides eadem, sicut figura est idem cum figurato. Simili ratione inter gentes, erat aliqua cognitio sapientiæ Dei, fides diuinitatis, umbra quædam Christi. Quicquid vnquam de Deo cognitum aut visum est, id erat Iesus Christus, filius Dei. Quicumque filius Adam saluatus vnquam est, per passionem Christi saluatus est, per eamque ab inferno liberatus. Passionem, inquam, Christi, aut iam exhibitam, aut ad id a Deo præuisam. Iudæum facimus Gentili præstantiorem, quia habuit oracula Dei, quibus credens, potuit plus alio proficere. Rom. 3. et psal. 147. Iudæis primo offertur a Christo euangelium, quasi naturalibus hæredibus fidei Abrahæ. Ex radice sancta eos prægentibus vocat Paulus sanctos, id est præparatos magis Deo. Quamuis sint excæcati, adhuc hodie erga proge-

progeniem illam durat aliqua dilectio Dei, vt innuit Paulus Rom. 11. Non sine mysterio feruatur adhuc gens illa, cum scripturis sacris incorruptis. Mysterium hic subesse, docet Paulus, quod sit Israël totus ad Deum conuertendus. Vtunque nunc excusantur, si non credunt peruersæ Antichristi et trinitariorum doctrinæ. Ita de incredulitatis peccato excusat Christus eos, quibus non est ipse loquutus. Ioan. 15. Eadem ratione excusantur aliquo modo in lege naturæ, qui ad regnum Christi non peruenerunt, sicut nec Iudæi. Quanquam nec Iudæi, nec gentes in regnum hoc cæleste nunc ingrediantur, regenerationem ex aqua et spiritu sancto non assequeuti: non tamen propterea ad gehennam ignis in finali resurrectione omnes damnabuntur. Nec Esau ita damnabitur Paulo, quia dictum est, Esau odio habui. Rom. 9. Agit ibi Paulus de vocatione euangelica, in Iacob minore figurata, quæ est res mere gratuita. De futura æterna damnatione nihil diiudicat Paulus, nec potest. Exosus dicitur Esau primogenitus, quia a primaria benedictione, a primogenitura, seu regia dignitate, pellitur, minore præelecto. Ita sunt Ruben, Simeon et Leui, maledicti, exosi, et a primogenitura exclusi, non damnati. Exosus est iste, sicut dicitur pater odisse filium, quem minus alio diligit. Exosi quodammodo fuerunt Moses, et Aaron, ob incredulitatem exclusi, Num. 20. non damnati. Reprobatus est Esau, sicut reprobati sunt Eliab, et Abinadab, fratres maiores Dauidis, 1. Sam. 16. Reprobatus est, sicut Eli et Abiatar sacerdotes, quos damnari negat apostolica doctrina, vt citat Irenæus, lib. 4. cap. 45. et 50. Sua seorsim fuit ipsi Esau benedictio, et Ismaëli, et filiis Loth, et Iaphet, exemplo gentium, inter quas omnis, qui timet Deum, et operatur iustitiam, is acceptus est illi. Verum est Christi dictum, Nisi venissem et loquutus eis fuissem, peccatum non haberent. Peccatum hoc non imputat Christus, nisi quatenus est ipse loquutus.

Varie autem est gentibus loquutus. Omnibus gentibus est ab initio data hæc sapientiæ regula: Timor domini est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Ita regulam omnibus datam citat Iob: cap. 28. Non solum ex innato halitu diuino gentibus omnibus internam viam iustitiæ, sed et externum fœdus, et sacrificia sibi grata, ostendit sapientia diuina, Christus ipse. Sacrificia legimus in Abel, Noë, Iob, et plerisque aliis. Ietro sacerdos Madian, sapientior visus est Mose, credens Deo. Exo. 18. Iustus dicitur Abimelech, rex Gerar, Genes. 20. qui tamen nec promissiones, nec legem sciebat. Pontificem ad sacrificandum gentes habuerunt Melchizedech. Fœdus omnium fuit arcus cælestis, vt eum videntes, Dei recordarentur, Deum cæli et terræ possessorem cum Melchizedech crederent, diuina eius protectione seruandi. Opera item gentibus prodesse poterant, vt Cornelio: atque ita erat inter gentes sacrificium Deo gratum, et oblatio munda. Malach. 1. et Ionæ 1. Si Nabuchodonozor, ethnicus idolorum cultor, poterat eleemosynis peccata aliquo modo redimere, quare gentibus non proderunt eleemosynæ? Annon Belsazar nepos eius appensus est in statera? Bona eius opera minoris erant ponderis, quam mala. Erant igitur aliqua bona opera, et suum in statera pondus habebant. At Christi vocatio est peculiare donum, in electo Iacob figurata, adhibitis ei Dei oraculis, et de futuro Christo visionibus. Vnde merito præfertur ipsi Esau. Omnibus insitum est velle bonum in genere: sed velle Christum, est peculiare donum. Christum vidit, et desiderauit Iacob, non Esau. Et hoc est donum maximum. Quo dono qui priuantur, siue Iudæi, siue gentes, dicuntur omnes exosi cum Adam, et perire cum Adam, in mortem et infernum. Attamen omnes resurgent, plerique vitam habituri. Ex inferis resurgent pusilli, et magni, iuxta propria facta iudicium accepturi, apoc. 20. Ex inferis resurgent, futurum iudicium formidantes. At nos iam resurreximus cum Chri-

Christo ad cælestia. Non ex inferis nos resurgemus nec futurum iudicium formidabimus, æterna vita iam donati. Ad quam nos omnes o vtinam inducat clementissimus dominus noster Iesus Christus, filius Dei, æternæ huius vitæ nobis author et consummator. Amen.

EPISTOLA VICESIMA.

DE ecclesiæ potestate controuersiam facis, an sit eius, vel scripturæ, autoritas maior in dogmatum discussione? Et an perpetuo duret ecclesia? Ecclesiam autem accipi oportet, non vt spectatur ab hominibus, sed vt agnoscitur a Christo, qui medius est inter suos congregatos. Quæstio non est difficilis, si primo constet, vbi sit ecclesia Christi vera, lauacro mundata. Eius enim potestas, quamuis occultetur, maxima est, et cælestis supra omnes mundi potestates, adeo, vt angeli, et dæmones ei pareant, sicut vxori dilectæ parent omnes ministri. In ecclesia Christi semper sunt cælestes spiritus, et Christus ipse, Heb. 12. Vna tibi ostenditur esse omnium ecclesia, vno spiritu vnita. Cælestis huius ecclesiæ Christianos esse nunc filios, verique participes, docet ibi Paulus, et ad Gala. 4. Verre ad nos adtulit Christus cæleste regnum, et cælestem ecclesiam. Inter hanc igitur ecclesiam, a spiritu sancto gubernatam, et scripturam, a spiritu sancto dictatam, nullum potest esse dissidium: imo par est autoritas in dogmatum discussione. Illud verum est, quod sine scripturis stare potest ecclesia Christi vera: et erat ecclesia Christi, antequam apostoli scriberent. Ecclesiæ prophetia, interpretatio, et vox viua præfertur scripturæ mortuæ, et ecclesia iudicat, quæ scripta sint sacra, sicut ecclesia iudicat de spiritibus, an ex Deo sint. Sed vbi est nunc ecclesia hæc? In cælestibus spiritibus, et beatorum animis assumptis, est semper Christi ecclesia, dicto cap. Heb. 12. a terris autem fugata est ad annos mille ducentos sexaginta, apoc. 12. Ecclesia tibi vere ostenditur mulier illa, sole Christo et

stellis duodecim ornata. Quæ olim varie cruciabatur, vt pareret Christum: quia multis modis passa est ecclesia, vt nomen Christi propagaret, et in credentium cordibus Christum vere generaret. Peperit ergo nunc ecclesia Christum, qui vrgente per Antichristum dracone, raptus est, et ecclesia fugata in locum, ab hominibus incultum, ad annos 1260. Ibi in cælestibus spiritibus fouet Christus ecclesiam, quæ sua cælesti gloria non est spoliata, quin sole et stellis semper ornetur. Perpetuo ergo durat et regnat ecclesia Christi, sicut perpetuum est regnum Christi, quamuis durante regno Antichristi discesserit. Discessionem ecclesiæ ibi docet Ioannes. Discessionem eius, seu defectionem vocat Paulus, sedente Antichristo, et tu ipse ita defectionem interpretaris. Vere fuit in terris defectio, seu a terris discessio: vt multi prophetæ desolationem hanc et vacuitatem terræ prædixerunt. Quamquam igitur fuerit in terris defectio, fuit tamen semper cælestis ecclesia, vera Christi sponsa, et aliquando ea in nobis erat, sicut et fuit super terram. Visibilis erit ecclesia, quæ nunc est inuisibilis, et nos ipsi cum illis erimus ecclesia, congregatio Christi. In huius ecclesiæ restitutione ego iugiter laboro, et ob id tu mihi succenses, quod pugnae illi Michaelis me immisceam, et pios omnes misceri desiderem. Sed locum illum diligenter expende, et videbis, homines fore, qui ibi pugnabunt, animas suas morti exponendo, in sanguine et testimonio Iesu Christi, vt aperte docet ibi Ioannes. Angelos vero dici, obuium est in scripturis. Eo magis, quia in ipso cælo pugnant angeli boni contra draconem, et alios angelos Papatus. An non credis, Papatui suos præesse angelos? Ergo destrui non potest sine angelorum pugna. Cælestis item regeneratio facit nos angelis pares, in cælestibus pugnantes contra spirituales nequitias. An non vides, ibi agi de restitutione ecclesiæ fugatæ? An non de re futura est ibi visio, vt ipsemet Ioannes testatur?

statum? Rem futuram aperte docet Daniel, in numero annorum, et reliquis signis, cum Ioanne conueniens, et sanctos altissimos pugnatueros dicens. Quis ibi accusator ille, qui ob legum et præceptorum suorum transgressionem nos ante accusabat? Ante pugnam, ait Ioannes, esse accusationem illam et orbis seductionem: ergo futura est pugna, et tempus prope est, ut ait. Reuelationem illam totam esse ait de iis, quæ erant cito futura. Qui sunt illi, qui victoriam reportabunt de bestia, qui non accipient characterem eius? Innumera alia sunt signa, ex quibus ego sexaginta collegi, quæ iam ad te misi.

EPISTOLA VICESIMA PRIMA.

QVI fidei essentiam non habent perspectam, hinc et inde eam fide componunt, et falsum de ipsa passim imaginantur. Ignorant, ut video, quæ res in se sit fides ipsa: quando viua dicatur, quando mortua, et quomodo moriatur. Ignorant pariter, quando dicatur peccatum ad mortem, quando non. Ego vero, ut omnia paucis exponam, fidem accipio, ut erat in Petro, quando credidit, Iesum esse Christum, filium Dei viui. Aliam fidem sum nunquam admissurus. Simplex assensus est fides hæc, actus quidam animi, quo cum fiducia credimus. Est ne fides hæc viua? Est viua, et vita animæ, si spiritum includas. Vita ipsa fidei est spiritus viuificans. Ipse viuificat fidem, quam intendi et augeri diximas, sicut et spiritus ipse suos in nobis habet gradus. Vita animæ dicitur hæc fides Christi, quia per eam datur spiritus, qui animam viuificat. Occupationes hic incidunt variæ, et quasi contrariæ. Hic fidei naturam a Christo æstimat, quia quod Deus nobis per Christum offert, fide accipimus: et sic translatione quadam omnia fidei adscribit. Iste vero soli gratiæ omnia fert accepta, non naturæ fidei.

R. 3.

Ille

Ille alius gratia et fide nos ait iustitiam et regnum accipere, sed per bona opera vltro progredi, et iustitiam augere. Quartus, quia spiritus regenerationis viuificans, per baptismum datur, omnia baptismo tribuit, etiam ipsam fidei vitam. Quæ omnia vera sunt, si logomachiam tollas. De fide ita dicendum. Fauore Christi gratis datur, augetur et accepta semper habetur hæc ipsius fides, et ei gratis accedit spiritus viuificans, ipseque Christus totus. Actus ille fidei seorsim consideratus, non ex natura sua iustificat, nec ex se solo est ita operosus, sed ex gratia et spiritu Christi. Ipse Christus, qui credere dat, ex sua gratia illa actum acceptum habet, spiritu suo sancto illum mirifice exornat, ac cælestia plurima gratis donat, quæ per alium actum donare potuisset. Non proprie ergo dicitur charitas esse fructus fidei, sed fructus spiritus, vt docet Paulus: sicut fides ipsa est fructus spiritus. Spiritus actione per exercitationem quandam nos charitate, et operibus proficimus: a quibus ea fides efficaciam accipit. Fides per charitatem est efficax, efficaciam dans, et accipiens; id quod alibi inter actus et habitus vldemus, vt mutuo se robovent. Fidem ab aliis sumere vim aliquam, vel hinc manifeste colligitur: quia si ab eis cessemus, moritur fides. Nisi charitate et operibus vestitam fidem seruemus, nudata moritur. Sicut ex actibus roboratur habitus, sicut exercitationibus roboratur corpus, et lectionibus roboratur intellectus, ita et bonis operibus roboratur fides. Sicut ieiunio et oratione viuificatur magis spiritus, ita et viuificatur magis fides. Nisi iugiter negociemur, igni oleum et fomentum addamus, euanescit spiritus, qui est ipsa fidei vita. Sicut ignis hic elementaris nobiscum non manet, nisi pabulo foueatur, et pabulo crescit, ita et ignis spiritus Dei. Adde, quod cæna domini dicitur etiam fomentum fidei, fomentum interni hominis, qui sine quotidiano cibo, contabescit. Baptismus vero regenerans, dicitur vita fidei
 seu in

seu instrumentum, quo vita confertur, per viuificantem regenerationis spiritum. Fides itaque diffinitur, esse fiducia tanto perfectior, quanto auctior, quanto stabiliior, vt indicat vox *יִשְׁתָּבֵט* heemin, vnde nomen accipit fides. De ea ita loquitur Ichosaphat. 2. para. 20. stabilis fitis in Deo vestro et stabiliemini. Et Esa. 7. Si stabiles fide non estis, nec vos quidem stabiliemini. Magnam fidem vocat Christus, et modicam fidem, vbi est hæsitatio. Hinc vere cognosces, qualiter in nobis moritur fides, et qualiter nos ad mortem peccamus. Non ex quouis lapsu a nobis tollitur spiritus fidei, sed per inertiam nostram est passim sepultus, et carnis fluctibus fere submersus. Carnis illecebra, nisi sedulo caueamus, quasi insidians torpedo, sensum spiritus nobis hebetat, nosque totos inebriat. Tunc nos tentationibus grauib. passim succumbimus, sed non ad mortem: nisi quando, iusto Dei iudicio, datur nobis tam reprob. mens, vt in contrariam Christo ethnicam infidelitatem decidamus, per insignem apostasiæ illusionem: aut torpore quodam ad mortuam fidem penitus ducamur, vitiis carnis obruti. Hi soli sunt duo modi, quibus homo per spiritum Christi regenitus ad mortem potest peccare. Qui duo modi ad vnum reducuntur, ad ipsius spiritus fidei iacturam. Eadem igitur, quæ erat fides viua, est postea fides mortua, nisi quis spiritum fidei dicat esse fidem. Differunt tamen maxime, quia spiritus fidei est Deus, et fides est actus creatus in anima. Per spiritum fides eadem Petri facta est viua, quæ antea non erat ita viua. Sicut peccatum idem, quod ante et post regenerationem vincitur a vita: ita fides eadem Christi per spiritum gratiæ vincit mortem, et sine eo vincitur a morte. Fides ergo viua est, quam spiritus gratiæ viuificat. Viua fides sensum clarum habet viuificantis spiritus, et certum conscientiae testimonium de Christo. Fides viua est,

R. 4.

qua

qua nos Christo credendo, Christum in nobis viuere sentimus. Cognita fide viuua, facile est discernere mortuam. Quæ duobus modis mortua dicitur. Primo modo est mortua fides, quæ nunquam vixit, quam spiritus gratiæ nunquam viuificauit: sed mansit velut leuis quidam historicus assensus. Semen in sterilia loca ita iactum, raptum, aut conculcatum, vt radices non iecerit. Altero modo mortua dicitur, quæ iecit aliquam radicem, prius vixit, sed eam postea spiritus reliquit, vt in nihilum abierit, aut mortua manserit, velut fidei cadauer. Mortua ergo fides est, quæ est sine spiritu vitæ. Mortua fides non est proprie fides, sicut homo mortuus non est homo. Mori autem sensim in nobis dicitur fides, quando tolluntur vestimenta, cessant fomenta, languent opera, frigescit charitas, viget caro, erumpunt vitia, exstinguitur spiritus, moritur Christus. Quod tempore nostro sensim ad mortem ruamus, docet Christus in apocalypsi: Quia tepidus es, incipiam te vomere. Incipiam, ait, non te mox perdam. Ego diu te expecto, tempus resipiscendi do, tu confirma eos, qui ad mortem ruunt. Memor esto, vnde excideris, age pœnitentiam et prima opera fac. Quod si in malo perseueres, tollam candelabrum tuum, et tunc penitus morieris, extincta lucerna. Mori in nobis tunc dicitur Christus, qui antea viuebat in nobis. Quicumque per spiritum Christi sumus regeneriti, et corporis christi participes facti, si in nobis moriatur fides, dicimur Christum intus necare, et turpius quam Iudæi, eum in nobis occidere, a quo tanto fascino nos Iesus Christus seruet. Amen.

EPISTOLA VICESIMA SECUNDA.

IN fatali tua, ne dicam fatua, rerum omnium necessitate, seu in seruo tuo arbitrio, est hoc stuporis certum indicium, quod hominem id agere mones, quod scis, eum agere non

re non posse. De liberis actionibus doces, et nullam esse dices liberam actionem. Quis tam amens homini, nihil libere agenti, præscriberet liberam agendi rationem? Illud est insuper fatuum, quod seruum infers arbitrium ex eo, quod Deus agit in nobis. Imo vere Deus agit in nobis hoc ipsum, ut libere agamus. Ipse agit in nobis, ut intelligamus, velimus et prosequamur. Ipse tollit obicem satanæ, in omnibus nos impedire parati. Ipse veritate proposita, mentem sæpius illuminat, ut intelligamus. Ipse boni specie proposita, cor mouet, ut velimus. Ipse in omnibus vires nobis dat, ut prosequamur. Sicut omnia in eo essentialiter consistunt, ita et actiones omnes ab eo essentialiter prodeunt. Nonne creaturam aliquam nouam potest Deus producere, cui det liberum arbitrium? Siue ut angelus illa sit, siue ut primus Adam? Nonne illa tunc diceret, Deum agere in ipsa? Quomodo igitur tu concludis seruum arbitrium, ex eo, quod Deus agit? Adamum concedis habuisse liberum arbitrium, antequam peccaret: et tamen in eo agebat Deus. Sicut Adam libere agebat, ita et nunc obicem illum satanæ tollendo facit ipse Deus, ut locum aliquem in nobis habeat libertas. Est adhuc in nobis spiritus deitatis innatæ. Adhuc hodie spirat in nobis Deus animam deitatis principem. Vnde Paulus omnes homines ait esse progeniem diuinam. Lumine naturali Deus ipse hodie illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Id lumen est diuinum, omnibus hominibus infusum. Per peccatum illud non est homo ita conuersus in saxum, ut ei libera mens nunquam dari possit a Deo. Ad Christum in hac re te conuerte. Num ideo seruum habebat Christus arbitrium, quia Deus agebat in Christo? Deus agebat in Christo, et nihilominus libere agebat Christus. Ita et nos pro modulo nostro libere agimus in eo. Ipse omnia facit, et nos sumus cooperarii. Varia sunt genera causarum. Si prædestinatio quoque ti-

bi facit serui arbitrii ambiguitatem, Christum intueri. Prædestinavit Deus omnia acta Christi. Num ideo seruum habebat Christus arbitrium? Humilitatem esse doces, ut se quis truncum faciat, et cucurbitam vacuum. Sed Christum intueri. Si hoc fit humilitas, Christus erat plus quam truncus et cucurbita, qui se supra modum humiliavit. Opera nobis ad gloriam prodesse negas. Sed Christum intueri. Opera Christo profuerunt. In summam est ille sublimitatem exaltatus, quia se sponte deiecit, et morti obiecit: nobis dans exemplum, ut eius vestigia in martyrio sequentes, maiorem gloriam habeamus. At non est maior huius martyris gloria, quam alterius tacentis? Frustra alioqui darentur martyribus certæ palmæ, et peculiaris gloriæ insignia. Frustra essent exhortationes, frustra pœnæ vel præmia. Nonne virginitatem seruans, peculiarem gloriam habebit? Quemadmodum ex singulis actibus malis in damnatis erit peculiaris pœnæ remorsus, ita ex singulis actibus bonis in beatis erit peculiaris gloriæ gaudium. Sed de seruo arbitrio quæstiones moueri solitas nunc proferamus. Prima quæstio. An imaginem Dei, et spiritum Dei, per peccatum penitus perdidit Adam? Quanquam se turpiter ille fœdauit, non est penitus sublata Dei radix. In figura hoc docet Moyses, ad eandem imaginem Adamum genuisse filios, Genes. 5. Deus ipse homicidium prohibet eo quod sit homo imago Dei, Genes. 9. Paulus item docet, in homine esse nunc imaginem Dei. 1. Corin. 11. Cum externam imaginem tu neges, internam adhuc fatearis oportet. Quod in homine sit spiritus innatæ deitatis, iam est sæpius ostensum, et docet ipse Deus. Genes. 2. et 6. Docet Iob. capite. 33. et 34. Docet Dauid psalm. 103. Docet Salomon eccles. 12. Esaias capi. 42. 57. et plerisque aliis locis. Philosophi veri, ac
etiam

etiam theologi, affirmant, esse menti hominis insitam diuinitatem esseque animam Deo *ὁμοούσιον* consubstantialem. Altera quaestio, An sine dono gratiae quid boni possit homo? Donum intellige duplex. Primum est innatum, donum omnibus commune, ex insito Deitatis halitu, qui et gratis augetur. Secundum eximium est regenerationis noui spiritus Christi donum. Sine priore certum est, homines nihil posse. Sine posteriore vero aliqua bene posse. Hoc æquiuoco laborantes Pelagius et Augustinus, se ipsos non intellexerunt. Et inter vos neuter alterum intelligit. Innatus omnibus est Dei spiritus, qui donum est, et ex gratia in singulis augetur. Hic ipse bene in hominibus agit, etiam in Ethnicis: sed ad regnum Christi non perducit, sine noua Christi superueniente gratia. Per innatam deitatem dicimur nos libere agere, Deum in nobis agere, et nos Deo cooperari. Per superuenientem vero fieri omnia sublimius a nobis, et a Deo per nos. Quaestio alia, An Deus præsciuit, antequam destinauit? An hunc prædestinauit, quia pie victurum præuidit et illum reprobauit, quia male victurum præsciuit? Nos illa omnia simul in Deo esse, dicimus, et neutrum esse causam alterius. Videns prædestinat, et prædestinando videt. Iuste agit in omnibus, et gratis beneficia confert. Ex gratia eligit, non propter opera. Hinc vniuoce respondebis ad ea omnia, in quibus seruum tuum arbitrium prædestinatio torquet. Scientia Dei, sicut et voluntas eius, est suapte natura prior actibus nostris: ideo præscientia, prædestinatio, seu præordinatio dicitur. Non ob id futuri necessitatem inducens, quia Deo nihil est futurum. Ipse ita vult, nobis dat, ita libere velle, intra certos limites. Potestas nobis intra certos fines libera per ipsum datur. Tu arguis, nos nihil posse, postquam hoc est ei ita decretum. Iam cum tuo Valla tempus supponis in Deo. Tuo ingenio Deum metiris. Manus tibi ligas, quasi limes ex tempore pendeat.

In qui

In quibusdam fateor, nos nihil posse, in quibus ipse vetat nos posse. Sed possumus, in quibus ipse vult nos posse: et libere agimus, in quibus ipse dat nos libere agere. Deus non permittit nos tentari supra id, quod possumus. 1. Cor. 10. In eo tentationis momento, et synmetria cum ipse dat, vt possimus, non vt adstringamur. Aliud est potestas, aliud necessitas. Vsq̃ue adeo ipse potestatem dat, vt dicat Salomon, in potestate hominis esse, cor præparare, prouer. 16. Dono diuino est in potestate hominis, filium Dei fieri, Io. 1. Liberum nobis esse, ait apostolus, adire sancta, Heb. 10. Tu pecudem existimas Deum, sine aliquo suæ libertatis artificio. An non est creatoris gloria, vt hoc libertatis eius specimen tam pulchrum, in eius creatura aliquantulum reluceat? Cum præsertim in homine deitas ipsa et mens diuina reluceat. Si Adæ corruptionem spectes, et regni Christi sublimitatem, dices, esse omnia in nobis morti obnoxia, et prauitate carnis ita infecta, vt infernus necessario consequatur. Dices, non esse in nobis liberum arbitrium, quod ad regni Christi assequutionem adtinet: quia eo pertingere nequit homo, sine speciali noua gratia. Quanquam Deus ita nos eligat, vt figulus lutum: ex hoc non sequitur, hominem esse totum lutum, aut saxum, et nihil libere agere. Decepit te similitudo, non in omnibus integra. Quanquam in externis actionibus sint plurima necessariis casibus subdita, vltra hominis vires: quanquam sit astrorum vis maxima. Esa. 40. et Iob. 38. ex hoc non sequitur, mentem ipsam nullum habere libere velle, vel nolle. Seruum tu arguis arbitrium, eo quod scribitur, homines in nos nihil posse, donec venerit hora, vt de Christo dicitur, Ioan. 2. 7. et 8. Doctrina nobis datur, ne mundum timeamus, scientes, esse hominum potestati limitem positum, et nos esse Deo charos. Hora in Christo non erat necessitatis, sed commoditatis, cum ipse potestatem haberet. Contra te id aperte docet

docet tuus Augustinus in Ioannem tractatu 8. et 37.
In summa hoc cogitabis. Quædam voluit Deus ex
innata sui halitus virtute esse in hominis potestate,
quædam vero non: quod et in angelis est ita limi-
tatum. Si primum membrum respicias, dices bene,
eos qui in finali iudicio damnabuntur, libere deli-
quisse: iuste puniri, cum fuisset eis aliquid datum,
quo saluari potuissent. Si secundum membrum cæle-
stis vocationis cum Paulo tractes, dices bene, nos
tibi non posse. Non esse currentis Christum cognosce-
re, sed solius Dei misipientis. Meram esse electio-
nem. Solius prædestinationis hoc esse opus, solius
liberalitatis, solius doni gratuiti. Huc tendit tota
Pauli disputatio, cum de vocatione ad Christum lo-
quitur, quæ potestatem hominis excedit. Cum non
possit potestati hominis hoc tribui, prædestinationi me-
rito tribuitur, seu electioni. Ex innato Dei halitu est
omnibus datum, velle bonum in genere: at non velle
Christum, quod est peculiare prædestinationis donum.
Ad indicandam sublimem hanc viam, homini vere
impossibilem, est euangelio declarata certorum præde-
stinatio. Hinc apposite dixit Lucas, eos credidisse,
qui ordinati erant ad vitam æternam. Certus est enim
ordinatus, et Deo præsens numerus, extra quem nemo
vere accedit. Et nihilominus qui accedunt et credunt,
libere credunt artificio diuino. De angelis id ipsum
tu concedis, Fuisse ab æterno certum, prædestinatum,
atque ordinatum bonorum numerum, et nihilominus
libere omnes egisse. Etiam angeli per Dei gratiam
egerunt et libere. Sapientia Dei in hac re longe su-
blimior est, quam tu cogitas. Si Adam ipse in prio-
re innocentia mansisset, cæleste hoc aduenientis Chri-
sti regnum non fuisset assequutus, sine speciali noua gra-
tia. Num ideo seruum haberet arbitrium? Non est per
peccatum Adam conuersus in lapidem, quin in eo man-
ferit imago Dei, et halitus mentis diuinæ. Tu nullum ti-
bi natura insitum esse putas spiritum deitatis, quasi Deus
in na

in nares tuas suo halitu non spirasset. In ipso Cain nequissimo, et in gigantibus, ex insito et ab origine inspirato deitatis halitu, superat libera vis aliqua, et dominium in peccatum, teste Deo: ergo et in te quoque superest, nisi sis tu faxum et truncus.

EPISTOLA VICESIMA TERTIA.

MOsaicam legem in eadem nobis, qua et Iudæis, fore obseruatione, contendis, iniuriam ei et contumeliam fieri dicens, si de eius regula sit quicquam immutatum. Videor hic mihi Mahometum audire, aut pseudoindæum aliquem. Sed cui ais fieri iniuriam? lapidi? literis in saxo deformatis? Si scires, legem illam tendere ad gloriam Christi, non esses tu ita Christo contumeliosus. Deus, inquis, voluit legem illam seruari, et Christus idem voluit cum patre. Deus item per Malachiam legis illius obseruationem in futurum commendat. Respondeo. Voluit Deus legem illam propter transgressionem ad tempus esse positam, donec veniret Christus, et Christus idem voluit. Voluit Deus in iocundo filii aduentu, per nouam resurrectionis eius gloriam nos glorificari, desuper regenerari, reformationem in nobis cælestem et reparationem fieri: et Christus idem voluit, atque præstitit. Per Malachiam reducit Deus populo in memoriam legem Mosaicam, cuius in captiuitate erant pene iam obliti. Commendat solitam legis obseruationem vsque ad aduentum Eliæ, ne putarent ob captiuitatem esse ritum illum abrogatum, vt fuerat septuaginta annis. Eo magis id putabant, quia perierant tunc tabulæ fœderis, et nouum fœdus expectabatur, in quo non dicerent amplius, Arca fœderis, domini, Ier. 3. Ad hanc vulgi suasionem reprimendam, ait Malachias, Mementote legis Moysi, et ecce ego mitto vobis Eliam. Quasi dicat, Eousque legem seruate. Nam Elias veniens, cor vestrum reformabit, vt credatis Iesu Christo, filio dei, liberatori. Durauit igitur lex vsque ad Ioannem baptistam, vt Christus exponit. Tu vero arguis, vt solent Iudæi et Ma-
home-

hometani, Christum non venisse, legem dissolvere, sed implere. Non venit, ut dissolveret. In sua persona primo legem non dissolvit Christus, sed omni modo eam implevit. Hanc in eo dissolutionem calumniabantur pharisæi, et ad hoc ipse respondet. Venit ipse prius implere, quam sequeretur literalis dissolutio. Ex eo quod est spirituale in lege, nihil est dissolutum. In nullo dissolvit legem Christus, iuxta veram legislatoris mentem. Scopus legis Christi est. Data fuit lex ad Christi mysteria præfiguranda, et ut interim rudis populus contineretur in timore Dei, et iustitiæ regula. Legem ille dissolveret, et infringeret, qui contra mentem legis aliter faceret, quam lex illa significabat. Sed qui significata omnia, et promissa, iuxta legis finem, et scopum, ad vnguem complet, ille hoc facit, ut lex illa suo sit munere functa, per seque impleta quiescat. Adimplevit ita, et usque ad minimum apicem omnia consummavit Christus, qui est ipsamet anima legis: tantum habet, ut legem ille dissolveret. At tempore, quo data est lex, non est inventus, ne vnus quidem, qui legem in omnibus sine transgressione servavit, excepto Christo. Ipse omnia legis significata stabilivit, promissa omnia donavit, mysteria omnia ad suum effectum perduxit, miro artificio complevit, et perfectissime omnia præstitit. Nec ipse solum præstitit, sed et nobis per spiritum suum dedit, ut nos ea præstemus, quæ Iudæi non præstabant. Legem ita, quoad eius opera, nos non dissolvimus, sed implevimus, sicut Paulus ait, legem non irritam facimus, sed stabilimus. Rom. 3. Supra scribas et pharisæos abundat iustitia nostra in faciendis operibus legis. Matth. 5. De qua re vide Irenæum, libro quarto, capite vicesimo septimo. Ais tu, Donec cælum et terra transeunt, non præteriturum apicem ex lege, quin omnia facta sint, et quotidie fiant. Respondedo, Omnia per Christum sunt facta, et omnia in nobis semper fiunt, iuxta spiritum, non iuxta literam. Adhuc tu contendis, legis vim esse duntaxat in quibusdam sublatam, in ceremonialibus, non in decalogi præceptis. Ad hoc ego Christum dico esse perfectum libera

liberatorem. Ab omni vinculo, et seruitute legis, nos in libertatem integram Christus vindicauit. Sublata ergo penitus est ipsa vis legis. Vim legis intellige, auctoritatem ligandi, iugum seruitutis, vinculum obligationis, quo necessario adstringimur sub certis pœnis. Quamuis pleraque nos faciamus contenta in lege Moſis, et tamen non facimus ex vi legis: ſed quia ſpiritus nos, quæ ſint facienda, docet. Hoc modo dicimus, decalogi legem eſſe ſublata. Ea lege nos non adſtringi, vt vides in ſabbatho. Aliorum quoque præceptorum vis illa expirauit, ceſſauit: non eſt in eis nos ligandi poteſtas, non conſtringens auctoritas, nec ſolita ibi multandi ratio in nobis locum habet. Ex primo præcepto ibi conſtat, legem eam literæ à Deo datam eſſe duntaxat populo illi, quem eduxit de Aegypto. Lex peccati et mortis, teſte Paulo, erat lex decalogi, a qua nos liberatos eſſe ait Ro. 7. et 8. Liberati, inquit, ſumus a lege illa decalogi, quæ erat lex mortis, in qua detinebamur. Adminiſtrationem mortis et damnationis vocat illam in ſaxo ſcriptam decalogi legem, et aboleri, ſeu finem accipere. 2. Cor. 3. Velatum illis, ait, eſſe cor, qui finem legis, in ſaxo ſcriptæ, non vident. Finem ergo accepit, et abolita eſt decalogi lex, Decalogi lex terribilis erat, occidebat, peccatum augebat, iram operabatur, virtus erat peccati et tranſgreſſionis occaſio, propter carnis noſtræ fragilitatem, ob id ſublata. Cum differentia ſit inter legem, iudicia, et ceremonias, nomine legis poſſiſſime continetur decalogus, vt, lege ſublata, ſit decalogus ſublatus. Chriſtus redemit nos ab execratione, et maledictione legis Galat. 3. Illa autem maledictio et execratio erat virtus legis decalogi, vt ibidem docet. Si maledictus eſt omnis, qui eſt ſub lege decalogi, non manens in omnibus eius præceptis, et vos eſtis ſub lege decalogi: eſtis igitur omnes maledicti. At vero Chriſtiani nec ſub maledictio ſunt, nec ſub lege illa. Nos non acceſſimus ad montem illum tremendum,

in quo

in quo data est decalogi lex. Heb. 12. id est, nos non accepimus legem decalogi. De lege decalogi loquitur Paulus dicens, eam non esse nobis iustis positam. 1. Timoth. 1. De ea, ait, Legem propter transgressiones ad tempus esse datam, donec veniret Christus. Galat. 2. Illamque pædagogiam esse nunc sublatam, Galat. 3. et 4. Apertissimus de hac re est Pauli fermo, Legem mandatorum, in decretis sitam, abrogavit Christus, Ephes. 2. sine lege, absque lege, sublata lege, et iustitia Dei per Christum manifestata. Rom. 3. Absque lege illa decalogi, per quam erat cognitio peccati, ut ibi ait, Chirographum nobis contrarium per decreta Christus deleuit, Colos. 2. Chirographus mandatorum dicitur decalogus, digito Dei scriptus. Chirographus est, quo scripto obligamur ad aliquid faciendum: et contrarius est nobis, quando transgredimur. Tota ergo lex scripta Iudæis erat chirographus, nunc sublatus. Vetustas literæ erat decalogus ipse, nunc, eo sublato, est novitas spiritus. Ro. 7. et 2. Cor. 3. Ex hac autem legis sublatione sequitur mox Pauli obiectio. Rom. 6. Peccare igitur fas est, quia non sumus sub lege? Contra decalogum omnia facere licet, quia decalogus non amplius ligat? Permittitur iam nobis scortari, furari, mentiri, occidere? Absit. Imo multo minus, si regeniti sumus. Spiritus ita docet eos, qui sunt in Christo. Docet ne spiritus Christi, obuiam semper ire operibus carnis, quæ sunt opera peccati: postquam a peccato transiimus ad iustitiam, et a carne transiimus ad spiritum. Hæc est Pauli responsio, propositæ quæstioni admodum consona, nostram libertatem præclare docens, et nos monens, ne eam demus in occasionem carnis. Nota Pauli locum ad Galat. 5. an simus liberati a iugo legis decalogi posterioris, si sumus liberi a iugo legis Abrahæ prioris. In summa Paulus ait, nos non esse sub lege, sed sub gratia. Contraria hæc membra sunt. Qui erant sub lege, non erant sub gratia. Qui sunt sub gratia, non sunt sub lege. Obiicies tu, Per-

S. inde

inde esse, an ex vi legis, an ex doctrina spiritus, quid facias. Imo interest plurimum. Nam spiritus suauiter instruit, vt filios: non torquet, vt seruos. Saxeæ lex rigida est. Spiritus suauiter docet et vires dat, vita nos adiuti, et meliora docti, multo minus peccemus. Quod si peccauerimus, facile remedium habeamus. Eximia sunt hæc liberatoris dona. Prodest nobis hæc per Christum liberatio a iugo illo, et vinculo maledictionis, ne conscientia nostra ita terreantur, vt illorum erant semper expauescunt. Nos si peccamus non mox ad mortem maledicimur, vt illi. Non præsto illis eras remedium, vt nobis: sed a pecorum sanguine expiationem quærere cogeantur, semper in terrore. Nec vera tunc illis erat expiatio, quia semper Adæ maledictio infernalis maneret, a qua nos aduentus Christi liberauit. Nobis vera est expiatio et præsens, si petamus a Christo remitti, si confiteamur peccata nostra, vt ait Ioannes. Imo aliud. Quamdiu in vera propitiatoris fide consistimus, venialia sunt nobis omnia peccata. Venialia, inquam. Sed cauendum, ne vano fidei titulo quis seducatur, fidem viuam a mortua non bene discernens: idquod hodie passim videmus. Illud porro verum est, Nos non posse ad mortem peccare, nisi in nobis extinguatur fides. Nam vera Christi fides stare non potest sine iustitia. Stante filii Dei fide, quoquo modo peccemus, venialiter tantum peccamus, nec iusti esse desinimus. Faciunt nostra peccata, quem alio dici minorem in regno cælorum, sed nunquam sunt ad mortem, persistente fide, tamen ad mortis viam sensim ducant. Exemplum habes in Ephesina Ecclesia, quæ cænæ charitatem reliquerat, non fidem, apoc. 2. Hoc nobis est Christi propitiatoris, donum incomparabile. Ipse est nobis verum propitiatorium, seu coopertorium, nos in omnibus protegens, propter quem nos beati, quorum tecta sunt peccata. Ipse peccata nostra suæ misericordiæ propitiatori tegit, ne nobis imputentur, quandiu viuam fide ei credimus. Ex hac sola fide pote-

rat

rat quis iustificari, etiam ignorans legem Moſis. Sunt qui decalogi vim ſuſtinent, moralia dicentes eſſe leges naturæ perpetuas. Quibus illud obiicimus, Quod ex natura perpetuum eſt, non eſt ex Moſe, cum fuerit ante Moſen. Si hæc naturæ dictamina dicas, non dabis eis vim legis maledicentis, cum neſciretur maledictio talis, niſi per legem, nec ira talis, niſi per legem. Sublata ergo eſt lex, et nos non ſumus ſub lege, nec ſub eius ira. Lex enim iram operatur. Ex legis ira fuit paradifi in Adam perditio, et Iudæorum perditio. Quæ omnia nunc ſine lege reſtituit Chriſtus. Roma. 3. 7. et 8. Iniuriam maximam vos facitis Paulo, ipſius authoritate contra ipſum abutentes. Ad legem Moſis ſervandam ſub maledictione eum vultis teneri, et eam nunquam implere poſſe, vt ex ipſo probatis, dicto capite, Roma. 7. Non intelligitis, Paulum ibi prius ſuſtinere perſonam Ethnicæ, deinde Iudæi, deinde Chriſtiani. Ego, inquit, viuebam ſine lege, et concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum. Poſtea, veniente decalogi lege, reuixit peccatum, et ego mortuus ſum. At nunc per Chriſtum liberatus ſum a lege. Paulus ergo non eſt ſub lege, vt vos fingitis. Imo ſcopus eius eſt, ſublata eſſe legem, vt initio capitis præmittit, legem decalogi ſemper intelligens, et de ea exemplum dans. Ex lege illa, ſicut ex ceremoniis, nobis nunc ſupereſt ſpiritualis ratiocinatio. Supereſt cognitio impleti myſterii, et cognitio peccati: quam etiam cognitionem vberiore in nobis facit nunc ſpiritus ſanctus vniuerſaliter docens, omnia opera carnis eſſe peccata. Non ſolum legis illius ſcriptæ vim et iugum ſuſtulit Chriſtus: ſed et contra legem hanc peccati, quæ eſt membræ noſtris innata, validum dedit mortificationis ſpiritus auxilium. Vos inter has duas leges, legem membrorum innatam, et legem mandatorum ſuperadditam, ibi non diſcernitis: cum Paulus ibi diſcernat, alteram dicens alteri contrariam: alteram ſupereſſe, alteram ſublata eſſe

esse. Pessime ergo vos concluditis, Paulum teneri lege mandatorum, eo quod tenebatur lege membrorum. Ab hac non poterat liberari, nisi per mortem, ab illa liberatus iam erat per Christum. Imo et a morte, quæ sequebatur legem membrorum, se ait iam liberatum per Christum, ut ibi subnectit, ei gratias agens, et nullum in se esse nunc condemnationem, inferens. Ratione legis membrorum dicere de se ipso potuit, Quod nolo, hoc facio, nolens concupiscere concupisco. Omnis illa pugna in ipsomet Paulo scribente locum habebat. Si rationem legis ibi inducas contra legem membrorum in ipso pignantem. Hoc ibi obest, quod ait, in ipso mortem fieri, et ipsum occidi. Nunquam enim post regenerationem est a morte occisus Paulus, quantumvis fecerit aliquando facta ad mortem tendentia. Præstat illa dici in aliorum persona, quam in se transferre, est Paulo peculiare. Item, quia ut de aliis loquutus ad Christianos reuertitur initio capituli octavi, dicens, Nihil ergo nunc damnationis est nobis insitis Christo Iesu, vero libertatis assertori, qui a lege decalogi, quæ erat lex peccati et mortis, nos liberos reddidit. Etenim quod lex illa præstare non poterat, ipse præstitit, legem ipsam nos destruentem tollens. Adde adhuc locum vnum, ut omnino cognoscas, decalogi legem esse nunc sublatam. Fœdus initum cum patribus, quando egrediebantur de Aegypto, sublatum docet Ieremias. ca. 31. Hoc autem fuit fœdus decalogi. Scribitur enim 3. reg. 8. et 2. para. 6. quod in arca erat fœdus initum cum patribus, quando egrediebantur de Aegypto, scilicet decalogus. Hinc dicebatur arca fœderis, tabulæ fœderis, decem verba fœderis. Ita Moses exponit fœdus, id est, decem verba, Deu. 4. nihil amplius ad fœdus adiecit Deus, Deut. 5. De holocaustis, et sacrificiis nihil est tunc præceptum, ut ait idem Ieremias, ca. 7. De solo ergo decalogo loquens, ait, fœdus illud esse sublatum. Non decalogum in tabulis lapideis dabo vobis, inquit Deus, sed in tabulis cordis fidem Christi. Hæc fuit paciscendi formula

mula, Exo. 19. 20. et Deut. 5. Deus promittit, illos fore sibi populum, si ea decem verba faciant. Illi ea verba se facturos recipiunt, et promittunt. Ecce fœdus. Idipsum fœdus est postea repetitum, et ita cum Deo pepigit populus, Deu. 29. Iosue. 24. quarti regum. 23. secundi paralip. 29. 34. et plerisque aliis locis. Hoc decem verborum fœdus, inquit Deus, pepigi cum patribus vestris, dicens, ambulate in præceptis meis, et ero Deus vester. Iere. 7. et 11. Hoc autem fœdus sublatum docet idem Ieremias dicto ca. 31. et apostolus Heb. 8. Idipsum in tabulis scriptum fœdus, quod illi se seruatueros promiserant, sublatum docet Ezechiel, ca. 16. Si ea lege nos nunc in suos recipiat Deus, eo iugo pressi similiter periremus, et essemus sub maledicto. Sublata est ergo lex decalogi. Non sub eo fœdere nos nunc in suos recipit Deus, sed fide sola Iesu Christi, filii dilecti. Testamentum seruitutis vocat Paulus decalogum, in Sinai datum, et nunc sublatum. Gala. 4. Nihil ad perfectum duxit lex illa decalogi, est igitur abrogata, propter inbecillitatem, et inutilitatem, Heb. 7. Quæso te, Nos qui ex gentibus nati sumus, et viuebamus sine lege, quando intrauimus in legem Moysi? An fides, quæ alios liberat, nos ad eam captiuat?

EPISTOLA VICESIMA QVARTA.

CVM superiora de iam sepulta et abrogata lege colligerem, et euangelium in sublimi collocarem, ne tu tempora legis et euangelii sinistre confundas, obiectio alia diluenda sese obtulit. Arctum videtur esse nobis iugum, vt Iudæis cum dicat Christus, esse nobis arctam viam. Præcepta difficiliora, quam fuerint in lege, Christus nobis præscripsit, Matth. 5. Scriptus ergo est ibi nobis chirographus. Impossibilis item; obseruatio vt Iudæis, et transgressio similis. Crucem gestare et omnibus renunciare, nonne grauius sunt et dura? Respondeo, Grauius et dura sunt carni ea, quæ in nobis agit spiritus Christi, car-

sti, carni in omnibus aduersus, et carnem mortificans, Carni non solum est arcta et difficilis hæc via spiritus, sed etiam impossibilis, sicut ait Christus, Quærent intrare, et non poterunt. Cum autem fueris ingressus, spiritus reddit omnia facilia, omnia iocunda, omnia suaui, internum hominem delectantia. Ad hominem rege- nitum, et spiritu innouatum, dirigi oportet verba Chri- sti, vt suaui, et leuia esse dignoscantur. Caro nostra dicit, esse onus durum: ipse contra iugum ait suaue, et onus leue. Præcepta illa, ex Matthæo citata, non sunt legalia præcepta, cum rigida illa ad mortem ma- ledictione et execratione, si quis deficiat. Sed sunt præ- cepta doctrinæ, sunt ad perfectionem vehicula, vt ibi docet Christus, volens nos ita esse perfectos. Libera sunt præcepta, s. si vis perfectus esse, vt Christus expo- nit. Libera sunt præcepta, a quibus deficiens non mox constituitur gehennæ reus, licet minor alio dicatur in regno cælorum, vt ibidem manifeste docet Christus, Qui soluerit, inquit, vnum ex mandatis hisce minimis, mini- mus vocabitur in regno cælorum. Non excludetur foras, sed erit aliis posterior: et adhuc postremus, si fecerit et docuerit. Spiritus Christi nos docet sponte progredi, non secundum carnem, sed secundum spiritum, qui est spiritus liber, nos libere agere docens, et iuuans. Plurimum ergo differt doctrina spiritus a lege rigida. Chirographus non est nobis spiritus, vt in lege, cum nec talis adstrictio nunc supersit, nec fides indigeat scriptura, sed in tabulis cordis impressione. Christus nihil scripto nobis promulgauit, vt est olim data scriptura in tabulis. Antequam apostoli et euangelistæ quicquam scriberent, iam erat lex Christi, lex spiritus, lex fidei, in cordibus credentium. Scripturæ su- peradditæ sunt, ad exhortationem, et recordationem, ne per Antichristum periret tota Christi doctrina: quæ ve- re doctrina dicitur, non lex rigoris. Hinc Paulus ait, Nos a lege esse translatos in formam doctrinæ, Ro. 6. Ita venit Christus facere, et docere, et apostolos misit ad docendum. Cogita differentiam inter formam legis et formam do- ctri-

etrinæ, nosque ab illa esse translatos ad istam. Magna est ignorantia tua, ut hanc differentiam, et translationem nostram intelligere nequeas. Observatio hic non est ita impossibilis, ut ais, imo non solum possibilis, sed aliquando facilis et iocunda, pro tempore videlicet. Iugiter et continuo illa omnia a nobis observari, et nunc est impossibile, et in lege fuit impossibile. Nam cum caro nostra ab ipso satana sit oppressa, sua ad nos mouendum caro habet momenta, semper ad perniciem: sua quoque seorsim spiritus habet momenta, semper ad salutem. Ad momenta quædam per spiritum datur nobis cælestium suauitate teneri, et nihil carnale tunc concupiscere. De cælo nobis aliquando datur, sincere intus diligere, toto cordis affectu, atque ita tunc legem implere. Nam qui diligit, legem impleuit, ut ait Paulus. Hoc passim datur regenitis, cælestia suauiter gustantibus. At fragilis homo non persistit, quin a carne mox abducatur, et transgrediat. Quamquam hæc non proprie dicatur transgressio, quia non est a lege. Vbi enim non est lex, nec transgressio est, teste Paulo. Non recte ergo dicitur, esse hic transgressionem similem, ut in lege, cum nec transgressio sit, nec mortalis. Ut autem melius intelligas, in hac spirituali Christi doctrina non esse legale illud vinculum, nec seruitutis præceptum, sed liberaliter oblatam gratiam, et cæleste donum: perpende totum aduentus Christi euangelicum gaudium et lætitiæ, nuncium, a lege procul distinctum. Cum essemus peccato Adæ, et legis seruitute admodum captiui, venit piissimus Christus, gaudium credentibus annuncians, et liberationem. Docet, ut credamus, et gratis donat. Non lege cogit, sed beneficium offert credere volentibus. Postea quoque qui crediderant, citra legis coactionem docentur cælestia. Docentur regenerari ex aqua et spiritu sancto: alioqui extra regnum manere. Docentur carnem et spiritum mortificare. Docentur diligere, et in cæna Christi communicare, ut cibo cælesti seruent uitam cælestem. Ecce totum euangelium

regni, lætissimum nuncium, cum donis præsentibus. Est ne seruitutis iugum imponere, tam cælestia dona gratis donare?

EPISTOLA VICESIMA QVINTA.

MOsaica lex, vt tu censes, erat lex inertibus faxis data, lex irrationalis, lex impossibilis, tyrannica. Ita miseros et rudes populos, te iudice, in equuleo exercebat tunc Deus, sicut tyrannus Diomedes in lecto ferro, vt equis essent in pabulum. Lex illa perinde tibi sonat, ac si Gebennensibus tuis tyrannus quis dicat, Montes aureos producite, et astra cælo detrahite: alioqui pœnas dabit. Christus dicens, hoc fac, et viues, tibi faxo dixit, In aërem vola, et viues. Et ad legem illam nos vis tu hodie pariter teneri, ad impossibilia omnia adstrictos. Non te seruitutis pudet? tam violentæ tyrannidis? Deum ais in lege hoc solum voluisse, vt impossibilitatis admonerentur. Tu ita fingis. At ego cum propheta dico, eum tunc voluisse mandata sua custodiri, eaque custodientes esse beatos. Fauorem suum facientibus legem præbebat Deus, deficientibus expiationes dans. Illi quoque se mandata facturos, iurabant, vt vides. Nehe. 10. psal. 118. qui est Heb. 119. item 2. para. 15. Deut. 29. et Ezech. 16. Quis tam amens iuret, aut quis Deus iurare faciat rem omnino impossibilem? Deus testatur, præceptorum obseruationem sibi placere, et ea ipsum delectari. An res impossibilis eum delectabat? Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19. Ad possibilitatem antecedentis sequitur possibilitas consequentis. Hæc est regula misericordiæ Dei, Ego sum Deus, faciens misericordiam in mille, iis, qui diligunt me, et præcepta mea seruant. Exo. 20. Et possibilis, et in esse ibi ponitur præceptorum obseruatio, sicut misericordia. Apud Ezechielem, ca. 18. ait Deus, patri impio succedere filium, præcepta facientem, et contra. At tunc Deus ita pronunciat, Hic propter iusti-

iustitiam, quam fecit, viuet: iudicium et iustitiam fecit, custodiuit omnia praecepta mea, et fecit ea. Apertissime docet Moses, praeceptum legis non esse impossibile, nec procul ab homine. Deut. 30. Quod et ad facilitatem legis euangelicæ bene accommodat Paulus, Rom. 10. Innumeri extant loci, qui realem aliquando praeſtitam legis obſervationem teſtantur. Et exempla multorum, qui legem ad tempus obſervauerunt, eo modo, quo tempus illud exigebat. Proprium ſiquidem legis eſt, vt ſit rationabilis, poſſibilis, tempori et moribus accommoda. Obſervationem legis factam ab aliquibus docet Moſes, dicens, Cuſtodierunt eloquium tuum, et foedus tuum obſervauerunt, Deut. 33. Confirmat Malachias. ca. 2. Dauid aliquando fuit ea mente præditus, vt cuſtodierit præcepta domini, et fecerit ea toto corde. 3. reg. 14. pſal. 118. et act. 13. Hæc ſunt verba Dauidis. 2. Sam. 22. et pſal. 17. Retribuet mihi dominus, ſecundum iuſtitiam meam, iuxta puritatem manuum mearum rependet mihi. Quia cuſtodiui vias domini, et non egi impie a Deo meo. Omnia eius inſtituta in conſpectu meo ſunt, et præcepta eius a me non amoueo. Perſecte et integre verſor coram illo, et ſeruo me, ne prauum quid faciam. Rependet itaque mihi dominus iuxta iuſtitiam meam, et iuxta puritatem manuum mearum, coram oculis eius. Idem pſalmo centeſimo, ſe corde perſecto viam immaculatam ſeruare ait. Hinc. 3. reg. 3. teſtimonio Salomonis, et teſtimonio ipſius Dei, præcepta, ſtatuta, et mandata cuſtodiuit Dauid, ambulauitque coram Deo in veritate, iuſtitia et rectitudine. Ad certum tempus hæc refer, et nihil erit ambiguitatis. Præcepta omnia compleuit Iofue, cap. 11. et Iofias 4. reg. 23. Zacharias et Elizabeth ambulabant in omnibus præceptis, et iuſtificationibus domini, Lucæ 1. Idem ſe corde perſecto feciſſe, teſtatur Ezechias. 4. reg. 20. et Eſa. 38. Idem Nehemias, et alii, plerisque locis. Poſſibilis erat via illa iuſtitie legalis, ſi per eam venit Ioannes. Poſſibilis erat, ſi in ea viuebatur. Iuſtitiam

duplicem ait Paulus, iustitiam legis, et iustitiam fidei. Ro. 10. Diuisionis illius, dices tu, alterum membrum nihil esse? In omni diuisione oportet membra pro aliquo accipi. Iustitiam legis ibi definit Paulus, eam aliquid esse censens. Lege caput vltimum libri secundi, de iustitia regni Christi. Illud verum est, quod impossibile homini fuit in legis obseruatione iugiter permanere, quin passim transgrederetur. Vnde monebantur illi misericordiam implorare. Affectus carnis, inquis, inimicitia est aduersus Deum, legi Dei non subditur, nec potest. Rom. 8. Id maxime verum est. At in homine sunt affectus carnis, et affectus spiritus. Non ex toto, sed ex parte erat impossibile legem seruare, vt ait ibi Paulus. Ex parte carnis, transgressionem passim facientis. At non quouis momento transgreditur homo. Ex carnis etiam infirmitate et prauitate, imperfecte tunc præstatur, quod præstatur, cum nondum esset data perfectio Christi. Qua ratione iterum impossibilis erat legi perfectio iustitiæ. Hic fuit Pauli scopus, vt pro nihilo habita illa, nec integra, nec manente iustitia, solam Christi iustitiam spectemus, quæ integra est, perfecta, et permanens, in sola ipsius fide consistens. Vulgaribus Iudæis non fuit tunc datum, hoc cogitare, sicut nobis nunc datur. Sed ad sua pro transgressionibus data remedia confugiebant, ad expiationes varias. Prophetis videntibus datum est, sub vmbra quadam Christum videre, et ad eum præ onere legis suspirare. At non ideo erant a legis iugo et obseruatione tunc exempti. Fiduciam hi habebant in futuro Christo, tametsi vulgus Iudæorum nesciret, an esset odio vel amore dignus. Nos vero certam scimus charitatem Dei in nobis. Plerasque alias differentias Iudaicæ et Christianæ iustitiæ, a me iam alibi expositas, nunc omitto. Si eas tu sublimi spiritu cum Paulo consideres, carnalem illam temporaneam, seu momentaneam legis iustitiam nihili nunc pendes, propter excellentem huius gloriam. Hac ratione Paulus
lus

lus illam, vt reiectamentum elidit, vt hanc extollat. At, inquis, Paulus hanc rem fortius exaggerat. Rom. 3. si locos omnes, quos ibi adducit, diligenter expendas, nihil vltra colliges. Omnes homines ait Paulus effectos inutiles? Fateor. Omnes declinauerunt? Non est, qui intelligat? non est, qui faciat bonum, ne vnus quidem? Fateor. In quouis homine hoc aliquando accidit, vt nec intelligat, nec bonum faciat. Idque magis vigente per legem peccato, et certis impiorum hominum seculis. Omnes erant obnoxii maledictioni, in quam passim transgredientes incidebant. Vera hæc sunt. Nemo, ais, fuit vnquam sine concupiscentia: ergo nemo vnquam illam impleuit. Non concupisces. Vere nemo fuit siue insito concupiscentiæ stimulo: sed non semper actualiter concupiscebatur, nec quouis momento nouum reatum contrahebat. Ergo nec rem alterius, nec vxorem alterius nunc concupisco, et nuper concupiscebam. Omnium mortalium es tu miserrimus, si mentem tuam semper hic dæmon exagitat. Semper est peccatum in carne, at non semper mouet animam. Iurasses tu, non fore in carne tua aliquem concupiscentiæ stimulum? Quid igitur illi iurabant? Peccatum, quod, vt ait Paulus operabatur in nobis omnem concupiscentiam, est diabolus ipse. Non iurabant ipsi, eum in ipsis non fore, sed securaturos, ne pelliceret. Hoc, Deo iuuante, passim præstabant. Faciam, inquit, vt in præceptis meis ambuletis, ea custodiat et faciat. Aliquid est, quod Paulus ait, Eos qui sunt Christi, carnem crucifixisse cum affectibus et concupiscentiis, Galat. 5. Vnde constat, te non esse Christi, qui concupiscentiam posse crucifigi, negas. Nemo, ais, vnquam impleuit præceptum illud, de diligendo Deo, ex toto corde, tota anima, et totis viribus. Vt tu nunc cum Luthero tuo somnias, nemo tunc impleuit. At non ita Deus exigebat, sed iuxta vires cuique datas. Mentiti sunt tibi Dauid et alii, qui aiunt, se toto corde Deum exquisiuisse, desiderasse, et mandata fecisse. Si nec tunc dabatur toto corde dili-

diligere, nec nunc datur toto corde credere, nunquam eris tu iustificatus, qui es tam rigidus exactor. Qui non diligit, manet in morte: ergo vos in morte manetis, qui dilectionem esse possibilem, negatis. At vero liberalissimus Deus, omnia donans, si eum oraueris, et fidem veram, et charitatem veram aliquando donabit: Perfectam charitatem, ut ait Ioannes. Si omnia sunt possiblem credenti, et tu credis, possibilis tibi est dilectio, et possibilis impletio præcepti. Augustinum tu soles audire, cuius hæc sunt verba, lib. I. retractat. cap. 15. et lib. de duabus animabus contra Manichæos. Peccati reum quem teneri, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis, et insaniam est. Ibidem ait, non dici peccatum, nisi a quo liberum est abstinere: liberum quoque esse ait, præceptum implere, iuvante Deo. Adde, quod præceptum de dilectione illa, non erat in fœdere decalogi, nec est a Deo ita datum, quando data est lex. Sed a Mose in Deuteronomio est postea exhortatione quadam adiunctum. Imo ait, Circumcidit dominus cor tuum, ut diligas eum ex toto corde, Deut. 30. Quibus verbis possibilem esse docet dilectionem illam, efficiente in te Deo, ut ita diligas. Magnum mandatum dicitur hoc a Christo, quia proxime accedit ad euangelicam perfectionem. Non tamen erat mandatum decalogi, nec maledicebat eum, qui non integre perficiebat. Si tu singula bene discernas, videbis plane, nihil incommodum, nihil inconsonum in lege Dei fuisse præceptum. Omnia erant commoda viribus, facultatibusque consona, ad sanctam viam inducentia. Imo et iudicialia præcepta, populo illi rebeli erant ita consona, ut nec Phoronæus, nec Lycurgus, nec Solon, nec Pompilius, talia potuisset tunc excogitare. Si de ceremoniarum immensis ambagibus conqueraris, rudem illum Aegyptiacum populum cogita, idololatriæ fuisse deditum: a qua ut diuenteretur, est iustissime aliis sublimioribus occupatus. Rabbi Moses Aegyptius, mysteriorum Christi præfigurationem ibi non cogitans

ecogitans, ceremonialia illa sacrificia ait non fuisse populo data, nisi ut retraheretur a sacrificiis idolorum. (Cuius signum esse ait, quod non fuerunt populo data, nisi postquam ad idololatriam declinavit, vitulum confilando et adorando. Nos dialogo primo multiplicem rationem adduximus, quare dæmon suffumigationes et sanguines appetat. Atque ideo, velut antidotum, Deo sanguinem feruari, atque suffitus, ut sibi debitum suauem odorem, quem antea dæmon ex immundis quibusdam sibi suauem composuerat. Desine igitur, Caluine, legem illam in nos torquere, aut de eius obseruatione tam violenter agere, etiamsi cum Iudæo tibi esset agendum, ut tui misereatur Deus, qui in lege est passim Iudæorum misertus. Amen.

EPISTOLA VICESIMA SEXTA.

DE lege Moſis aliud ſupereſt inquirendum, ne quis iudicialia illa nobis obtrudat. Quæramus ergo. Si iudicia illa a Deo ipſo prolata dirimendis litibus, erat tam conſona, quare nos ea non ſeruamus, ut in iudiciis noſtris utamur? Reſpondeo, Duro populo prolatum eſt durum iudicium, quod Chriſti elementia tollit. Tolli autem vides in muliere adultera, Ioan. 8. Iudicialium illorum obligatio ceſſat, per liberatorem ſublata. Pœnarum acerbitas illa indicabat, immenſam eſſe offenſam diuinæ maiestatis immenſæ. Sicut ſcelus Adæ fuit immenſum, ita fuit pœna exitialis mortis immenſa. Nos vero ſcimus, immenſi ſcleris fuiſſe immenſam compenſationem, mortem precioſiſſimam filii Dei. Ob id nos, cum offendimus, non tam rigide occidimur, obiecta pro nobis ipſa morte Chriſti, immenſo redemptionis precio. Eius nidore vbique delinquitus pater, vbique iram remittit, vbi nos ei hoc proponimus, fide propitiatoris viuæ. Id quod Iudæis non datur. Non ſeruili pœnarum metu nos

terre-

terremur, vt illi: quia perfecta est charitas Dei in nobis, quæ foras excludit timorem. Vt figuralis erat imperfectus populus, ita eorum iudicia erant aut figuralia, aut populi imperfectionem significantia. In ceremoniis quoque esse alterius rei figuram, et propriam eorum imperfectionem significari, docet apostolus. Heb. 9. Non potest quis dicere, statuta veteri populo similia, esse nobis obseruanda, cum non sit nunc status populi similis. An licebit nunc cognato occisi interficere homicidam? Olim id licebat, Num. 35. An iudicabimus nunc de vxoribus superinductis, de ancillis, de zelotypia, de occisio inuento, de fugitiuis? Deleta est tota illa Mosis politia, vt non liceat nobis ea, quæ destructa sunt, reædificare, teste Paulo. Lex puero aut seruo data, cessat, vbi ex seruo fit liber, aut a puero transit in virum, a pædagogi, et domini prioris exemptus potestate. Si iudicium illud infernalis mortis, in Adam prolatum, est per Christum in credentibus sublatum, multo magis tolluntur illa Mosis ad mortem iudicia, ad tempus correctionis rigore quodam prolata. Hic vides, quanta erga nos sit Christi clementia. Nihil ille suis non condonat, et condonari a nobis vult iudicialium rigorem. Si cui sit quicquam furto sublatum, non concedam accipere quadruplum, aut quintuplum, vt lex habet rigoris: sed suo esse contentum, ne cum aliena iactura locupletetur, et ne alteri faciat, quod sibi fieri nolet. Ita Christus breui compendio nobis conclusit iudicialia omnia legis, vt nos ipsi nostri iudices simus, facientes aliis, vt nobis fieri vellemus. Ad eundem modum, vt refert Irenæus lib. 3. ca. 12. in concilio Ierosolimitano scripserunt gentibus apostoli, Iudaicis omiſſis id obseruandum, ne aliis faciat, quid sibi fieri nolent. Hinc Paulus ait, etiam minimos in ecclesia esse ad lites inter Christianos

Christianos dirimendas idoneos, absque ethnicis aut Mo-
saicis iudiciis. Daturus est Deus, ut veram ecclesiam
alicubi tandem videamus. Ibi semper erit rectum iu-
dicium, ubi erit spiritus domini. Ex iudiciis illis
legis, rationes aliquæ colliguntur, ut de parentum
veneratione, de eo, qui habet uxorem patris, de vir-
gine violata, de damno dato, et aliis, quorum ratio
similem in nobis locum habet.

EPISTOLA VICESIMA SEPTIMA.

INCIDIT iam quæstio alia, quæ plerosque hodie
torquet, an homini Christiano liceat magistratum ge-
rere, regem esse, et occidere. Indigna enim videntur
homine Christiano, quæ ex peccato sunt orta. Quid igi-
tur? Destruemus omnia, quæ ex peccato sunt? Qui
hoc ita credit, destruat seipsum, cum corpus suum sit
corpus peccati. Destruat cælum, quod peccato est
pollutum. Destruat terram, quæ ob peccatum profert
spinas. Ex peccato fuit urbium ædificatio, et fuit opus
Cain. Si Adam non peccasset, nec ciuitatibus, nec do-
mibus indigeremus, quæ nos protegerent ab iniuriis
cæli, ab hostibus, et latronibus. Destruemus igitur ci-
uitates et domos? Absit. Ex iniuria oritur ius, quod
non est peccatum, licet ex peccati occasione nascatur.
Ex peccato filiorum Israel fuit petere regem: et nihilo-
minus sine peccato quis ad regnum vocabitur. Imo
peccatum esset, quem vocatum ad regni aut magistra-
tus administrationem, eam recusare, si ea via sit no-
men Christi promoturus. Peccatum etiam subditis es-
set, nolle regi obedire. Non sunt illi extra ecclesiam,
cum inter ecclesiæ membra numerat Paulus potestates
et gubernatores. 1. Cor. 12. Reges vult ad agnitio-
nem veritatis venire, et gladium gestare. Quandiu
durat mundus, velimus nolimus, cogimur ordinem
mundi seruare. Iustitiæ autem administratione ma-
xime seruatur ordo mundi. Optimus ille ordo est,
quæ intus docet spiritus, qui et reluctantem carnem
cohibere docet. Sed nunquid occidere? Veritas
dei est, ut superior docet epistola, rigidum illud ad
mortem

mortem iudicium esse per Christum remissum, ubi spes est correctionis. Hinc adulteræ dixit, Vade, et posthac ne peccaueris. Et alibi adiecit, Ne quid deterius tibi contingat. Sicuti iudex ille supremus nos corrigit, et monet, antequam occidat: ita et alii iudices facere debent. Illud verum est, quod correctione non expectata, Ananiam et Saphiram, occidit Petrus, ibi morituros prædicens, in criminis detestationem, et aliorum exemplum. Aut certe, quia spiritus sanctus tunc maxime vicens, quem spreuerant, docebat esse incorrigibiles, in malitia obstinatos. Hoc crimen est morte simpliciter dignum, et apud Deum, et apud homines. In aliis autem criminibus, ubi spiritus sanctus speciale quid non docet, ibi non est inueterata malitia aut obstinatio certa non apparet, aut atrocitas magna, correctionem per alias castigationes sperare potius debemus, quam mortem inferre. Inter correctiones exilium laudamus, Christo ita probatum, ut excommunicatio probatur in ecclesia. Schismata et hæreses, ita initio puniebantur durante apostolicæ traditionis vestigio. Qui extra fidei negotium sunt facinorosi, iure omnium gentium puniuntur, quod etiam est naturale ius. Hoc Christus non negavit, sicut hæreditatem diuidere recusans, non negavit, esse, qui hæreditates diuiderent. Sunt hæc præter euangelii ministerium, sicut artificia varia, non contra euangelium. Præter euangelium est, militari manu bona tua et tuorum, ac vitam ipsam, contra grassatorem defendere. Iudicem tu agis, cum desit alius Iudex. Milites ad Christum præparans Ioannes, non mox iussit a militia discedere, sed certa ratione se continere. Gladium eis gestare licet, sicut licet potestati, cui seruiunt, ad iustitiam, et vindictam maiorum.

EPISTOLA VICESIMA
OCTAVA.

NVllibi es tu vere assequutus, quæ in confessionibus et confirmationibus fuerint episcoporum et presbyterorum partes. Aliquando iidem simul erant episcopi et presbyteri, quibus pariter incumbibat administrationis onus. Aliquando ob insignem donorum Dei in aliquo excellentiam, ab aliis senioribus deferebatur ei episcopi honor, et ecclesiæ consensu in eum potius recidebat cura et speculatio. Ecclesiam intellige conventum omnium cum Christo cænantium. Verum in eo cœtu est christianæ vnitatis symbolum. Ibi est Christus in medio eorum. Siue ergo plures sint episcopi, siue vnus episcopus, speculator dicitur, et superintendens. Sed cauendum, ne his prætextibus episcopus dominium exerceat. Præsentem ecclesiæ oportet episcopum esse, vt speculetur et superinspiciat, nisi forte ad aliud fidei negotium aliquando mittatur. Episcopi, velut pastoris, munus est, sibi commissas oues cognoscere, visitare, et in doctrina fidei confirmare, ne qua lues suboriatur. Ita Paulus suos visitans confirmabat, alios constituens episcopos, vbi ipse alio proficiscebatur. Confirmationem igitur, orationem, et manuum episcopalem seu presbyteralem impositionem, baptizatis conferre, certum est: idque semel aut pluries, vt res exigere videbitur. Insigni spiritus Christi efficacia manus baptizatis imponebant apostoli: et tunc spiritum sanctum illi accipiebant, cum linguæ et prophetiæ donis, ad ecclesiæ ædificationem, et augmentum. Postea iterum ad ministeria mittendis manus imponebant, idque sæpius, cum ad varia ministeria sæpius mittebantur. Multi presbyteri simul manus imponebant, acto. 13. sicut apostoli simul manus imposuerunt ministris, ad cænæ ministerium electis, acto. 6. Hinc dicebatur impositio manuum presbyterii, id est, congregationis seniorum. 1. Timo. 4. Similis super ægros erat impositio manuum, ab vno vel multis facta: super infantes item, et peccata confitentes. Episcopi et aliorum ministrorum munus est, attendere, ne quis ad dominicam cænā accedat

dat indignus. Imo confirmationem doctrinæ fidei et baptismi episcopus exigit, præsertim a parum notis. Curat episcopus, ab aliis senioribus adiutus, ut qui contra alium aliquid habent, peccata alterutrum confitentes, reconcilientur, antequam ad mensam accedant. Hæc est confessio peccatorum, ante sacram synaxim. Imo quia huic negotio adhibebantur presbyteri, ubi quidam in alio erat scrupulus, vni aut pluribus presbyteris se ostendebat, consilium et opem petebat, confitebatur peccata sua. Illi resipiscere hominem docentes, et in fide Christi firmantes, pro eo orabant, ut ei peccata illa remitterentur. Si veri erant Christi ministri, quam plurimum homini peccanti, et infirmo prodesse poterat ipsorum doctrina et oratio. Galat. 6. Iacobi 5. et 1. Ioan. 5. Peccata illi remittebant, quibus dixit Christus, Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis. Ministri Christi potestatem habent reconciliandi homines Deo, et in persona Christi condonant, quasi eius legati, ut tota ad Corinthios epistola secunda Paulus docet, Ioannes item et Iacobus locis iam citatis. Hanc veris ecclesiæ ministris perpetuam inesse, ligandi et soluendi facultatem, docet ipse Christus Matth. 18. ut quæcunque rem duo ex illis orent, impetrent. Potestatem insuper habent exercendæ vindictæ aduersus incredulos, ut eos excommunicando, satanæ et morti tradant. Hanc autem potestatem omnem exercent virtute spiritus, monendo et orando. Sed an satisfactionem illi docebant? Docebant vere, faciendos esse fructus, dignos poenitentia: furtum restituendum si sit facultas. Docebant, ieiunio et oratione cohiberi carnis lasciuia, carnem mortificari, et spiritum viuificari. Eleemosynis peccatum redimi, Deum pro singulis rependere, et remittenti remittere. Quemadmodum corde, ore, et opere Deum offendimus, ita poenitentes corde dolemus, ore confitemur, et opere velut satisfacimus. Quemadmodum opera mala spiritum fidei extinguunt, ita bona eum viuificant. Spiritum fidei peccatis læsum velut restituimus, veniam obtinentes fide ipsa

ipfa, quam talia opera aliquo modo reficiunt. Atque ita ad peccati commissi, et pœnæ ipsius remissionem, aliquid faciunt opera, ipsi fidei adiuncta. Regenitis et fide iustificatis, adhuc superest hæc peccatorum quotidiana remissio. Peccata hic intellige, a gratia Christi, et eius regeneratione, non penitus excludentia, quæ non sunt penitus ad mortem. Papistæ vocant mortalia peccata, quæ in lege erant mortalia, ex transgressionis maledictione. A quouis eorum aiunt, penitus interim gratiam, quam ipsi fingunt esse qualitatem quandam. Ita ipsi leges suas, cum fictitiis qualitatibus observant. Christianis vero peccata, etiam grauissima, non sunt ad mortem, persistente fide: sed ad mortem sensim ducunt, fidem extinguendo, quia sunt opera carnis, spiritui fidei contraria. Hæc est igitur confessionis summa, vt in Christiani hominis arbitrio posita sit, ad extirpandam conscientiam malam. Seipsum debet homo probare, antequam ad cœnam accedat, et seniores, in Christi doctrina exercitatos, in consilium adhibere, si de re quapiam dubitat. Alioqui mors etiam corporalis, et pœna alia temporalis imminet indigne accedenti. 1. Cor. 11. a quibus omnibus liberat hæc confessio. Item a morte perpetua liberat hæc confessio, et ab errore viæ conuersio, teste Iacobo. Ita tu lucrifacis fratrem tuum, reducens ouem, quæ errabat, Matth. 18. et ad mortem ruebat, apo. 3. et Lucæ 15. ad mortem et interitum tendebat fides hominis, in ea hæsitacione constituti, et conscientia mala ita oppressi. Hæc perspicua sunt intelligenti, qua ratione homo tendat ad mortem et in eo moriatur fides, vt superius iam exposui. Sicut qui ad baptismum veniunt, confitentes pœnitent: ita et qui post baptismum a mala conscientia opprimuntur. Prima pœnitentia et confessio hominem a morte ducit ad vitam: secunda morientem hominem viuum seruat a morte secundâ. Vtraque confessio fit Deo, et aliquando homini, vbi quid ab eo petendum videtur. Est itaque homini facta confessio

hæc propria eorum, qui atroci crimine deterrentur, in fide sunt infirmi, aut inter quos est offensio aliqua.

EPISTOLA VICESIMA NONA.

QVia parabolam Christus adducit de hominibus, ad varias diei horas vocatis, et æquam denarii mercedem accipientibus: mox tu concludis, nullum fore gloriæ discrimen, nec fidei, nec operum. Quid si Christus ibi ætatum discrimen in operibus non faciens, indicat nobis, senem vocatum æquari iuveni vocato? aut nuper vocatum æquari iam olim vocato? Nec fidei, nec operum varietas ibi inducitur, sed temporis. Quomodo igitur hinc tibi mox persuades, opera nihil ad gloriam augendam prodesse. Fidem non ita suscipere magis et minus, ut gloriam augere possit? Denique nec fides, nec opera, tibi quicquam profunt, cum ita quis saluetur sine illis, sicut cum illis, solo genealogiæ fato, ut de tuo infante contendis. Iustificatum eum esse dicis, antequam credat, et vere saluatum, esto sine fide moriatur. Atque ita sequentem Christi saluatoris fidem salutem non efficere. Falsum est igitur, quod scribitur, Qui non credit filio Dei, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum: et qui credit, transit a morte ad vitam. An non fides iustificat impium? Fides Christi vere facit ex iniusto iustum, ex impio pium, ex mortuo vivum, Ioan. 5. Rom. 4. 5. et Colos. 2. Fides Christi vere liberat eum, qui antea erat servus peccati et mortis, Ioan. 8. et Rom. 6. Ex filio iræ facit filium Dei, Ephes. 2. De tenebris transfert ad lucem, et de potestate satanæ ad Deum, acto. 26. Colos. 1. et 1. Pe. 2. Vere ergo iniustus quis erat, antequam crederet, impius erat, mortuus in tenebris, et sub potestate satanæ. Euangelium totum ignorat, qui hanc efficaciam non tribuit fidei Christi. Fidem vero, sicut et reliqua, suscipere magis et minus, augeri et minui, notius est, quam ut hic debeat demonstrari. Superest
latius

latius exponenda proposita Christi parabola, quæ multa complectitur. Cum in parabolis regni cælorum, et præsens, et futurum regnum Christus spectet, pares a Christo fieri nouissimos primis, dicimus in vnius gratiæ et vnius fidei iustificationem. Neminem vult Christus, in hoc regno cælorum, dici alio maiorem, sed esse regali, et sacerdotali dignitate pares, omnes reges et sacerdotes, æque preciosa fide donatos. Denarius vnus nobis omnibus exhibitus est, ipsemet Christus. Sicut olim dabatur omnibus æqua mannæ mensura, ita nunc Christus, quod ad sui substantiam attinget, æque nobis datur, licet eo non æque fruamur. In futuro quoque denarius erit vita illa æterna, vbi amplius alio nemo viuit, vbi viuendi non erit diuersa meta. Denarius erit ipsemet Deus, omnibus exhibitus, licet eo non omnes æque fruamur. Indicat insuper Christus, fieri iuste, vt vna huius hora æquetur toti diei illius, in mercedis gloriæ mensura. Vnam horam laborauit Stephanus, quæ multis aliorum diebus æquatur. Placuit Deo, eum non amplius manere, et ei dare gloriam, sicut aliis, qui multos annos laborarunt. Ita respondet pater familias, Volo huic dare, sicut tibi. Cogitabis ergo, Caluine, ibi non agi de fidei, aut operum varia qualitate, sed tantum agi de temporis diuturnitate. Retundit ibi Christus Iudæorum supercilium, qui ob id, quod tamdiu in lege laborarunt, videbantur aliis nuper vocatis largius remunerandi. Imo nouissimi vocati accipiunt primi mercedem. Nam sui laboris mercedem non acceperunt prophetæ, donec venerunt apostoli, qui in labores eorum introierunt. Primi nos accipimus, qui hic viuentes accipimus.

EPISTOLA TRICESIMA.

PAres Christianis facis vulgares Iudæos, quia scribit Paulus, eos omnes eandem escam spirituales comedis, omnes eundem potum spirituales vidisse, et omnes in mari baptiza-

tos fuisse. 1. Cor. 10. Pares illi omnes sunt vobis, æque carnalibus, quibus pariter ignotum est aduentus Christi cæleste beneficium: qui in cæna nihil manducatis, nisi tropos: et qui baptismum esse facitis, vt ceremoniam Leuiticam, signum rei, quæ non est. Patresne regeneritis erant illi, qui omnes erant improbi? Qui omnes in deserto ob impietatem suam perierunt, exceptis solum duobus? Controuersiam hanc præclare dirimit Christus Ioan. 6. dicens, Non sicut manducauerunt patres vestri. Ergo illi non manducauerunt, sicut nos manducamus. Illi manducantes moriebantur, nos manducantes iugiter viuimus. Immortali cibo nutriti, immortalem vitam nos viuimus, si perseueremus. Noua est et cælestis hæc vita immortalis, quam Christus nobis induxit. Pro terrestribus ipse intulit cælestia, Ioan. 3. et 6. Fœdere nouo viam nouam, Heb. 10. omnia noua. 2. Cor. 5. Adde, quod eodem capite, 1. Cor. 10. vocat Paulus Israëlem carnalem, ad differentiam spiritualis: ergo differentia est. Ea omnia, ait, in figura illis contigisse: ergo non erat ibi veritas: ergo differentia est inter figuram et figuratum. Præterea apostolus ipse aperte docet, eos omnes eandem inter se escam comedisse, tam bonos, quam malos, non eandem nobiscum, nec hoc ad rem facit. Docet Paulus, ex paritate cibi non fuisse inter eos parem electionem, sicut nec inter nos. Doctrinam nobis ibi dat, ne ob cibum illum insolescamus, et reprobi interim efficiamur, vt præcedenti capite concluderat. Ad quam rem pertinenter adducit exemplum ex veteri figura. Sicut illi omnes, inquit, pari cibo vescentes non pariter Deo placuerunt, ita nobis est cauendum. Sicut illi, qui figuram gerebant nostri baptismi et cænæ, ob sequuta scelera perierunt: ita nobis est cauendum, ne similibus flagitiis pereamus, postquam baptizati fuerimus, et Christum eundem manducauerimus. Potest ne postea perire, qui Christum semel manducauit? Non potest, si perseueret. Alioqui potest fieri re-

ri reprobus, vt ibi docet Paulus: et qui stat, cadere potest, vb ibidem subnectit. Potest homo semel in Christo regeneratus postea relabi Heb. 6. ab arbore excindi. Ro. 11. ad mortem peccare 1. Ioan. 5. Quamquam nemo nisi vere regeneratus, carnem Christi manducet, manducare tamen quis iuste potest, et postea lapsus perire. Perire diximus eos, qui per opera carnis, et superuenientem infidelitatem extinguunt spiritum fidei. Ideo per carni contrarias spiritus actiones, nos oportet in charitate firmari, orationibus et ieiuniis spiritu fidei foueri, et carne mortificata magis viuificari. Ita Petrus ait, nos per facta hæc et alia similia, quæ ipse narrat, debere operam dare, vt vocationem, et electionem nostram firmam efficiamus. 2. Pet. 1. Periclitabitur omnino, qui hæc intermiserit, et fient posteriora deteriora primis, si relabatur. Relapsus hic liberum hominem ostendit, qui ob id acrius punitur. Relapsum hunc docet Christus, dicens, palmitem ipsi insitum, si fructum non ferat, tolli. Palmes, qui viridis erat, et in Christo manebat, postea sublatum arefcit Ioan. 15. Candelabrum, quod lucebat, extinguitur, apoc. 2. et 3. Per fidem Christi exit immundus spiritus ab homine, et postea reuertitur. Matth. 12. Effugit quis inquinamenta mundi per fidem seruatoris Iesu Christi, et rursus eis inuolutus superatur. 2. Pet. 2. Non debet tibi absolum videri, quod particeps Christi factus aliquis, postea damnetur: etiam si in eius nomine prophetarit, et virtutes ediderit. Matth. 7. Sicut ab initio sunt omnes facti participes eiusdem innati spiritus Dei, et nihilominus plurimi damnantur: ita postea sunt plerique facti participes eiusdem spiritus Christi, et nihilominus damnantur. Saul et Salomon ad tempus fuerunt Deo probati, et bono spiritu imbuti: quem postea male seruantes, iustitiam perdiderunt. Iustitiam olim perdi-

et restitui docet Ezechiel, cap. 18. et 33. Quis neget, iustitiam posse perdi, qui videt eam in Adamo perditam? Vsque ad mortem ideo exigitur perseuerantia et fidelitas, Matth. 10. 24. et apoc. 2. Alioqui, quod habet quis, tolletur ab eo. Sed ad Israëlitas reuertor. Eos tu non eandem inter se, sed eandem nobiscum escam manducasse, ex Paulo contendis: vt hoc vno telo omnia prosternas, et cælum cum terra confundas. Sed cogita melius, et Paulum aliter intelliges. Quoquo modo tu accipias, responsio facilis est. Sicut figura dicitur idem cum re, quam figurat, ita cibus ille est idem cum isto: sicut Christus dicitur Salomon, et Salomon Christus. Eadem ratione dicitur cibus ille spiritualis, ob spiritualis mysterii allegoriam. Lex ipsa Paulo dicitur spiritualis, quia spiritu Dei prolata, contra carnem ipsam internum spiritus motum et affectum exigebat. Ro. 7. Alia item ratione, ob contentum mysterium, erant ceremoniæ spirituales et manna cibus spiritualis. Si ex historia elicias allegoriam, vt elicit Paulus, quicquid est in lege, ea consideratione dicetur spirituale, quia est figura rei spiritualis. Exinde vero pessime tu concludis, eos esse nobis æquales: imo gloriæ aduentus Christi plurimum detrahis. Dabit tibi dominus, vt horum omnium intellectum bonum accipias, spiritu ipso veritatis ductus, per Iesum Christum, et Deum patrem. Amen.

SIGNA SEXAGINTA REGNI

Antichristi, et reuelatio eius, iam nunc præsens.

PRimum signum, Orbis perturbatio, et consummata tribulatio. Matth. 24. et Lucae 21. Antichristi tempus hinc colligere docet Christus.

Secundum signum, Papa Christo contraria docet, Christo contraria facit, et regnum eius occupat: ergo Antichristus est. Ab euidencia facti sumitur argumentum.

Tertium signum, Vsque ad regnum Papatus semper creuit
Chri-

Christianismus, et a regno Papatus semper decreuit. Digitus est Dei, et punitio insignis.

Quartum signum, Sub eo regno nemo cognouit, hominem esse ex patre Deo genitum. Antichristi regnum est, non cognoscere Christum, ut ait Ioannes.

Quintum signum, In exercitu Romanorum contra terrenam Ierusalem figurauit Christus exercitum Romanum Antichristi, qui ecclesiam Dei, caelestem ciuitatem, et regnum Christi desolaret: quemadmodum in exercitu Antiochi idem figurauit Daniel.

Sextum signum, Tanta est tyrannis Antiochi nostri, ut nemo audeat vera loqui, nemo librum Dei legere, sed strenue adulari, ne comburatur.

Septimum signum, Quod inducendi sub Antichristo essent in errorem quasi etiam electi. Quotus quisque est, qui Papatum agnoscendo non errarit?

Octauum signum, Prius debere in gentes diuulgari euangelium, ait Christus, quam veniret Antichristus, Marci. 13. Ergo mox venturum indicauit. Mox futurum aiunt Paulus et Ioannes.

Nonum signum, Prius, ait Christus, tradendos apostolos et discipulos ante reges et praesides, quam veniret Antichristus. Ergo statim venturum significauit.

Decimum signum, In diebus illis, inquit, post vestram afflictionem, sol Christus obscurabitur, ecclesia non dabit splendorem suum, stellae caeli decident. Ecce dies Antichristi, et ecclesiae abolitum splendorem, occisis apostolis, et discipulis.

Vndecimum signum, Destrueta iam terrena Ierusalem, haec verba obscuracionis repetit Ioannes, ad Antichristum referens, et dicens, tempus prope esse. Stellae caeli, veri gloriae Christi praekonae, iam ceciderunt. Et exercitus caeli, angeli ipsi, admodum sunt commoti.

Duodec. signum, Ex multis legis figuris, et prophetis scriptis ostenditur, post illud piorum hominum seculum illico fore Antichristi, et sacrificulorum eius apostasiam. Ut post duodecim fontes, et septuaginta palmas, post viros illos, qui viderunt ma-

gnalia Dei, sequuta est mox generatio praua.

Decimum tertium signum, Abominatio desolationis stans in loco sancto. Animaduerte primo, quare dixit locum sanctum. Nec terrena Ierusalem, nec Iudaicum eius templum, iam reprobatum, erat locus sanctus, venientibus Romanis, sicut erat vere ecclesia Christi sancta, quando est ab Antichristo occupata.

Decimum quartum signum, Abominatio nunquam talis fuit, nunquam tanta abominabilium idolorum pollutio. Idolum sacris literis dicitur abominatio, res Deo maxime exosa, et abominabilis.

Decimum quintum signum, Desolatio nunquam talis fuit, spiritualium omnium gratiarum desolatio, verorum spiritus ministeriorum desolatio, et in laruas alias conuersio. Sicut Antiochi exercitus dictus est abominatio desolationis, abominabili via desolans figuralem Moisis cultum: ita exercitus Antichristi multo abominabilius desolauit verum christi cultum.

Decimum sextum signum, Ex ferreo Romanorum imperio oriturum erat cornu Antichristi, quod alia eiusdem imperii cornua deprimeret, Dani. 7.

Decimum septimum signum, Tempus regni annorum mille ducentorum sexaginta, in quo pulchre conueniunt Daniel et Ioannes. Quamuis post Christum mox cepit Antichristi mysterium: vere tamen emicuit, est stabilitum est regnum, tempore Syluestri et Constantini. Quo tempore est mox oecumenico concilio a nobis ereptus filius Dei, fugata ecclesia, et abominationes omnes legibus decretæ. Hinc transierunt tempus et tempora et dimidium temporis, anni mille ducenti sexaginta.

Decimum octauum signum, Sicut Christus ad tres annos cum dimidio docuit, et ad cælestia ædificauit: ita Papa ad tres annos cum dimidio cælestem doctrinam Christi destruxit.

Decimum nonum signum, Ad tres annos cum dimidio esse claudendum cælum, ex Elia signum est manifestum.

Vicesimum signum, Mensium quadraginta duorum est eadem desolatio, et ecclesiæ conculcatio, apoc. 11. 12. et 13. Vicefi-

Vicesimum primum signum, Ad tres dies cum dimidio iacuerunt cadauera Mosis et Eliæ. apoc. 11. Legis et prophetarum habent Papiſtæ literam, vt cadauer, et ſpiritum non intelligunt, litera Iudaizantes.

Vicesimum ſecundum ſignum, Quod in ſolitudinem et deſerta loca fugiendum fuit hoc toto tempore, vt poſt Chriſtum ait Ioannes. Nullibi hætenus licuit, nec licet adhuc, eccleſiam veram congregare. Si qui ſunt bene ſentientes, ſeorſim per deſerta et ſolitarii latitant, ob maximam perſequutionis tyrannidem.

Vicesimum tertium ſignum, Partus eccleſiæ, eſt poſt partum fuga. Cum primum peperit eccleſia, et in cordibus credentium Chriſtum generauit, fugata eſt, apoc. 12.

Vicesimum quartum ſignum, Raptus filii Dei, cum eccleſiæ fuga. Ab eo tempore non amplius fuit Chriſtus nobiſcum, vt ait ibi Ioannes.

Vicesimum quintum ſignum, Quod draco coronatam beſtiam in Papali ſede collocauit, apoc. 13.

Vicesimum ſextum ſignum, Tres ſpiritus blaſphemix, quod trinitariorum illuſiones fecerunt, apoc. 16.

Vicesimum ſeptimum ſignum, Homo peccator in templo Dei ſedens, quaſi Deus in terris. 2. Theſſ. 2.

Vicesimum octauum ſignum, Myſterium iniquitatis huius Papæ, hominis peccatoris, quod iam tunc incipiebat, vt ait ibi Paulus. Quia ab apoſtolorum tempore, et ex ipſa apoſtolorum perſona, hanc authoritatem ſibi ſumit, magno iniquitatis myſterio.

Vicesimum nouum ſignum, Quod ſpiritu oris Chriſti ſit conficiendus hic homo peccator, id eſt, per ſpirituales Chriſti miniſtros, per quos aget ſpiritus oris Chriſti veritatem illuſtrans.

Triceſimum ſignum, Michaëlis et angelorum pugna, Dani. 12. et apoc. 12. In tempore illo regni Antichriſti, ait Daniel, poſt annos mille ducentos ſexaginta regni eius, conſurget Michaël

Michaël stans pro filiis populi Dei, et erit tempus maximæ angustiae. Vidit Ioannes futuram post annos mille ducentos sexaginta, hanc caelestem pugnam. Caelestia et terrestria contra draconem, et Antichristum iam mouentur. Sanctos altissimos hic pugnatueros ait Daniel.

Tricesimum primum signum, Quod cornu illud Romanum destruendum loqueretur grandia, ut legimus apud eundem Danielem.

Tricesimum secundum, Quod mutaret tempora et leges ex parte Dei. Ibidem.

Tricesimum tertium, Quod terram sibi suisque diuideret, et insigne palatium aedificaret in loco sancto, ibidem.

Tricesimum quartum, Quod Deum patrum suorum non intelligeret, et per sua sophismata veritatem prosterneret. Ibidem.

Tricesimum quintum, Quod per ipsum sit ablata iugis oblatio, continua Christi communicatio, teste eodem Daniele.

Tricesimum sextum, Quod in caelestibus, terrestribus, et infernalibus potestatem habeat, clauis putei abyssi, infernalisque daemonis potestatem, apoc. 9. et 13.

Tricesimum septimum signum, Ecce hic, ecce illic. Hic indulgentia, illic remissio. Hic locus et ille sanctificatur. Ecce in deserto est sacellum sanctum, in penetralibus est cadauer.

Tricesimum octauum signum, Veræ iustitiæ tandem eruditio, dicto ca. Dan. 12. Nunc videmus homines intelligere, quæ sit illa Christi fides iustificans, quæ nunquam est in baptismo cognita.

Tricesimum nonum signum, Qui iustitiam hanc docent, sunt lucernæ, ut splendor firmamenti. Ibidem.

Quadragesimum signum, Nunc vere docentur ad vitam æternam expurgare homines, qui antea dormiebant in puluere terræ, ut ibidem ait Daniel. Præfens nunc datur vita æterna, quæ Antichristi seculo nesciebatur.

Quadragesimum primum signum, Roma declaratur esse Babylon, ut multis est iam ostensum.

Quadragesimum secundum signum, Quod in Babylone sedet

fedet coronata bestia, purpurata, et auro plena, apoc. 17.

Quadragesimum tertium, Quod in ea est regnum super reges terræ. Ibidem.

Quadragesimum quartum, Quod eius veneficiis et scortationibus errant gentes. apoc. 18.

Quadragesimum quintum, Quod mercatores terræ vndique ad eam nauigant. Ibidem.

Quadragesimum sextum, Quod ibi est mercatura et negociatio, animarum hominum, et aliarum omnium rerum desiderabilium. Ibidem.

Quadragesimum septimum, Quod defectio maxima fuit, quando cœpit Bestiæ regnum. Tunc defecit ecclesia, defecit imperium a Roma. Tunc fuit defectio a vera fide Christi, subortis tribus diis. 2. Thess. 2.

Quadragesimum octauum signum, Adoratio bestię et imaginum, quam quotidie videmus apo. 13. Pastor et idolum dicitur apud Zachariam: quia ipse adoratur, et idola nos adorare facit.

Quadragesimum nonum signum. Quod pastor ille vanitatis habet duos gladios, quibus corpus et animam occidit

Quinquagesimum signum, Quod ipsius adoratores pseudoprophetæ habent duo cornua, duas potestates, temporalem et spiritualem.

Quinquagesimum primum signum, Quod plurimum ipsi laborant in defendendo Bestię authoritatem, ignem anathematum facientes de cælo in terram descendere, vt homines concrementur, qui Bestiam adorare nolunt. Ibidem.

Quinquagesimum secundum signum, susceptio characteris in fronte et manibus, vt liceat in ecclesia negociari. Ita Papa suos consecrat, et ita prædixit Ioannes dicto cap. 13.

Quinquagesimum tertium signum, Ceremoniarum confictarum seruitus immensa, plusquam Iudaica, sacri-lega furta.

Quinquagesimum quartum signum, Multiplicatio vitiorum. Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas. Antichristi signum

sti signum hoc dedit Christus. Et Paulus ait, fore voluptatam amantes, auaros, fastuosos, habentes formam pietatis, quorum Deus venter est.

Quinquagesimum quintum signum, Impositura hypocritarum prohibentium matrimonium, et iubentium abstinere a cibis. 1. Timot. 4.

Quinquagesimum sextum, Quod discrimen religiosum faciunt inter diem et diem, inter vestimentum et vestimentum, inter capillum et rasuram. Religiosas *ἐβελθεῖς* vocat Paulus.

Quinquagesimum septimum, Doctrinæ hominum, et traditiones humanæ in maximo precio. Acrius punitur traditionem transgrediens, quam qui verbum Dei.

Quinquagesimum octauum signum, Contemptus sanæ doctrinæ. Tace, aiunt, ne loquaris in nomine domini. Tempus Antichristi describitur, quo sanam doctrinam non sustinebunt. 2. Timot. 4.

Quinquagesimum nonum signum, Clausio libri, Tot sigillis clausus est liber Dei, vt non sit, qui intelligat. Sed agnus qui occisus est, eum nunc incipit aperire, teste Ioanne.

Sexagesimum, vltimum, et omnium deterrimum signum. Bestia vincit sanctos et occidit eos, Dani. 7, et apoc. 13. Imo sanguine sanctorum inebriatur, apo. 17. et 18. Sed audiet Deus clamorem animarum apoc. 6. et 7.

Non solum sexaginta, sed plusquam sexcenta alia signa colliges, ex Ieroboam, Achab, Nabuchodonosor, Antiocho, et aliis impiis: ex bestiis illis in Babylone futuris, ex Chananæorum, Aegyptiorum, ac reliquorum omnium idolis, et abominationibus, vsque ad Sodomiam, et Gigantes, quæ omnia sunt in Antichristo completa.

CONCLUSIO.

Quisquis vere credit, Papam esse Antichristum, vere quoque credet, Papisticam trinitatem, Pædobaptismum, et alia Papatus sacramenta, esse doctrinas dæmoniorum. O Christe Iesu, fili Dei, liberator clementissime, qui toties populum ab angustiis liberaisti, libera nos miseros ab hac Babylonica Antichristi captiuitate, ab hypocrisi eius, tyrannide, et idololatria. Amen.

De myste-

DE MYSTERIO TRINITATIS ET VETERVM

disciplina, ad Philippum Melan-
chthonem, et eius col-
legas,

APOLOGIA.

DVplicis falsi me reum incusas, Philippe, id primo falsum existimas, quod summa veritas præscribit, Esse hominem ex Deo genitum, filium verum, in quo pater subsistit, Irenæum insuper ac reliquos seniores, me falso adducere criminari, cum eos idipsum sensisse contendo. In verbo, non realem distinctionem, sed Christum apud Deum. Dogma tam certissimum, quam sacratissimum, non ab Irenæo pendet, non ab humanis oraculis, sed diuinis omnibus sincere sumptis, absque alio sophismate. Irenæum tamen hic reuerebor, et tibi hostem esse, in omnibus ostendam. Ignatium item, Polycarpum, Iustinum, Clementem, ac etiam Tertullianum, quanquam hic procul dilabatur. Degenerare iam puram doctrinam, simul et pietatem, in aliis quoque dogmatibus, inimico vndique miscente zizania, vndique licet palam conspiciere. In ipsa Romana ecclesia, omnis nequitiae princeps, id abunde testantur ambitiones, schismata, et reliqua figmenta, a malo spiritu semper inducta, Iudaicisque legibus iam tunc decreta. Vnde illi tempore Victoris, a quo spiritu tam sæui conflictus et anathemata ecclesiæ Romanæ, aduersus eximios Asiæ et Africæ episcopos, ob solam ceremoniam picturam, de falsissima illa paschatis obseruatione? Seditiose degeneratum est, sicut et olim

olim, cum primum exiuius de Aegypto, cum primum transiuius duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmas, cum primum defuerunt primi duces. Ita post apostolos et discipulos fuisse ecclesiam defensoribus veritatis destitutam, et vacuum, habetur in historia ecclesiastica, libro tertio, cap. tricesimo secundo. Id propheticè nouit Paulus, post ipsius discessum ingressuros confestim lupos, et Antichristum in templo Dei mox collocandum, acto. 20. et 2. Thess. 2. Euidētissima sexaginta signa defectionis ecclesiæ, et veritatis, post apostolicam prædicationem, cito perituræ, ex Christo ipso, et eius discipulis ego satis indicaui. Mira semper fuit corpori, et spiritui hominum imperandi Romana lasciuiā, tametsi non illico ecclesiis aliis omnibus imperarit. Non est veritas omnino fugata, donec cœpit bestię regnum, in quo penitus vicerunt Antichristi illusiones, tres illi dæmoniorum spiritus, quos in eo regno præualituros, docet Ioannis reuelatio. Miro draconis artificio meretrix magna Babylon, vt orbis prouincias olim occupabat, ita inter dissipatas ecclesias, mysterium iniquitatis agebat, totius terræ primatum ambiens, vt in templo Dei quasi Deus federet Antichristus. Quod per tempus et tempora, et dimidium temporis obtinuit. Impleta vero sunt omnia. Reuelante Deo, iam cognoscuntur illius imposturæ, quas sensim tunc componebat, vt ita præceptis auctis, augeretur sensim Papalis authoritas. Vetus historia si communes sensus habeamus, de augmento huius Romani cornu pulchre nos monet: et quid de diuino Christi mysterio senserint primi discipuli. Vtinam prioris seculi presbyterorum extarent scripta omnia: quanquam non opus sit, cum diuina abunde sufficiant, quibus est potius credendum. Credamus tamen senioribus, quos et in hac causā tu citas. Si eis tu crederes, Philippe, et apostolicam traditionem olfaceres, non tam turpiter aberrares, nedum in hac re, sed et in plerisque aliis, vt ad te nunc reuersus intelliges. Quanquam in seruo arbitrio non tantum tu

infa

infantias, quantum Lutherus et Calvinus, in reliquis tamen fere par est infania. Vnius Dei dissectio, veræ fidei Christi abnegatio, bonorum operum destructio, legis cum euangelio, et Iudæi cum Christiano confusio. Opera bona nihil ad peccati cuiusvis remissionem nec Ethnico, nec Iudæo, nec Christiano, vnquam profuisse, omnes affirmatis. Legis fictitios vsus, et impossibiles, pro vestra libidine componitis. In veteris et noui testamenti doctrina meras fabulas adducitis. Ignoratis, Christum venisse, esse ad gloriam regni resuscitatum, et resurrectionis eius gloriam aliquid noui contulisse. Tale vultis esse nobis euangelium, quale fuit olim Iudæis et Gentibus, vt nihil amplius nunc habeat Christianus, quam olim Iudæus. In precibus vestris Deum temere in ius vocatis, vt promissa seruet, quasi ex debito vobis obligatum, et quasi non amplius nobis, quam Iudæis ille præstiterit. Non intelligitis, aliam fuisse olim implendarum, aliam nunc esse implendarum promissionum rationem: vt orationes nostræ esse nunc debeant gratiarum actiones cum petitionibus, quas docet Christus. Non agnoscitis, in veteri scriptura esse alium internum spiritus, alium externum literæ sensum: quia nescitis, esse scriptum librum intus et extra, apoc. 5. et Ezech. 2. Nescitis, esse verbum Dei gladium vtrinque scindentem, Heb. 4. Nescitis in thesauro illo esse noua et vetera, Matth. 13. Quare Paulus discernit vetustatem literæ a nouitate spiritus? Vetustas prius fuit, et nouitas nunc est. An non in legis litera, et nuda historia, erant typi, figuræ, et vmbre futurorum per Christum spiritualium mysteriorum? Quando ait Deus, Ero ei in patrem, an non ad literam intelligitur ibi Salomon? Quando ait Moses, Prophetam mei similem suscitabit vos Deus: an non talis propheta in lege fuit Iosue, et quis eius successor? Si veritas est in Christo, iam sequitur interpretatio duplex, iuxta literam et spiritum, figuram et veritatem. Vester error locis aliis innumeris est a me abunde improbat. Improbatur passim ab Irenæo et veteribus omnibus, qui semper docent, fuisse ibi vmbas, et præfigura-

V.

tiones

tiones futurorum. Vetustatem literæ fuisse decalogum ipsum, nunc eo sublato, esse nouitatem spiritus, quod aperte docet Paulus, vos confunditis. Iniuriam maximam facitis Apostolo, ipsius autoritate contra ipsum abutentes. Ad legem Mosis seruandam eum vultis teneri, et eam nunquam implere posse. De qua re scripsi satis ad Caluinum, epistola vicesima tertia, et aliis sequentibus. Non vos pudet, doctrinam Christi, quæ tota est spiritualis, æque vocare literam occidentem, sicut legem Mosis. Magna est ignorantia vestra, ne dicam impudentia, quod pseudoiudaismo quodam, totam aduentus Christi nouam gratiam conculcatis. Magna insuper impudentia tua, quod omnes omnium temporum ecclesias pro te citas, et probas, cum tibi omnes contradicant. Veteris Christi ecclesiæ disciplinam iactas, vt iactant Lutherus et Caluinus, qui docent, esse seruum arbitrium, et bona opera nihil efficere: cum nemo veterum vnquam exstiterit, qui hoc dogma non damnarit. Exceptis Magis et Manichæis. Post Christi aduentum solos legimus Magos, qui seruum arbitrium docuerint, et operum mercedem negarint, vt isti negant, magico spiritu fascinati. Ex Ignatio, Clemente, Irenæo, et aliis, vt postea citabo, simoniana secta declarabitur, qualiter Simon magus liberum negauit arbitrium, et bona opera nihil prodesse, dixit. Vobiscum ille conuenit in damnandis operibus, inuisibilibus Deorum illusionibus, et plerisque aliis. Rhetor ille erat, sophista, eloquens, elegantia sua vincere certans. In id quoque vos omnes incumbitis solo dictionis lenocinio saturati. At spiritus sanctus nunquam per talia organa loquutus est. Nunquam est vsus sermonibus, artificis fuco vario politis, cum simplicem amet, et vulgarem sermonem. Paulus quoque docet, ob eloquentiam sermonis inaniri vim prædicationis Christi. Rhetorica ergo affectata et sophistica vestra, imminutionem veritatis arguit, et falsitatis varias adducit illecebras. Idque magis, quia est animis vestris tam
euidens

euidens illusio, et tam multiplex, in tam impossibili monstro. Delusi estis, et penitus ebrii, qui filium inuisibilem, realiter distinctum, vobis Deum pingitis. Iudæos et Turcas ais non recte Deum inuocare, quia non inuocant, vt nobis apparuit. At tibi qualis est cerberi apparitio? Quale monstrum tu inuocas? Quid in Deo tu vides? An non propter hominem, et in homine, est substantialis apparitio diuina? Ex aliis insuper vos esse ebrios, aperte colligitur. Ebrius est Caluinus, qui hominem nihil agere volentem monet, vt agat, nil libere agentem docet, vt libere agat. Ebrius es tu, qui dilectionem Dei veram commendas, eam ais nusquam esse, quasi de rebus imaginariis præcepta dederit Deus. Si nusquam est vera charitas, nusquam est vera fides: imaginaria est ergo iustificatio vestra. At vero sicut fidem Deus dat, ita charitatem, et opera bona aliquando dat. Legem ita seruare fuit aliqua ratione possibile. Iussit Deus, vt pacto iurarent homines, se facturos ea, quæ nunquam essent possibilis? Iurabant illi, se legem seruatu-
 Deut. 29. Psalm. 118. 2. para. 15. Ezech. 16. et Nehe. 10. Quis tam infans iuraret, aut quis Deus iurare faceret rem omnino impossibilem? Illusi plane, et ebrii vos estis in ea re, et in plerisque aliis, et omnium maxime in trinitate vestra, in eo idioma-
 tum sophismate, quod vos eo concludit, vt fateamini, spiritum sanctum in mulo posse mori, vt est inuisibilis vester filius in homine mortuus.

Circa alios inuisibilium personarum syllogismos, ipsamque personæ descriptionem, quanta est ebrietas? In illa inimaginabilium rerum triade, Personam definis esse inuisibilem substantiam, et incommunicabilem. Fictio est, et vocis abusus sine scripturis. Ea tamen fictione tu victor fanaticum me clamas, et sycophantam, qui ex omnium linguarum proprietatibus, et ex omnibus scripturarum locis, in

quibus ea vox ponitur, tam in rationali natura, quam eius actionibus. Personam dico esse faciem, vultum, seu rem ipsam apparentem. Ita apud omnes Hebræos Græcos et Latinos accipitur persona, in quo etiam significato prisce personam in Deo dixerunt. Malus dæmon vos docuit, ita vocibus diuinis, et Deo ipso semper abuti. Vestrum erat, qui grammatici estis, et propriam dicendi rationem profiteamini, propriis vti vocabulorum significatis. Ultra hunc personarum abusum, manifestus et alius abusus in effigie, forma, et imagine. Abusus item in proprio significato vocis λογος. Abusus in sapientiæ vocabulo. Abusus in suppositali cumulatione. Abusus in homusio. Abusus in idiomatum communicatione. Abusus in visione Dei. Abusus in generandi et nascendi vocabulo. Abusus denique in ipso filii vocabulo. Omnia trinitariorum vestrorum vocabula sine scripturis sunt, illusiones dæmonum sunt, et in abusum detorta. Omitto hic alios tuos in sacramentis vocum abusus, et rhetorculas tuas ad tuos pios blanditias. In pædobaptismi gratia, iustificatione, et adoptione, quantus abusus? In inferni vocabulo, quantus abusus? quanta ignorantia? Nec vitam, nec mortem, nec infernum intelligitis, nec veram Christi liberationem. Quid dicam de regno cælorum, de regno Christi immortalis, quod intra nos est? Quam insulse a vobis deluditur? Quam ridicula est in vobis interni noui hominis cognitio. Hoc vnum cogita, Philippe, Me nullas vocum nouitates inducere, me nullo sophismate vti, me nullis scripturæ vocibus abuti, vt vos facitis. Nullum scripturæ locum ego detorqueo, nulli violentiam facio. Omnia mihi sincere, simpliciter et plane procedunt. Hoc tibi, si micam intellectus haberes, magnum esset veritatis argumentum. Offendit vos, quod contra consuetudinem ego vestram loquor. Quasi non sit mihi maior habenda cura, vt cum sacris scripturis loquar. Adeo estis praua consuetudine fascinati, vt non intelligatis, esse vos Deo odibiles sophistas. Sophisticam tuam personarum definitionem paululum expendamus, quales inuisibiles personas in Deo tu cogites.

Ego

Ego te nec fanaticum, nec fycophantam, sed cordatum et pitum ita compello. Si secunda illa tua inuisibilis persona erat incommunicabilis, quo modo est homini communicata? An non spiritus sanctus est Christo substantialiter communicatus? An non apud tuos maiores prima illa communicatur secundæ, et secunda tertiæ? Contra te dialecticum, a definito ad definitionem arguo, seu a specie ad genus. Si personæ definitio est per substantiam, et tres sunt personæ, tres sunt substantiæ, et tria entia, incommunicabilia, inuisibilia. Tergeminus ergo est Deus, et triusfios. Essentiæ separatæ sunt, quæ sibi non communicat. Es ne tu hic fasciatus, mente captus, et fanaticus?

Sed ne recriminationibus subterfugere videar, falsæ tuæ accusationi in omnibus satisfaciam, ab Ignatio sumens exordium? De Polycarpo, et Iustino, non est quod contendamus, cum scripta eorum, quæ extant, communia ferre documenta tradant, neutrius causam satis instruentia. Imo meam ipsi potius instruunt, simpliciter docentes, vnum esse Deum patrem Iesu Christi. Quod dictum vos, perditissimi sophistæ, in alienum sensum cauillo quodam detorquetis: quasi Centurio, Samaritana mulier, Martha, Nathanaël, et reliqui omnes, sancta rusticitate ita credentes, insaniam vestram tunc cogitarint. Imo nemo mortalium inuisibiles vestras chimæras tunc nouerat, nec Christus ipse. Hoc tu mihi concedes, potuisse tunc quem fiducia huius visi Messiae iustificari, absque sublimi illa incorporearum trium rerum metaphysica. Ioannis concionem de verbo non audierat Samaritana, nec centurio, nec alii, et tamen credebant, hunc hominem esse filium Dei, quod tu ita non credis. Sine tropo non potes tu mihi concedere, hunc hominem esse filium Dei. Nihil apud vos profertur, quod non sit sophismate inuolutum. Si hunc dicas esse filium, sophisma vobis est. Si Deum dicas esse patrem Iesu Christi, sophisma est. Si filium Dei dicas esse hominem, sophisma est. Si filium dicas ex Maria esse genitum, sophisma est. Si filium dicas esse mortuum, sophisma est. Hic vobis non est vere filius, sed in eo delitescit. Filius Dei ita vobis est homo, sic-

ut spiritus sanctus est mulus. Si ita vobis ludere licet, sacris vocibus abuti, et Deo monstri quidlibet imponere, licebit dicere, lucem esse tenebras. Si hunc, quem videmus, liceat dicere, non esse filium, licebit dicere, niuem non esse albam: sicut vobis visio lucis non est visio, sed fallax illusio.

Ignatius aperte vbique, sine tropo, et sine sophismate, vnum docet esse Deum patrem altissimum, et Iesum Christum vnigenitum filium eius. Quæ de cælestibus nouerat, exponens in epistola ad Trallianos, ait, se cognouisse angelorum ordines, regnum domini Iesu Christi, et super omnia hæc Dei in comparabilitatem. Arguit passim discipulos Simonis magi, qui Christum dicebant esse corpus phantasticum, sine vera carne, et ipsummet esse patrem, filium et spiritum sanctum. Arguit et Ebionitas, qui Christum hominem alienabant a patre. Christus Ignatio est minister patris, et est hoc ipsum, quod Deus. Verbum erat vere hypostasis et persona, quæ suscepit verum corpus, vt sit totum vnus filius, natus ex Deo et virgine. Ipse est filius vere mortuus, descendens solus ad inferos, ascendens cum multitudine sanctorum, resuscitante eum patre. Filium Dei docet Ignatius esse corpus illud, quod peperit Maria, Deo in eo habitante. In epistola ad Magnesios, hunc Iesum Christum ait esse ante secula genitum a patre. Hunc ipsum esse verbum substantiale, substantiam genitam, in omnibus bene placentem suo genitori. Substantiam quoque ipsam verbi olim creatam cum ipso dicemus. Sequitur ibi Christi prædicatio, cum ait Ignatius, Christus et illis, qui longe, et illis, qui prope erant, vnum solum verum Deum patrem suum annunciauit. In epistola ad Tarsenses, improbans magorum de ipso Christo varias opiniones, ait, ipsum non esse illum, qui est super omnia Deus, sed filium ipsius: Deo patri suo subiectum futurum. Qui et de Deo dixit, quod est Deus suus, et pater suus; vt Deus hominis, ita pater hominis. Et nihilominus hic Iesus erat

ſus erat verbum in Deo, faciens omnia iuſſione patris. Creatum verbum ait, creatam ſapientiam. Creatam verbum dicitur, non ſolum in perſona Chriſti, ſed et in ipſo Deo erat creatum, conditum et fabricatum. Ad eundem modum et genitum verbum dicimus, perſonaliter: ſicut erat perſonaliter formatum et figuratum. Conſtitutio illa in Deo, et ſubſtantialis exhibitio fuit in Deo huius hominis generatio. Ideo ibi in Deo generatio dicitur, non reali Dei motu, aut in ſeipſum actione, aut paſſiva ſuſſlatione. Omnis earum motionum terminus eſt ipſa creatura, et in Deo erat ipſa creaturæ conſtitutio. Si legas ſextam, et ſeptimam ad Caluinum epiſtolas, te plane docebunt, qualiter ſine motione aliqua fuerit vere in Deo verbum filius, quoad eſſentiam formæ. Sicut in rebus his inferioribus vides, eſſe formam et materiam de ſubſtantia rei: ita in Chriſto erat formalis ſubſtantia filii, deinde materialis ſubſtantia filii, totum vnus ſubſtantialis filius. Sicut in aliis generationibus, ſemen formale, forma ipſa, ſeu formatrix facultas, ſibi in vtero aſſingit, et aſſuit materiale corpus: ita verbum Dei, formatrix facultas, ſuſcepit corpus, eum ſibi adſuens, et formans. Hinc Ignatio ad Trallianos, dicitur verbum induens, formans, et faciens ſibi corpus ex virgine. Abſonum vos iudicatis, quod ego formatricem feminis vim verbo illi tribuam, cum abiectiores alias hominum paſſiones ei vbique tribuatis. Summa hæc eſt, quod ſicut verbum illud nunc ſubſtantialiter conformatur homini, ita ab æterno ſubſtantialiter habet formam hominis: in qua dicitur ab æterno creatum, genitum, formatum, conditum, fabricatum, et expreſſum, ſine aliqua in Deo motione vel agitatione. Talis erat formæ et perſonæ illius ad Chriſtum reſpectus, vt ſicut Chriſtus nunc agit iuſſione patris, ita ibi verbum ageret iuſſione patris, eius perſonam gerente angelo.

Ita Deo creanti aderat sapientiæ verbum, sicut ei nunc adest Christus, etiam cum angelos crearet.

At genitum, inquis, erat illud sapientiæ verbum. Genitum erat, et erat ipsemet Deus. Eodem modo, quo nunc est homo genitus, erat ibi verbum genitum. Genitum erat personaliter. Genita erat imago, genita idea. Deus erat ab æterno genitor speciei, vt ait liber sapientiæ. Forma huius hominis erat ab æterno genita in Deo, sine reali distinctione. Generatio erat in Deo ipsa generationis cogitatio, simul et exhibitio. Generatio erat constitutio generationis, quæ ad generationem tendebat, et vrbis ædificatio, quæ ad ædificationem, sicut sapientiæ domus cum suis columnis erat ab æterno ædificata. Omnia erant in deo, princeps olim Christus, per quem omnia. Genitum erat verbum, genitus filius dei homo, qui postea veniens in mundum, carnem accepit, et induit, secundum potentiam diuinitatis suæ.

Sequitur deinceps epistola ad Philippenes, in qua Ignatius ait, Vnus est Deus pater Christi, Vnus est dominus noster Iesus Christus, filius Dei vnigenitus, Vnus est spiritus sanctus, quem operabatur in Mose, prophetis et apostolis. Non operabatur Deus spiritum sanctum, vt meram creaturam, sed erat modus deitatis, quem in mentibus nostris Deus operabatur, et Christus operabatur. Non quidem Deus seipsum agit, aut in seipsum realiter operatur : sed modo creaturæ in creatura operans, creaturam agit. Operatus est vere Christus in nobis peculiare spiritus ministerium ad sui regni æconomiam. Operatus est in nobis consolatorem internum, externe recedente magistro. Nec refert, si dicas, quod Christus spiritum sanctum operatur in nobis, aut quod spiritus ipse sanctus operatur in nobis. Addit postea, Præcepit Christus baptizare in nomine patris, et filii, et spiritus sancti : non in vnum trinomium, vt aiunt, qui solum phantasma Christum dicunt : nec in tres vnus eiusdemque honoris. Ecce negat, esse tres similes res incorporeas, vnus eiusdemque honoris : sed filium amplius differre, qui sit substantia-

liter

liter homo factus. In epistola ad Philadelphienses, contra magos ita inuehitur: Si quis Deum legis et prophetarum vnum prædicauerit, Christum autem negat esse filium Dei, mendax est. Si quis confitetur Christum Iesum dominum, negat autem, Deum legis et prophetarum patrem esse Christi, hic cum Simone mago in veritate non stat. Si quis Iesum Christum dicit hominem purum, dominum, et non Deum, non sapientiam, non verbum, hic pauper est sensu, sicut Ebion. Ecce totum Ignatio trinitatis mysterium, sine vestris somniis, sine realitatibus illis, vnitatem Dei lacerantibus, et sine sophisticis idiomatum communicationibus.

Clemens nunc audiat, cuius scriptis esse quædam supperaddita, docet Epiphanius, ac etiam Rufinus. In prima item Clementis adolescentia est liber ille conscriptus. Veritatis tamen prædicatio integra passim in eo legitur. Prima est ibi Romæ habita concio Barnabæ, simpliciter et sine aliquo fuco, prædicantis hominem filium Dei, quem in Iudæa viderat, et audierat euangelizantem regnum cælorum. Quid tu ibi Romanus crederes. Secunda est ibi Petri concio, illum declarans, qui dicitur verus propheta, qui solus animas hominum ita illuminat, ut oculis suis viam salutis euidenter inspiciant. Nec posse quem de rebus diuinis cognoscere, nisi ab isto vero propheta didicerit. Atque ideo inprimis requiri fidem ipsius veri prophetæ, ut ei deinde omnia credas. Ecce sine trinis illusionibus vestris, solam hanc veri prophetæ fidem esse ad salutem etiam Ethnicis. Aperte et dilucide exponit ibi Petrus, quis iste est verus propheta, cum ob oculos ponens. Fidem hanc veri prophetæ, ita simpliciter enunciatam pleno spiritu hausit Clemens, ad salutem et iustificationem. Non plene, inquires, erat tunc instructus Clemens. Potuit ergo iustificari, sine illarum rerum instructione. Nec apostoli, nec discipuli erant plene instructi, etiam accepto spiritu sancto, ut sequuta de Cornelio declarat visio, Petrum instruens. Iustificabantur tamen illi fide sola illius, quem diuinitate plenum videbant et credebant. Hinc ait ibi Petrus, Omnis, qui credens prophetæ huic, baptizatur in

nomine ipsius, saluus erit, immortalis, et incorruptibilis a baptismo permanens in regno Christi: quo qui carent, inferni pœnas non effugient. Aureum est Petri dictum, nec a te, nec a tuis vnquam intellectum. Deinde Iacobus, vt ibi citatur, continuos dies docebat, hunc Iesum esse Christum, et id credentes baptizabat. Idipsum alii apostoli faciebant. Zachæus de hac fide Iesu Christi simpliciter instituit Nicetam, et Aquilam, eos baptizans. Quis ergo aliam fidem requirat? Vniuersam apostolorum prædicationem erga Iudæos et Ethnicos ponit Irenæus lib. 3. cap. 5. et 12. Iudæis, inquit, prædicabant Iesum illum, qui ab ipsis crucifixus est, esse filium Dei iudicem viuorum, et mortuorum. Ethnicis prædicabant vnum esse Deum, qui fecit omnia, et huius filium esse Iesum, saluatorem credentium? Quare tui euangelistæ ita non prædicant? Hanc esse iustificantem fidem, quare non docent? Si te nunc conueniat Scythia, aut ex insulis nouis Indus quispiam, quid credendum ei dices, vt iustificetur? Quam fidem ei prædicabis, vt baptizetur? An non hæc est vera de Christo fides, quam ab Eunuchis exigit Philippus? Et a Centurione Petrus? Quam Paulus vbique docuit? Quam Deus ipse de cælo prædicauit? Credere Iesum Christum esse filium Dei, idem tibi est, quod credere Carthaginem esse euersam a Romanis. Quasi hoc credere sit res ita impertinens, vt Carthago. An non credere Iesum Christum esse filium Dei, est credere prædicationi ipsius dei patris? Obiicis nobis, dæmones credere, Iesum esse filium Dei. Dæmones id credunt verius, quam tu, qui tricipitem cerberum inuisibilem credis. Dæmones credendo formidant, et exclusi sunt a salutis fiducia. Inter mortales vero salutis compotes, sicut nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, teste Paulo: ita nemo potest credere, Iesum esse filium Dei, nisi in spiritu sancto. Et tu hoc non credis, nec intelligis. Vtinam verus in te esset hic historicus assensus fortiter intentus.

Sunt

Sunt quædam alia sublimiora, quæ didicit Clemens, Esse duas æternas voluntates in Deo, verbum et spiritum. Citat ipse verba hæc, quasi a Petro ita prolata. Erat semper, et est, et erit illud, a quo prima voluntas genita sempiternitate constat, et ex prima voluntate iterum voluntas: post hæc mundus. Ego plane dictum hoc recipio, ad verum hunc prophetam Iesum semper referens, de quo ibi Petrus agit. Ab æterno fuit expressa iam in Deo, voluntas generandi hunc Iesum filium, verum prophetam. Imo dicitur in Deo genita voluntas, sicut in te est genita voluntas faciendi id, quod iam facere incipis. Ita et ipse Augustinus exponit, tractatu primo in Ioannem dicens λόγον fuisse cogitationem, consilium rei futuræ, sicut est consilium et voluntas edificii, pondum facti. Generatio sermonis erat cogitatio generationis, cogitatio generans Christum. Non solum erat in Deo consilium et voluntas generandi, sed actus ipse generationis in creaturam extensus. Nam Deus ipse est actus æternus, æternaliter agens in rem præsentem. Cum actu ipso generationis erat iam personalis filius in Deo. Verbum et spiritum ita vocat Ignatius operationem deitatis, non passivam Dei in seipsum actionem: sed qua operatur in creaturam. Operationis ergo et actionis, et generationis Dei terminus realis est ipsa creatura, quam glorificat Deus. Dicitur vero in Deo esse operatio illa, veluti passiva, et in Deo facta: quia est in eo constitutio substantialis æterna, et secundum eam repræsentatio viua. Eam ipse in se operatus est, fabricavit, creavit, fecit, generavit, formavit, et reliqua. Ecce ergo in deo genitam præfinitionem, ut ait Clemens. Hæc erat de Christo prima voluntas, prima omnium origo, Christus, cogitatione patris genitus.

Vt tu cum sophistis censes, λόγος est imago, cogitatione patris genita, imago et effigies rei cogitata. Ex tuismet verbis conuinceris. Nam res Deo cogitata est ipse homo Christus. Quam tu imaginem cogitas?
quam

quam effigiem? An non erat ea imago et effigies, in qua videbatur Deus? Ridicule vos fingitis, Deum seipsum cogitando, alterum sibi æqualem inuisibilem peperisse. Quorsum hæc stoliditas? Ita ne erat inuisibilis per inuisibilem videndus? Indigetne Deus re alia, ut seipsum cogitet? Res illa secunda inuisibilis, quomodo seipsam cogitat? Stolidius adhuc luditis, Deum per φιλαυτίαν, amorem suipsius, in seipsum sufflare rem tertiam. Deliria sunt. Nam in creaturam erat amor, et cogitatio Dei, ut creaturam glorificaret. Eorum omnium plenitudo est in Christo, qui solus est ipsissima imago Dei, effigies Dei, character hypostasis Dei. Totum illud verbi et spiritus arcanum erat Christi hominis gloria. Hoc ibi cogita, hoc decies mente reuolue, esse propter hominem, et in homine substantialem Dei manifestationem et communicationem. Deus est semper manifestatus, ut homo, et Deus manifestatus in homine. Tota verci et spiritus deitas est in Christo, propter quem erat in Deo præformata, et per quem est orbi data. Ipse est scopus et plenitudo. Mihi cum Ioanne plane dicitur λόγος, sermo referens, relucencia Christi, fulgor diuinus, ut homo conspiciendus. Erat imago, idealis ratio prolata, in Deo ipso ita consistens. Hoc primum apud se Deus constituit, hæc est prima voluntas, substantialiter existens. Ex hac voluntate iterum nascitur alia voluntas. Nam hunc verum prophetam volens pater, vult in eo esse et per eum nobis dari spiritum, ipsius substantiæ modum iam ab initio exhibens. Ecce secundam voluntatem, ex prima genitam. Erat ne propterea ex primo filio secundus incorporeus filius? Vobis est secundus incorporeus filius. Discernere si quidem in inuisibilibus illis non potestis inter processionem, et generationem. Si vobis sunt illæ res incorporeæ similes et æquales, æque dicitur tertia filius, sicut secunda. Nobis vero sunt omnia perspicua, qui hunc hominem dicimus filium, ab æterno genitum. Ibi Deus actu hominem generabat, sine tempore actu omnia spirabat. In Deo ipso seorsim, aut in seipsum, non erant motiones realis generationis

nis, aut sufflationis. Non erant inuisibiles distinctæ res, sed diuinitatis modi, realiter postea distinguendi.

Irenæus hic commodum prodibit et copiosius omnia nobis exponet. Libro secundo, cap. 10. voluntates has dispositiones vocat. Nec voluntates has, nec rationem, nec spiritum, nec alia Deo attributa, res distinctas fieri patitur. Eodem libro secundo, ca. 16. 17. et 23. improprie et superflue dictum affirmat, esse verbi emissionem, quasi radii, a sole decisi. Et cap. 18. Virtutes Dei esse dicit, Sensum, Verbum, Vitam. Veritatem, Spiritum, Sapientiam, Bonitatem, nec re ipsa differre, cum Deus sit totus λόγος, totus ratio, totus spiritus, totus sapientia, et reliqua. Pater ipse erat λόγος, ut ait ca. 48. quia tunc non erat realis distinctio. Pater Deus proferendo verbum, protulit seipsum, exhibendo verbum, exhibuit se ipsum. Capite 47. verbum et spiritum Irenæus vocat mysterium et dispositionem existentis Dei. Dispositiones ita vocat, lib. 1. cap. 13. Manus Dei alibi vocat verbum et spiritum: sicut Petrus lib. 6. Clementis Spiritus, inquit, Dei, quasi ipsa conditoris manus, lucem separauit a tenebris. Si præstigium illud metaphysicum, et realem illam distinctionem tollas, in reliquis omnibus mox conueniemus. Nil vetat, Deum dicere patrem earum voluntatum, sicut dicimus, eum esse patrem luminum. Ab eo enim in nobis nascitur lumen naturæ, lumen gratiæ, et lumen finalis gloriæ, tria lumina distincta. Pater est verbi, pater spiritus sancti, pater spirituum, luminum et gratiarum. Multæ sunt in eo paternitates et generationes. Genitas in Deo duas voluntates concedimus, ac etiam creatas, sicut sapientia creata dicitur, non realiter, sed personaliter. Genitum etiam spiritum sanctum, sicut generationem sapientiæ ad spiritum sanctum extendit Irenæus lib. 4. cap. 17. et 37. Idem facit Tertullianus libro de carne Christi aduersus Hermogenem et aduersus Praxeam. Spiritum nasci dicimus, sicut ait Christus, ex spiritu

spiritu nasci spiritum. Spiritus sanctus a patre nascitur, procedit, emanat, generatur, creatur. Omnia hæc in dispositione et modo deitatis consistunt. Realiter autem a deo patre generatur verus propheta, Iesus ipse Christus, qui in verbo erat apud Deum.

Ex omnibus simul vires collige, si nondum tibi animus quiescit, si nondum satis intelligis, quid olim erat λόγος. Erat idealis ratio prolata, erat sermo repræsentans, ut vox proprie sonat. Irenæus repræsentationem Christi vocat. lib. 4. cap. 15. alibi nuncupationem. Erat fulgor diuinus, figura quædam, expressa imago, character hypostasis Dei, Heb. 1. Erat Christus æte nus in Deo, ut ait Clemens, in propria persona visus. Erat Christus in Deo formatus, sicut ait Deus, Formaui eum, et faciam, Esa. 46. Præparatus et præformatus erat Christus in Deo, et postea manifestatus 1. Pet. 1. Quæ præparatio erat ipsa Dei ratio, erat λόγος, personalis ratio. Erat in ratione, quod esset sermone prolatum. Erat Salomoni et eius interpretibus, sapientia formalis, constitutio diuina, rerum omnium ideas continens, candor lucis æternæ, speculum limpidissimum, imago diuina. Erat humana imago Dei, character refulgens, arcanum Christi, ut ait Paulus. Erat facies, visio Dei, species Dei, forma Dei, ut ait Christus. Erat sapientia, in mysterio recondita, et ante secula præfinita. Sapientia præfinita Paulo erat præfinitio Christi. Clemens Christi præfinitionem vocat. Irenæus et Tertullianus quandam de Christo œconomiam, dispositionem, et dispensationem. Existentiam ego voco hypostaticam. Ioannes docet, fuisse modum essendi, ad illuminationem nostram. Dicens, erat apud Deum, et erat ipse Deus, essendi modum iudicat: sicut erat tunc ignis apud Deum, et ignis ille erat ipsemet Deus. Fuit modus diuinus in Deo, sicut modus diuinus in rebus. Ipse dixit, et fuit: ipse præcepit, et extitit. Hinc Irenæus exponit, Deum fecisse omnia per
ver-

verbum suum, id est, per seipsum: et faciendo per verbum, fecit per Christum. Non fecit per virtutes aliquas, realiter distinctas, aut decisas, sed quia ipse dixit, seu protulit. Ita declarat libro primo, cap. 19. lib. 2. cap. 2. et cap. 56. Ita ante Irenæum exposuerat Iustinus, aut senior alius apostolorum discipulus, citatus lib. 4. cap. 52. Non, inquit, per verbum fecit creator, quasi per alteram virtutem, aut rem aliam: sed quia ipse dixit, fiat, iehi, existat. Idipsum, quod Deus loquendo protulit, erat Christus existens. In loquendo protulit, et exhibuit, quod erat in interna ratione, per illam ipsius prolationem omnia creans.

Iudicia nunc tu ipse, an iuste me arguas, falsarium clames, sceleratum, et impostorem, qui perfidiose fucum facio lectoribus, falso citans Irenæum, et Tertullianum. Adducis contra me vnicum Irenæi dictum, ex lib. 3. capite 20. hæc eius verba referens: Ostenso manifeste, quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc nouissimis temporibus, secundum præfinitum tempus a patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit. Quid hæc contra me? Ipsissima est sententia mea. Ito ego arguerem eos, qui dicerent, filium Dei in Maria cœpisse, aut Christum in Maria cœpisse, cum fuerit ipse antea existens verbum apud Deum. Vos potius arguit Irenæus, qui ore dicitis hunc hominem filium Dei, et corde eum esse filium, non agnoscitis. Ibidem capite anteprecedenti, in hanc sententiam loquitur: Mendax est, qui negat, Iesum esse Christum filium Dei, et Antichristus. Omnes, qui res distinctas in diuinis ponunt, et si lingua quidem consentunt vnum Iesum Christum, semetipsos derident, aliud sentientes, aliud dicentes. Lubrica enim varietate alterum passum annunciant

nunciant hominem, et alterum ex creatoris dispositione inuisibilem et impossibilem. Nescientes, quod sermo Dei, suo plasmati vnitus, et caro factus, ipse est Iesus Christus, qui passus est pro nobis. Hæc ille. Aliud contra me citas dictum Tertulliani, qui contra Praxeam ipsi personæ verbi nomen filii œconomice vindicat. Oeconomica ratione, seu personæ ratione, ei verbo nomen filii vindicatur. Homini vero proprie conuenit nomen filii, sicut nomen Christi. Tertullianum tu plane non intelligis. Nam ille personam verbi vocat formam, speciem, dispositionem, corpus visibile. Tu ipse quoque fateris ὑπόστασιν ibi esse idem, quod σῶμα. Vtinam teipsum cum Tertulliano intellexisses. Personam visibilem aperte ille dicit, et ita personalem filium. Spiritum Christi, ait Tertullianus, potius dici filium, quam ipsam carnem: quia propter vnumquodque talé et illud magis. Vt deitas vincit in omnibus, ita ex deitate est essentia rei, et essentiale nomen, nomen hominis, et nomen filii. Vere id totum est filius, et ratione deitatis, sicut ratione animæ tu es homo. Et quæ ex Tertulliano, et quæ ex Origene, et aliis citas, commoda interpretatione recipi possunt. Sed in ea re non laboro. Origenes capite secundo libri primi periarchon, confusus inquit, an sapientia Dei, quam vocat ideam, haberet corporeum aliquid, cum in se contineret creaturarum formas. In Tertulliano apertiora de hac re leguntur. In Irenæo, Ignatio, ac reliquis senioribus, hoc tibi est cogitandum, eos non solum filium, sed et Christum ipsum iam olim in Deo asserere: eo quod ad personam respiciebant. Qua ratione passim vocant verbum filium. Præterea cogitabis, vt Carpocratis, Cerinthi, et Ebionis scholam confutarent, quædam impetu quodam eos protulisse, quæ quodammodo reprimenda nunc dicet, qui ab illis opinionibus est liber. Hoc fere semper accidit omnibus, qui de sectis contenderunt. In eorum itaque scriptis legendis veram euangelii sententiam statue, filii vocabu-

cabulum esse hominis proprium, cum semper in sacris literis filius de homine dicatur, et solus ille sit realiter genitus. In λόγον vero ea filii appellatio iuste protrahitur, cum præsertim contra Ebionitas et Cerinthios agitur, ut verbi hypostasis et persona sustineatur. Hinc Irenæo dicitur verbum filius dispositivæ. Tertulliano dicitur filius œconomice, et Salomoni dicitur sapientia per dispositionem certam constituta, disposita et ordinata. Ne igitur aliquo veterum dicto tu offendaris, his principiis te volo præmunitum.

Primum principium, Ea vox filius, proprio significato accipitur pro homine filio, Ne unus quidem dari potest in scripturis locus, in quo ponatur vox filius, quæ non accipiat pro homine filio. Scripturæ docent, et natura docet, hunc esse filium, qui fuit foetus et embryo. Omnium prædicatio semper fuit, hunc Iesum esse Christum, verum filium Dei vnigenitum. Eius indiuidui, cuius proprium est vocabulum Iesus, proprium est vocabulum Christus, et eiusdem est proprium et naturale esse filii. Eius item proprium est esse filii, cuius proprium est generari. Proprie autem, vere, realiter, et naturaliter genitus est homo. Dic mihi tu, unde filii significatio? An non eum dices proprie filium, quem ex muliere substantialiter genitum, ex ea vides nascentem? Vbi aliud vnquam vidisti, vel audisti, vel legisti? An non hominis typo dicebatur olim homo filius? An non ille est filius, qui est fructus ventris? qui est masculus aperiens vulvam? Semen mulieris est filius hic, genef. 3. de substantia mulieris filius, homo filius. Si nullibi in scripturis dicitur sine homine filius, quare tu fingis sine homine filium? Vbicunque igitur filium cogitabis, ibi hominem cogitabis, et olim, et nunc. Apud Iudæos nec de trinitate, nec de inuisibili filio erat aliquid vnquam auditum. Ergo cum de Messia filio erat sermo, homo filius intelligebatur. Eo magis, quia Hebraica etymologia docet, filium proprie de homine dici, et in matre filium generari. Si hæc receptissima erat filii appellatio, unde cœpit vestra filii tam

amens illufio? An non hic homo fe filium vulgo docebat?

Secundum principium, Verbum Dei, eo modo, quo initio erat lucens apud Deum, figuram habebat, feu referebat humanam, ea forma peculiariter vifum futurum hominem efle iam in Deo expreffum, indicans, per quem vere, et fubftantialiter Deus videretur. Ex omnibus fcripturis eft hoc a me abunde probatum, libro tertio et quarto de trinitate, dialogo primo, epiftola quinta, et alibi paffim. In prima ecclefia erat hoc publice receptum. Ex priore principio hoc fequitur, vt fi filium olim cogites, ibi hominem cogites. In hanc fententiam Irenæus lib. 4. cap. 14. 15. et 17. verbum vifibile docet, verbum in figura humana olim patriarchis loquutum et vifum, deumque ita per verbum cognofci. Figurationem Dei ibi Irenæus vocat verbum. Quid in tua grammatica fignificat figuratio? Quid effigies? Quid expreffus character? Quid imago? Quid perfona? Quid forma? Pluribus formis verbum apparuiſſe fateor, velut omniformem fapientiam, fed hanc illi peculiariter vindico, vt vindicat Irenæus dicto cap. 17. Vt rem omnibus notam, obiter id citat Irenæus, ficut et Tertullianus contra Marcionem. Idem Irenæus in prologo libri quarti, et plerisque locis libri quinti, totum hominem ait formatum et plasmatum ad imaginem Dei: fimilem ait factum hominem inuiſibili patri per vifibile verbum. Idipſum antea docuerat Philo, et veteres Hebræi. Nabuchodonofor tunc cognouit, et vidit, ſpeciem filii Dei efle ſpeciem hominis Dani. 3. Sibylla libro octauo figuram hominis ait efle factam fimilem figuræ Dei. Carnem ipſam Adæ libro quinto ait Irenæus efle plasmata et formatam ad imaginem Dei: ergo erat formalis imago. In eandem ſententiam Clemens libro primo ſpeciem hominis ait efle aliis antiquiorem, quamuis fit ipſe poſterior conditus. Ibidem ait ipſum verum prophetam olim apparuiſſe Abrahæ, et Moſi, eos varie inſtruentem.

Et pau-

Et paulo post ait, De hoc solo est inter nos et Iudæos differentia, quod hunc Iesum ipsi non credunt esse Christum, et nos credimus, esse Christum æternum. Hunc ipsum Christum semper fuisse docet, ea specie olim visum. Sicut humano more in omnibus agebat Deus, ita et humanam figuram referebat. Vt homo, loquebatur, ascendebat, descendebat, et videbatur. Si sensus communes haberes, aliquam Dei exhibitionem perspiceres, quando dicitur Deus homini loquutus, et Deus visus. Sed Deus huius seculi excæcavit tibi sensus, ne videas imaginem Dei, gloriam Dei, in facie Iesu Christi, 2. Cor. 4. Paulus aperte loquitur de visione, imagine, et facie, quæ facies erat olim velata. Negabis tu, in Christo esse æternitatem formæ diuinæ, cum concedas, per eum esse in te æternitatem ideæ? Si se tibi Deus videndum nunc exhiberet in re aliqua, eum tu videres in idea rei illius. Ergo in Christo videtur in idea hominis. Substantia Dei est in eo nostris oculis manifestata, et ea ipsa erat olim forma diuina.

Tertullianum hic audiamus, quem pro te citas, in quo multa sunt veritatis primæ vestigia. Libro de carne Christi ait, verbum habuisse substantiam humanæ figuræ. Libro de resurrectione carnis ipsam Adæ carnem ait formatam ad visibilem imaginem Dei. Aduersus Iudæos ait, eum qui olim patriarchis loquebatur, et videbatur, fuisse filium, cum patrem nemo viderit vnquam: fuisseque ipsum Iesum Christum figuratum. Aduersus Marcionem, lib. 2. et 3. ait Deum in figura, et reliquo ordine humanæ conditionis versatum, fuisseque Christum ipsum in Dei nomine loquentem, personam hominis. Vniuersa ecclesia hanc in verbo personam tunc credebatur, vt ibi citat. Aduersus eundem Marcionem, lib. 5. ait, In illuminatione mundi quis Christo ait, posui te in lucem gentium? Signatum est, inquit, super nos lumen personæ tuæ,

feu vultus tui. Persona Dei Christus dominus. Vnde apostolo ipsa persona, seu facies Christi, est imago Dei. Et erat Christus persona creatoris dicentis, Fiat lux. Disce hinc, Philippe, quid cum veteribus debeas personam proprie appellare. Eodem libro Tertullianus subdit, Inuisibilis Dei imaginem ait apostolus Christum. Inuisibilem dicimus patrem Christi, scientes filium semper retro visum, in Dei nomine, vt imaginem ipsius. Et paulo post, In effigie Dei constitutus accepit effigiem serui: eam ipsam effigiem vocans, quæ fuit visibilis imago Dei. Tota bibliorum series hanc effigiem, et imaginem visibilem nobis ob oculos ponit: personam, faciem, formam, figuram, et characterem. Non imaginatione aliqua, sed corporalibus oculis vidit Iacob, vidit Iob, et vidit Esaias faciem hanc, quæ et aliis facie ad faciem videbatur. Hebræi hanc crediderunt diuinæ faciei visionem, vt post Philonem et Eusebium citat Hieronymus in principio epistolarum, et alia ad Damasum epistola. Ita placuit Deo se manifestare, et visibilem exhibere sine præstigio, aut falsa larua, facie ad faciem, oculo ad oculum, visione non ænigmatica, Num. 12. et 14.

Tertium principium, tam personæ similitudine inter verbum et hominem, quam substantiali vnitate, rite verbum illud dici hominem, et hominem hunc dici verbum. Ex Ioanne hoc sæpius docuimus, qui hominem ipsum ait esse verbum Dei, apoc. 19. Hinc Irenæus lib. 1. ad finem capitis primi, et reliqui veteres, vere semper clamant, hunc ipsum Iesum hominem esse verbum Dei, proferendo genitum. Lucida hæc sunt, et perspicua, sine suppositilibus vestris fabulis, et idiomatum figmentis, quibus circa res inuisibiles luditis, eas in mulis et asinis occidendo.

Quartum principium, quod et in aliis contra vos facit, ex Iustino lubens adiungam, differentiam veteris et noui testamenti, quam innumeris locis contra sententiam vestram explicant Irenæus, Tertullianus, et reliqui omnes. Quid nunc ad rem facit, sufficiet locus vnus Iustini, aut senioris illius apostolorum discipuli,

puli, ab Irenæo citatus, lib. 4. cap. 47. Nouo, inquit, testamento ea, quæ est ad Deum fides, vltra Iudæos est nobis aucta, additamentum accipiens filium Dei. Idem docet Irenæus eodem lib. 4. cap. 27. Vulgus Iudæorum nesciebat filium Dei. Solis prophetis datum est, Christum videre sub velamine quodam. Fidem hanc ab Hebræis exigit apostolus, Accedentem ad Deum credere oportet, esse Deum, remuneratorem, Hebr. 11. Fides hæc inferior est fide nostra. Credebant Iudæi, illum, qui de nube patribus loquebatur, esse verum Deum, remuneratorem, et eius præcepta esse seruanda. Credimus nos, hunc Iesum, qui nobis loquutus est, esse verum Messiam, filium Dei, saluatorem, et liberatorem perfectum. Quanquam sub Adæ damnatione conclusi tunc omnes tenerentur, aliqua tamen erat Iudæis salus, si finale iudicium spectes. Sua quoque ethnicis erat salus, vt docet Petrus lib. 2. Clementis, et Irenæus, lib. 2. cap. 5. Vnde constat, vos pessime discernere inter Ethnicos, Iudæos, et Christianos, vt ad Calvinum iam scripsi, epist. 19. Nos filium Dei vere habemus, in nobis est fides vera filii Dei, non in illis: quamuis a filio Dei virtutem, et salutis viam quandam remotiorem illi omnes acceperint. Adde hic verba Clementis Alexandrini, libro primo pædagogi, capite septimo: Veteri populo, vetus erat testamentum, et lex cum metu populum erudiebat, et Verbum erat angelus: nouo autem populo nouum testamentum datum est, Verbum ibi genitum, metus in dilectionem conuersus, et mysticus ille angelus Iesus patitur.

Ex his principiis in veram de filio Dei sententiam omnia veterum scripta sunt cum euangeliiis concordanda, vt ab apostolis est prædicatum, ita semper in ipsis discipulis intellige, hunc Iesum crucifixum vere esse filium Dei vnigenitum. Et cum ipsum fuisse apud patrem ab æterno, in propria substantia et forma hominis. Distinctum cum ipsis nos iam olim in Deo filium dicimus distinctum in propria substantia et hypostasi: distinctum in persona, vt et ipsi personam filii vocant. Verbum apud patrem fuisse filium,

concedimus, filium descendisse, et carnem assumpsisse. Vere autem et realiter genitus, vere et realiter a patre differens filius, est hic homo Iesus Christus, qui iam tunc erat in Deo, hac ratione patri coæternus et consubstantialis. Hic ipse homo vere descendit de cælo. Hic ipse iam tunc habebat in Deo mentem, personam, et spiritum, licet nondum carneum corpus. Hic ipse, qui corpus est, dicitur corpus assumpsisse: quia erat persona eadem in verbo et spiritu, antequam esset carnis corpus. Hic ipse Iesus desuper se huc demisit, deiecit, exinaniuit, humiliavit, existens prius in forma Dei. Hic habet virtutem diuinam, mentem diuinam, secundum quam ab æterno voluit humiliari, et mori. Hic ipse animam assumit, deponit, et reassumit, potentiam habens assumentis, deponentis et reassumentis. Hic ipse corpus sibi adsuendo, per incarnationem formauit: et eum postea morte destructum per resurrectionem ad gloriam reformauit. Magno mysterio est in eo tota deitatis plenitudo et potentia. Magno erga homines dilectionis et pietatis mysterio, Deus pater ex seipso hominem filium, huius fabricæ moderatorem, ab æterno producit, et eius spiritu ab æterno spirat. Illa verbi substantia erat huius corporis substantia. Illa spirans Dei substantia, erat huius animæ substantia, facta huius propria, et peculiaris. Verbum ibi et spiritus sanctus erant in Deo substantia huius hominis Christi, duæ manus Dei, ambæ in Christo. Substantialiter et hypostatice est spiritus sanctus in Christo, sicut verbum. Hoc ad carnis formam potius spectans, ille ad animæ spiraculum. In hanc sententiam Irenæus lib. 3. cap. 20. vncti nomine contineri ait eum, qui vnxit patrem, et ipsam vnctionem, quæ est spiritus sanctus in eo. Si substantialiter est vnctus, substantialis sibi inest vnctio. Idem Irenæus circa initium libri quinti, non verbum solum, sed verbum et spiritum Dei in Christo ait misceri substantiæ plasmationis Adæ, verbum et spiritum ei substantialiter vniri. Hinc ait esse Iesum perfe-

perfectum, qui capit perfectum patrem. Duas manus Dei, verbum et spiritum, ait esse in illo viutente et perfecto homine, in quo est perfecte pater. In Christo est pater, in Christo est spiritus sanctus, tota deitatis plenitudo.

Aspice nunc, Philippe, quam efficax hinc colligitur contra vos argumentum. Si tropo vestro hic homo est filius, quia est ei filius vnitus: eadem ratione hic homo est spiritus sanctus, quia est ei spiritus sanctus vnitus: et hic homo est pater, quia est ei pater vnitus. Quis vero tam illusus hoc dicat? Aliud sequitur argumentum, Si hypostatica sola vnio vobis facit dici filium, cadauer Christi in sepulchro erat filius, et separata anima filius, cum esset filius ille vtroque hypostatice vnitus. Longe aliud veritas docet. Ratione veræ generationis dicitur homo filius. Matthæus et Lucas nos ita docent, genitum hominem esse filium, ex Maria genitum, de substantia et virtute Dei genitum. Proprie quis dicitur filius illius, de cuius substantia et virtute genitus est, Filio Dei Irenæus et alii tribuunt veram ex virgine generationem. Si aliqua sine tropo est in virgine generatio, aliquis sine tropo factus est ex virgine filius, factus ex muliere filius, vt ait Paulus. Ex proprietate linguæ sanctæ non dicitur generatio sine matre. Ex proprietate linguæ sanctæ filius ædificium in muliere factum, ben, a verbo banah. Cum Matthæo et Luca dicimus, in Maria generatum esse sanctum filium Dei. Non ergo per tropum vestrum hic homo dicitur filius Dei, quasi sit in eo realis filius: sed ideo, quia est ipse genitus de substantia Dei.

Erasmus ait, Irenæum sensisse, hominem Iesum esse filium adoptione, lib. 3. ca. 21. Quæ adoptio ab omnibus improbatur. At nos Irenæum sustinentes dicimus, quod adoptionem percipiens ibi non intelligitur Christus, sed genus humanum. De nostra adoptione ipse loquitur, quam per Christum accipimus, Christus vero naturalis est filius, non adoptiuus. Ille fructus ventris Mariæ est naturalis filius Mariæ. Ille ipse naturalis filius Mariæ est na-

turalis filius Dei, non duo filii. Filius hominis corpus ipsum est. Filius hominis est ex homine genitus, corpus ex corpore, vt ait Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem. Sine tropo, et sine aliquo idiomatum sophismate, est Maria realiter θεοτόκος, Deum generans, seu Dei genitrix, quia filius eius est vere Deus. Ipse est sequester medius, vtriusque substantiæ particeps, mediator Dei et hominum, hominem Deo, et Deum homini reconcilians, miscens in seipso hominem et Deum. Duplex est in eo natura, nec ista filius, nec illa filius: sed totus ipse filius, filius Dei, filius Mariæ, filius hominis. Filius hominis Hebraica phrasi idem est, quod homo vulgaris: quamquam et ibi cum emphasi dicemur, ex homine filiationem extrahi. Ipsummet filium hominis esse filium Dei, docet Christus Ioan. 5. Nam postquam explicuit diuinam hominis potestatem, subnectit, Quod filius hominis sit, nolite mirari. Nam ille ipse filius hominis est filius Dei, sola voce mortuos suscitans.

Rogabis tu nunc. Si in hoc homine est verbum et spiritus, quare potius dicitur hic homo esse verbum Dei, quam hic homo esse spiritus Dei? Responso. Quanquam certa ratione dici possit: tamen ex modo esse differentiam, sæpius ostendi. In verbo enim erat et apparebat hominis figura. In verbo erat spiritus, in spiritum verbum, et virtus eadem, substantia eadem verbi et spiritus. In sermone, velut in re externe visa, erat interne contentus spiritus. Et sermo in spiritu quasi expressio, seu articulatio facta in spiritali substantia. Verbum ergo ad corpus ipsum filii potius spectabat. Corpus verbo tribuerunt antiqui, et dicebatur olim corpus verbi. Ab eo verbi corpore dicitur esse in Christo deitas corporaliter, corporali modo visibilis, et tangibilis. Valentiniani, magi, et Marcionitæ docebant, Christum cælesti illo verbi corpore contentum non accepisse veram carnem de Maria: cum tamen idem magis colligatur, eum accepisse, vt fieret visibile, quod tunc in Aenigmate videbatur, vt ait Tertullianus. Erat olim persona verbi, effigie corporea, quodammodo visibilis. Quod ipsum indicabat, eum in carnis corpore vere postea videndum, vt figura in-

ra indicabat futuram veritatem. Libro de carne Christi ait Tertullianus, verbum habuisse corpus, et adhuc in Maria incorporatum esse, et in carnem veluti conuersum, ita tamen, vt manserit Deus. Incorporatio vere facta est, vt incarnatio et humanatio. Hac personalis existentiae, seu formae, ratione potius dicitur verbum caro factum, quam spiritus caro factus, licet vere sit spiritus humanatus. Quodam modo facta est verbi in carnem conuersio, et personae translatio, vt huic personae carnis nunc tribuantur omnia. Sicut est virga in serpentem formaliter conuersa: manente virgæ substantia: ita et in verbo. Eadem huius corporis deitas erat antea verbi deitas, et erat huius carnei corporis semen in verbo. Sicut in femine verbi erat hic homo filius apud Deum, ita infeminatus ubique dicitur Christus in veteri scriptura. Hinc lib. 4. capite vicesimo tertio ait Irenæus, Infeminatus ubique in Mosis scriptis est Christus, filius Dei, cum Abraham loquens, Sodomitas iudicans, et rursus cum videretur, in viam dirigit Iacob, et de rubo loquitur cum Mose. Abraham verbum videbat, verbum sequebatur, et cum verbo peregrinabatur, vt scribitur eodem libro, capite duodecimo.

Cum itaque Deus habeat multiplex esse, et ab æterno Christum instituens, hanc verbi et spiritus æconomiam, in eo instituerit, ex multiplici personarum existentia, nunquam licet realem distinctionem inferre, aut Dei in seipsum motiones illas includere. Statuta filii persona, ei Deus ab æterno loquitur et percipit. Mens ipsa Christi, qualis nunc est, viuens lux, seorsim ibi agebat: et ibi iam erant electi in spiritu, quasi plures spiritus, et cum sapientia plures ancillæ. Sapientia ipsa est multiplex, multiformis, et multitudo, prouer. 8. est multiplex spiritus, et intelligentes spiritus continet, sapien. 7. Manifestum id est, si tu intelligas, Deum esse in omnibus, varie in ipsis agentem: imo esse ipsam vniuersitatem rerum. Similitudines adduci possunt, vt intelligas, in Deo varias personales distinctiones, et colloquia. Singulorum vita lucens

erat in verbo. Ab æterno est spiritus deitatis illius, seu portio illa, Petro data, quæ ipsum vniuit Deo. Ab æterno est talis illi parata. At deitas illa non erat realiter Petrus, non erat filius Iona. Ita plenitudinem ipsam Christi dicimus non fuisse olim realem Christum, nec realem filium. Illi spiritui Petri loquitur Deus, præcipit, et testimonium dat, vt ait Paulus. Præcipiat ita voluntas tua intellectui, aut quid faciendo eum sibi socium iungat. Suntne ideo res distinctæ? Ancilletur virtus spiritus verbo prolato, eis Deus loquatur. Ex illa personali actione, non sequitur realis distinctio. Eo magis, quia iam tunc Deus cum hoc homine loquebatur vt psal. 109. Esa. 45. 49. et aliis locis. Si cum iis, quæ non sunt, ita loquitur Deus, sicut cum iis, quæ sunt: quanto magis cum ipso Iesu, qui iam tunc erat substantialiter in Deo? Christus secundum essentiam formæ suæ vere fuit semper in Deo. Deus ita habet multiplex esse, et varie ita consistit, vt illa colloquii ratio ab eo non abhorreat, cum præsertim adessent angeli ad personæ filii obsequium. Verbum et spiritus, velut duæ manus, erant in Deo, vna cum angelorum ministerio, quibus omnibus Deus loquebatur. Cum Deus loquitur, et præcipit monti, aut pluuiæ, aut lapidi, loquitur deitati, quæ in singulis est. Suntne ideo deitates realiter distinctæ? Personæ ibi dici possunt, quæ audiunt vocem Dei. Distinctiones in deitate sumuntur, ratione modorum, et ratione rerum, quibus ipsa communicatur: vt deitas angeli distinguitur a deitate hominis, et deitas plantæ a deitate lapidis. An non deitas illa lapidi vel plantæ insita, discernitur a spiritu sancto, qui est in homine? Per deitatem, quæ est nunc in re quauis, potest Deus nouum mundum creare, per illam hypostatice apparere, et seorsim agere: quanto magis per Deitatem Christi.

Hanc item rationem, et similitudinem cogita. Ignis ab æterno paratus dæmonibus torquendis, est ipsemet Deus, vt dialogo primo est satis ostensum. Non est enim creatura aliqua

qua Deo coæterna. Ipse Deus est ignis consumens, et multo magis tunc consumet, intus et externa comburens. Lex docet esse igneum Deum, qui diem igneum est inducturus. Quemadmodum nubes eadem erat Aegyptiis tenebræ, et Israëlitis lux: sol idem hos excæcat, et torquet, illos vero illuminat et reficit: ita Deus idem est bonis gaudium, et malis tormentum, sicut Christi virtus dæmones torquebat. Diuinus est ille ignis æternus, inextinguibilis, paleas combusturus, reliqua purificaturus. Iudicium fiet per hunc ignem Dei, animas ipsas attingentem, vt docet Petrus libro primo et quinto Clementis, et Irenæus, lib. 4. ca. 8. et 9. ad idem 2. Cor. 3. Esa. 30. 66. Dani. 7. Mala. 4. et alibi passim. Coniciat iam Deus quem in vllum ignem, ignem mittat, igni loquatur, aut ei quid præcipiat. Est ne propterea res alia? Non iam hinc trinitatem, sed quaternitatem in Deo euidentem habes, patris, filii, spiritus sancti et ignis gehennæ. Si quinternitatem vis, adde thronum Dei, qui scripturis probatur æternus. Adde luminis amictum, vt vestimentum Dei, nubem, quam equitabat, et habitaculi caliginem, et ita habebis octonationem. Hæ omnes personæ esse poterant, viuentes, intelligentes, seorsim agentes, quibus Deus loqueretur admixtis angelis. Erant dii viui, viuæ æternitates, viui fontes, viuæ mansiones, viuæ in singulis personæ diuinitatis, et viuentia nomina in cælis conscripta. Plurimos si velis, ita tibi facies cum Valentino Deos, omnes in æternitate, quæ æternitas est iterum Deus, et suam æonis distinctionem habet. Est ne realis trinitas ex æone ipso, et throno, et igne? Est ne trinitas luminis, nubis et caliginis? Trinitatem tertiam trium luminum, naturæ, gratiæ, et gloriæ, superius iam ostendi: quæ tria lumina sunt Deus, et est ipse pater trium luminum, quæ sunt viuentia lumina. Si trinitatem quartam vis, ecce illam. Salomon prouer. 5. discernit in Deo tria, sapientiam, artificium, et scientiam.

Hebræis

Hebræis dicuntur in Deo tres middoth, tres proprietates, ex Deo nascentes, non res distinctæ. Adde quintam trinitatem, ex vera ipsa substantia Dei. Inter clybanum illum, seu stagnum ignis damnatorum, et gloriam beatorum, erit medius hiatus, quod totum erit ipsemet Deus omnia in omnibus existens. Est ne trinitas hæc realis, ex gloria, hiatu et clybano? Plus differunt gloria beatorum, et ignis damnatorum, quam different olim sermo et spiritus in Deo. Sunt ne istæ omnes in diuinis trinitates? quaternitates, et quinternitates realiter distinctæ? Quicunque tres res credit distinctas, tres credit dæmoniorum spiritus. Pulchrum ad hanc rem est Andreæ apostoli dictum lib. 2. Clementis, Qui dæmone incipiunt obfideri, phantasias accipiunt eorum, quæ non sunt. Affirmat ibi Petrus, non posse quem de Deo aliquid cogitare, cuius forma nulla vnquam extiterit: ergo non potest trinitas illa cogitari, ergo dæmonum sunt illusiones, et idola mala in animo sunt, quæ de tribus illis rebus vos in vno cogitatis, cum sit monstrum impossibile. Quid in hac forma vos vnquam vidistis, nisi tergeminos Geryones, tripitem cerberum, aut Bellerophontis chimæram.

Hac prima ratione constat, vos esse magos, aut magi discipulos, de Deo cogitantes ea, quæ non sunt, vt arguit ibi Petrus. Horribilis est, plusquam magica, illarum trium æqualium, inuisibilium rerum et motuum, in Deo inclusorum, illusio. Secundo, Quemadmodum Valentiniani, et alii magi dicebant, Christum descendisse in Iesum, ita vos dicitis filium descendisse in Christum. Hunc enim facitis esse naturæ humanæ vocabulum, illum diuinæ. Tertio, sicut discipuli omnes Simonis magi Christum dicebant esse phantasma solum, ita vos dicitis, olim in verbo esse visum phantasma solum: sicut illi in carnem Christi stomachabantur, veritatem eius negantes, ita vestri magi negant, esse verum cibum. Quarto, In fide et iustificatione est recens apud vos nata schola magorum. Nam, vt citato libro secundo docet Clemens, et Irenæus libro primo, iustifi-

iustificationem et fidem Simon magus et Valentiniani docebant, esse solam cognitionem, et Gnostico bona opera nihil efficere. Fidem hanc pingit nunc vester Gnosticus Calvinus. Quinto, Seruum esse hominis arbitrium, docebant magi, Simoniani, Valentiniani, et Stoici Marcionitæ: quod improbat Petrus lib. 3. Clementis, Ignatius ad Magnesios, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, et reliqui omnes. Illam magorum in rebus necessitatem plane ridet Irenæus, lib. 2. cap. 5. et eos Deum impotentem facere ostendit lib. 4. cap. 71. et 72. et plerisque aliis locis liberum arbitrium semper docens. Idem facit Tertullianus lib. 1. et 2. aduersus Marcionem, Clemens Alexandrinus, libro secundo, et quinto Stromatum, Cyprianus item, Origenes, et alii. Magi igitur hodie sunt, qui seruum arbitrium fascinati credunt. Sexto Iudicium Dei cum Simone mago illi euertunt. Nam teste ibi Petro, in hoc stabit Dei iudicium, si potuit homo facere bonum, et non fecit: quod negant Lutherus et Calvinus. Septimo cum magis illis prædicat, non esse dignum, vt sub mercede proposita colatur Deus. Ita de ipsis refert, et improbat Petrus, libro primo Clementis. Et propter suam excellentiam, et propter collata beneficia, et propter futurorum spem, iuste colitur a nobis Deus. Octauo, Nec ob merita, nec ob demerita, rependi pœnam vel gloriam, dicebat Simon magus, vt isti dicunt. Nono, Quæ iuste vel iniuste fiunt, aiebat soli fabricatori esse adscribenda, nobis nihil. Superest igitur, cum Simone mago alium Deum quærere, et creatorem hunc arguere iniustitiæ, vt qui faciat res iniustas. Si enim fato fiunt omnia, fato fiunt res iniustæ. Fatum autem a fando, est ipsemet Deus, qui ita factus est, et fando malorum necessitatem imponit. Hinc est magicus vester Lutherianismus et Calvinismus. Decimo, Magica est vobis mors filii Dei. Simon magus, et sui omnes discipuli, negant filium Dei esse vere mortuum, sed inuisibilem euanuisse. Vos quoque sub præstigio quodam conceditis, filium Dei esse vere mortuum, sed inuisibilem euanuisse. Vos quoque
sub

sub præstigio quodam conceditis, filium Dei esse mortuum. Nam incorporea et inuisibilis illa res, quæ vobis est filius, non est vere mortua: id vero corpus, quod re ipsa mortuum est, vobis non est filius. Hoc præstigio tu fascinatus, me Samosatenum vocas, cum ille hominem non agnouerit esse filium Dei, vt refert Epiphanius: sed alium in Patre filium dixerit, imaginarie mortuum: vt vos dicitis, vere magi, et Samosateni. Contumacissimus est spiritus vester, sicut Simonis magi. Imo estis Simone mago deteriores, qui tale triiceps monstrum in Deo cogitatis, quod ille non admisisset. Nos sane magiam vestram exhorrescimus, et a vero fidei Christi fundamento nec tantillum recedentes, patrem, filium, et spiritum sanctum credimus: filium a patre æternaliter genitum, et spiritum sanctum ab eis procedentem. In hanc sententiam non solum iam citatos seniores adduces, sed et Athanasium ipsum, imaginum cultorem, cum charactere bestię; Augustinum item cum suo monachismo bestię, adoratorem, et reliquos omnes, trinitatis illius inuisibilis reales distinctores: si modo ad visibile verbum, seu personam Christi, animum reducant, metaphysicas illusiones et realitates illas explodendo. In re clara et euidenti hallucinati sunt omnes Antichristi admiratores, bestiam adorando facti bestię. Ita Christo placuit, in odium Antichristi, vt in errorem abducerentur, quasi etiam electi, Matth. 24. et Marci. 13.

Quare igitur ecclesię illius autoritate nos terres, Phillippe, cum tu ipse scias, esse ecclesiā Antichristi. An nescis, ecclesiā Christi iam dudum esse fugatam? An non credis, Romam esse Babylo-nem? Eis vere tu credis, quos vides gestare charactere bestię? Tu, qui Nicenā synodum probas, quare Papismi nugas ibi stabilitas non probas. Quare paschale statutum ibi factum non tenes? Tam puerilia in eo sunt errata, vt pudeat referre iam ab aliis in Calendario abunde monstrata. Quare monachorum leges et ceremoniales

niales alias imposturas ibi ordinatas non seruas? Quare pro mortuis non sacrificas? Quare imagines cum Athanasio non adoras? Papam dicis esse Antichristum, et dicis a spiritu sancto esse fautores Antichristi? Nos nec Antichristo, nec ministris eius credimus. Sed ad veram euangelicæ scripturæ phrasim reducentes ipsam filii appellationem, hunc hominem semper filium intelligimus. Locum saltem vnum nobis profer, in quo ponatur vox filius, quæ non accipiatur pro homine filio. Vnde igitur tanta vestra de filio dementia? Vnde tanta stupiditas, contra diuini sermonis proprietatem, tam horrenda somnia proferre? Pro vobis citatis Ioannis euangelium, et ab eo plurimum dissidetis. Nam Ioannes ipse verbum incarnatum prius dicit, deinde vnigenitum filium vocat. Ergo incarnatio facit dici vere filium. Hoc saltem tu grammaticus scire debebas, quod aliud proprie significat λόγος, aliud proprie significat filius. Vnde vos res ipsas, nisi ex vocum significatione, colligitis? Scripturis omnibus ille est proprie filius, qui est proprie plasma, proprie germen, proprie virgultum, proprie genitus, proprie natus. Ille est proprie Messias, proprie Christus, proprie vnctus, proprie Rex, proprie Sacerdos, Propheta, Saluator. Vos horum quædam homini, quædam filio illi inuisibili nomina separatis, semper ambigui, et perplexi, vt præceptor vester Augustinus, qui ob ambiguitatem tertium nescio quid somniauit, initio libri secundi de trinitate. Mihi plane nulla est ambiguitas. Ego omnia homini tribuo, ac etiam verbo in persona hominis. Verbum ea ratione dico humiliatum, dico mortuum, qua dico filium in persona hominis. Ad hunc modum inter verbum et hominem diomata communicari dico, sine vestris illusionibus. Salomoni ipsa sapientia erat olim princeps constituta, spiritu sancto vncta, ordinata, disposita, in victimam præparata. Eadem Petro apud Clemen-

tem

tem erat vetus propheta, iam olim vnctus. Iam erat ibi filius hominis, homo ipse Ioan. 6. et 17. Veteres omnes iam olim Christum dicunt, personam respicientes. Ex ipsis ergo senioribus, et ex Tertulliano ipso, aperte docemur, in modo, seu dispositione Dei, consistere personalem distinctionem. Id dictum de personale distinctione, seu personali dispositione, vt a priorum discipulorum fonte prodicens nobis venit obseruandum. In Salomone manifesta est sapientiæ personalis dispositio, vt dicatur sapientia a Deo per inuentionem certam ita constituta, acquisita, inuestita, disposita, formata.

Hæc erat olim trinitas. Erat Deus pater, immensitas inaccessibilis, incomprehensibilis, lux inuisibilis. Solum illum ita Paulus ait simpliciter inuisibilem. 1. Timoth. 1. et 6. Erat in immensitate illa verbum, lux, persona Christi, prius occulta ratio, deinde manifestus sermo. Erat character diuinus pro signo positus, refulgentia quædam gloriæ Dei. Erat apparens lumen, de lumine non apparente, et manebat lumen in lumine, de luce inuisibili fuit lux visibilis, de inaccessibili accessibilis, ad substantialem huius hominis generationem diuina exhibitio. De se ipso inuisibili in creatione protulit Deus visibile verbum, velut de tenebris lucem educens. Ex interna mente Dei extitit sermo. Existentiam ego dixi, sicut dixit Deus, Existat lux, et extitit lux. Ea enim similitudine extitit verbi lux, sermo visibilis. In inuisibili patre visibile verbum, post Irenæum et alios docet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, et li. aduersus Praxeam. Talis fuit Dei manifestatio, vt nec angeli essent quicquam de Deo cognituri, nisi quatenus eis per verbi lucem manifestabatur. Erat et ibi alia virtus, alius diuinitatis modus, distinctus, sensibilis, subsistens: non ita pro signo positus, sed occulte agens. Modus primus erat apparitionis, et modus hic communicationis. Modus vterque substantialis, et essentialis. Atque ita est spiritus sanctus substantia vere diuina, sed modo et dispositione certa. Ita se Deus exhibere voluit. Non est hic alia ratio quærenda.

renda. Totum trinitatis mysterium nobis explicuit Paulus his verbis, Deus manifestatus est in carne, iuste cognitus est in spiritu. Trinitas hæc dicitur, seu potius mysterium duplex essentiæ diuinæ, nobis exhibitæ. Natura ipsa Dei, tam verbi manifestatione, quam spiritus communicatione, se vere nobis obtulit, ut post Christum ait Petrus. Duplex hæc est constans via exhibitionis diuinæ, utraque in Christo substantialis, et ab æterno in Deo præformata. Sicut nunc est deitas in Christo sub forma hominis, ita ab æterno erat Christus in forma Dei. Sicut nunc est deitas in Christo sub specie spiritus, ita ab æterno erat modus idem in Deo. Erat iam spiritus in archetypo, quodammodo delitescens, donec cœpit ferri super aquas, et implere omnia. Modo eodem, quo nunc est Deus pater hominis, ab æterno erat pater verbi viuentis, sapientiæ subsistentis, virtutis suæ, et figuræ. Modo eodem, quo nunc est homo filius, erat ab æterno verbum filius. Genuit ab æterno pater filium hunc ineffabili sapientiæ cogitatione, præparatione, constitutione, prolatione, exhibitione, cuius modum nec angeli plene sciunt, ut ait Irenæus. Si ineffabiles sunt modi diuinitatis, in rebus aliis, multo magis est ineffabilis in Christo tota plenitudo, et modus eius æternus. Ineffabilis est et modus, quo statuit Deus, virtutem spiritus sanctificantem, quam miro consilio statutam ait Clemens. Mira utrinque verbi et spiritus œconomia, externa et interna, hypostasesque perceptibiles. Sicut prodiisse verbum viuens, veluti corporalem diximus, seu essentiam Dei corporali modo exhibitam: ita de essentia verbi se exhibuit essentia spiritus, velut aura quædam, angelo et anima tenuior, quæ creata omnia repleuit. Ad corpus ferre tendebant duæ istæ existentiae, siue duæ exhibitiones Dei, veluti duæ manus, facturæ et gubernaturæ ea omnia, quæ sunt in mundo, omnia corporale quid habentia. Erat spiritus a verbo, quasi ab ore Christi halitus ad omnia viuificanda ab æterno dispositus. Spiritus Dei est generaliter in rebus omnibus:

Y.

at spi-

at spiritus sanctus peculiaris halitus dicitur, ad humani spiritus sanctificationem, aura diuina, pulsus diuinus, sensus diuinus, intus perceptibilis, substantialiter in anima subsistens. Hinc ipse est internus in nobis consolator, virtus in nobis diuina. Voluntate, et consilio Dei, ait Petrus libro nono Clementis, esse huic seculo statutam virtutem hanc, ut seruet electos Christi. In ea quidem virtute, in eo spiritu, seruetur nunc regnum Christi, intra nos consistens. Internum hunc spiritum vocant seniores vicarium Christi, cum externe ipse recesserit. Vicarium Christi agit internus spiritus, sicut vicarium Dei agebat externus fermo. Vicarium Dei nunc agit spiritus sanctus, et Dei nomine in nobis operatur. Spiritus sanctus in nobis loquitur, spiritus sanctus nos mittit, spiritus sanctus vitanda prohibet, et reliquas actiones intus exequitur: externe quoque ei adiungitur angeli ministerium. In hac tanta Dei œconomia, non solum variæ actionis virtutes tres, voluntates, proprietates, et dispositiones: sed personas tres, hypostases tres, essentias tres, in Deo concedimus. Realem quoque in eis distinctionem, ratione adiunctorum, et operationum.

Ex vario insuper orandi modo veram trinitatis rationem colliges, et intelliges, non fuisse olim realem filium, ut nunc est: intelliges, spiritum sanctum non esse rem distinctam, ut tua illusione fingis. Olim patres orabant vnum Deum simpliciter, angelum admiscendo, ut genef. 48. Iudicum. 6. et Hoseæ. 12. Apostoli iam ad filium preces suas faciunt. Ad spiritum sanctum nec ante, nec post incarnationem leguntur seorsim factæ preces: quia nec fuit, nec est, res distincta, ita nobis pro signo posita: sed ad actiones est deitatis substantia ministrata. Quis ad ignem illum, quo examinandus est, seorsim preces fundat? In apocalypsi apertis Ioanni cælis, et in visione Stephani, solus Deus et agnus orantur et adorantur. Seorsim nego spiritum illum orari,
 vt vos

vt vos sophistæ rem distinctam, æqualem patri, cogitatis. Si quis vero bene sentiens inuocet aut ignem Dei, aut spiritum Dei, aut lucem Dei, Deum ipsum inuocat, ei, qui angelos intelligeret, orationem interdicerem, sicut adorationem. Atque ita damno vestrum ad tres illas res orandi modum. Si vere tu oras, ille qui in te orat, est spiritus sanctus, in quo est nobis orandus Christus, qui nobis est positus pro signo. Oramus nos patrem in nomine suo, qui est pater noster: in nomine filii, quem pro nobis dedit: in nomine spiritus sancti, quem nobis communicauit. At limites positos non transgredimur.

Quia vero in hac re, et in plerisque aliis, estis vos patrum limites transgressi, operæ pretium fuerit traditiones veteres paululum expendere. Ceremonialia quædam apostoli ipsi, et apostolorum discipuli tunc obseruarunt, et obseruanda docuerunt, non vt formam legis, sed vt formam doctrinæ. Constat, non fuisse legalia præcepta, vt nunc a Papistis fiunt leges sub anathemate. Imo singuli cucullati sua sibi nunc anathemata faciunt, et execrationes varias, vt impressior sit transgressionis maledictio. Quæ apostoli ipsi in concilio decreuerunt, non penitus ligabant, nec nunc ligant, actō. 15. multo igitur minus bestię decreta ligant. Nullum in eo apostolorum decreto erat anathematum fulmen, sed forma doctrinæ: at sæuissima hæc belua doctrinas conuertit in anathemata. Olim ad continendam sine offendiculo veram Christi religionem et populum, ceremoniis assuetum, sunt quædam ad tempus statuta, et quædam dissimulata: vt de idolothyti, suffocato, sanguine, de capitis rasura, de voti oblatione, olei vntione, et gentium commercio, ab apostolis factum legimus. Iudaizabant aliquando apostoli, præsertim Iacobus, vt apparet, Galat. 2. et actō. 21. Hinc ille Ierosolymis inter Iudæos semper agens,

et ad Israëlitas in Christianismo Iudaizantes scribens, nempe ad duodecim tribus, vsitatam eis olei vnctionem admittit, sicut circuncisionem eis admittebat et reliqua legalia, vt constat dicto cap. 21.

Quorundam dierum celebris erat recordatio, ob res, in eis pulchre gestas, sed non ocium Iudaicum. Resurrectionem Christi, prima sabbati factam, octauo quoque die celebrabant primi Christiani, dominicam esse diem dicentes: a sudore tamen vultus, et manuum opere non cessantes, vt ad Magnesios ait Ignatius, qui nullum nobis ad ociandum docet esse festum. Cunctis diebus vitæ suæ Adamum laborare debere, docuit Deus, idque fuit ius naturale. Non obstat lex sabbati iuxta literam ad tempus postea data, quia sublata est, seu completa. Irenæus, lib. 4. cap. 30. verissime docet, esse nobis quotidianam spiritus quietem absque aliqua sabbatorum obseruatione, instar Abrahæ, qui sabbatis nullis ociabatur, ac etiam instar Adæ. In libello repudii generalem regulam nobis dat Christus, ad Adamum ipsum, velut ad ius naturæ nos reuocans, vt illud obseruemus, tempora non discernentes. Post spirituales Christi doctrinam, vt seniores omnes docent vnica Christianis est naturæ lex, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Ita Christus ait: Hæc est lex, et prophetæ, Quæ vultis vt vobis faciant homines, et vos facite illis. Hanc naturæ legem, in concilio Ierosolimitano, Iudaïsmis explosis, docuerunt apostoli, vt refert Irenæus lib. 3. cap. 12. Idipsum de primis Christianis refert Aelius Lampridius. Aquila, Petri discipulus, apud Clementem ait, Omnis propemodum actuum nostrorum in eo consistit obseruantia, vt quod ipsi pati nolumus, ne hoc aliis faciamus. Legale nullum esse inter diem et diem discrimen, manifeste docet Paulus. Si legem obseruationis dierum sustulit Christus, quis nisi Antichristus eam reducere potest? Clemens Alexandrinus libro septimo Stromatum, non selectis diebus, sed per totam vitam, ait, esse nobis agendum festum, agri colendi, aliæque artes simul exercendæ.

Orige-

Origenes libro octauo contra Celsum, exponens illud Pauli, Dies obseruatis et menses, et tempora, pulchre docet, quotidie esse nobis dominicum diem ad cælestia resurgendi, quotidie pascha, quo verbi carnem iustus edat, quotidie pentecostem, ad spiritus ignem desuper suscipiendum. Spiritualis ergo, vt post Paulum ait Ignatius, erat tunc festorum obseruatio, secundum quam et martyrum dies festos habebant Christiani, vbi recens erat eorum memoria. Episcopi hæc, et alia consensu ecclesiæ faciebant, non vt formam legis, sed vt formam doctrinæ. Quin post fugam et persecutiones congregari licebat, cum vigiliis ieiunia et orationes præmittebant, vt dignius eo die sumerent sacram eucharistiam. Aliquando dabatur eucharistiam quotidie celebrare, aliquando non. Quibusdam etiam quotidie sumere licebat: aliis vero non nisi pœnitentibus et confessis. De quo iam alibi dixi, et in sequentibus aliquid addam, de defunctis quædam præmittendo.

Circa defunctos traditio erat varia. Mortuis sepeliendis solennes quidam adhibebantur ritus apud Ethnicos et Iudæos. Eos nostri dissimulare aliquando cogeabantur, et alii alios excogitabant. Non nulli ossulam eucharistiæ, simul panem et vinum, ipsi mortuo in os ponebant, quasi vitæ æternæ viaticum. Alii baptizabantur pro catechumeno mortuo: alii mortuum ipsum, aqua et oleo simul yngendo baptizabant, vt ait Irenæus. Preces varias pro mortuo fundebant, et eum candelarum igne lustrabant, Februariæ illius Ethnicæ purificationis loco, vt ait Tertullianus. Ob has tamen varietates, modo Christus vnus prædicaretur, non soluebatur vnitas ecclesiæ, vt postea factum est per Papæ tyrannidem. Nec idolothyta, nec Iudaismi impediabant, quo minus eos vocaret Paulus fratres, licet infirmos. Ad locos, in quibus erant martyres sepulti, quasi signo dato, clanculum passim conueniebant primi Christiani: antelucanos hymnos Christo cantabant, vt ad Traianum scribit Plinius, cum candelis et lampadibus, quia tempus nocturnum id exigebat, Eucharistiam ibi frangebant, imitatione quadam in loco marty-

ris, se ad toleranda martyria excitantes. Martyres laudabantur in missæ sacrificio, scilicet sacrificio laudis, et gratiarum actionis, in quo erat commemoratio martyrii Christi. Non abs re de mortuo erat ibi specialis sermo, cum mors Christi commemorabatur. Aedem aliquam si licebat, ibi ædificabant, et mensas apponebant, ut post prædicationem sermonis Christi commodius de eucharistiæ oblatione fieret sacrum conuiuium. Hinc dicebatur esse illa talis martyris ædes. Dicebatur hæc huius martyris missa, illa illius, id est, in loco sepulturæ, et cum illius recordatione facta oblatio, et sacrificium gratiarum actionis. Oblatio erat, quando panis et vinum a quouis volente offerebantur, seu donabantur. Vnde et in ipsa benedictione hæc dona et munera vocantur. Ita debere nos ad mensam domini offerre, et donare docet Irenæus, lib. 4. cap. 32. et 34. quem offerendi usum vos nequaquam obseruatis, sed in azymis ridicule luditis. Hac potissimum ratione nos ipsi ecclesiæ quotidie benefacimus, quotidie panem et vinum nostrum communicantes. Alii autem ecclesiæ census, ab Antichristi magnificentia inducti, per quos creuit episcoporum opulentia, tollendi penitus sunt. Si Christiani sumus, non deerit ad mensam domini quotidianus panis. Oblata illa ministri accipientes, Deo velut præsentabant, benedicendo, et gratias agendo, quod erat verum laudis sacrificium. Adde, quod munus ipsum dicitur oblatio, sacrificium, victima, et hostia. Philip. 4. et Heb. 13. quia in rem sacram fit, et donatur. Est etiam ibi sacrificium recordatiuum, recordatio, seu commemoratio sacrificii, a Christo consummati. Ipse obtulit ac nobis omnibus donauit se ipsum, nos ita offerre in sui commemorationem præcipiens, toti ecclesiæ communicanda. Ad mensam domini hæc offerebantur, præsertim a ditioribus. Sedebant presbyteri cum aliis sumpturis, præsertim pauperibus, ut refert Pontius Paulinus. Diuites enim non debent in ecclesia potiorum aliis locum tenere, Iaco. 2. Seruiebant diaconi admis-

sis etiam ad seruitium illud probatis viduis sexagenariis. Presbyteri ipsi post dictam benedictionem, et gratiarum actionem, primi frangebant, deinde alii inter se diuidentes, omnes cibo illo et potu reficiebantur eo charitatis symbolo, vere facti participes corporis et sanguinis Christi. Eucharistiam pro more diuidentes, permittunt vnicuique ex populo eius partem sumere, inquit Clemens lib. 1. Stromatum. Plurisque locis veram hanc esse Christi participationem, docet Irenæus. Imo nos secundum carnem et ossa nostra, esse vere participes, vere membra Christi, ex carne eius, et ossibus eius, affirmat initio libri quinti. Exindeque tunc confirmat, carnem nostram resurrectionem ad immortalitatem, quæ alimentum immortalitatis accepit: quæ corpore domini, et sanguine eius alitur, vt ait lib. 4. cap. 34. Idipsum docet Tertullianus in libro de resurrectione carnis, veram esse carnis Christi participationem, ac veram inde sequi carnis nostræ resurrectionem. Cum sit animata carnis nostræ, et ossium nostrorum substantia, est in eis ea, quæ in anima est, participatio carnis et ossium Christi. Eo item quia substantialiter nutriuntur pane illo, qui typus est Christi. Cum sit plasma vnum et carne, et spiritu, dicitur caro nostra intus participare id quod spiritus participat: alioqui caro non prodest quicquam. Contra azymos vestros docent veteres, fuisse Ebionitas, qui in pane azymo eucharistiam facerent. Laudamus itaque, esse locum aliquem congregationis, seu potius liberi conuentus, ne videatur esse pecorum congregatio coacta. Laudamus quotidie parari mensam domini. Laudamus, in quouis loco, et quauis hora, cum probatis episcopis, seu presbyteris, a sponte conuenientibus cæuari, cantare laudes, cum ieiuniis et orationibus, intelligibili voce. Sed Antichristi leges, et ceremoniales characteres non laudamus.

De ieiuniis vero nunc dicemus, de carnis et vini intermissione, quæ omnia vos nedum contemnitis, sed quasi stulta ridetis. In ieiuniis et orationibus, etiam pro episcoporum et presbyterorum arbitrio, ubi casus aliquis exposcere videbatur, aliquando indictis, nulla erat impietas, imo pietas, imitatio Christi, et erga præpositos obedientia. Apostoli ieiunium et orationem indicebant, ubi opus aliquod aggrediebantur, vel ad ministerium mittendis manus imponebant, act. 13. et. 14. Ioannes ieiunium indixit, antequam euangelium scribere aggredieretur. Petrus apud Clementem ieiunium baptizandis indicebat. Illud verum est, quod ieiunium legis carnale, sicut et reliqua, compleuit Christus, et vertit in spirituale, videlicet, abstinentiam a vitiis, seu carnis operibus. Nihilominus sui imitatione corporalia ieiunia nobis commendat: quod apostoli et discipuli obseruarunt. Ieiunium non solum est corporalis exercitatio, sed spiritualis, cum per eum spiritus viuificetur. In quadragesimæ ieiunio esse imitationem Christi, docet Ignatius in epistola ad Philipenses. Quod tamen ipse non præcipit, nec contemnendum dicit. Usque ad Victorem varie ieiunabatur quadragesima, et libera res erat, ut vetustissimi omnes docent, et citat historia tripartita, lib. 9. cap. 38. Idem de carni et vini abstinentia docet Ignatius in epistola ad Heronem. Regula Pauli est hic tenenda, ut unicuique suus mens satisfaciatur, Rom. 14. Si quadragesimam quis ieiunet, et alibi probo, et consulo post suum baptismum, instar Christi. Tunc ieiunabis et orabis, ut datus spiritus carne mortificata magis viuificetur. Moses ita ieiunauit in datione legis fœdus Dei melius imprimens, exo. 24. et 34. Elias post virtutem spiritus ita ieiunauit, melius tunc videns et audiens Deum, 3. reg. 19. Antichristi igitur legem ut scripturis contrariam improbo. Abstinentiam liberam probo, et carnis, et vini, et aliorum carnem lasciuire facientium: non insana voti perpetuitate, sed ubi quis ita iudicat. Abstinentia illa manifestam facit carnis mortificationem, digna res, quæ cum oratione fiat, non quæ ri-

quæ rideatur. Natura nos hic quoque docet. Nam iis, quos spermatis vitium molestat, indicunt naturales medici a carnibus et vino abſtinentiam, Quanto magis propter Chriſtum ſe ſponte ita caſtrabit, qui cæleſtis, aut ad tempus vxore carens, ſe ita tentari cognofcit? Cum præſertim ſciamus, ieiunium cum oratione eſſe ad carnis mortificationem eſſicaciſſimum, et ſpiritum noſtrum non aliter contra dæmones vim ſuam habere, niſi per orationem et ieiunium, vt teſtatur ipſe Chriſtus. An Timotheum vos ridebitis, qui vino abſtinebat? An Petrum, qui carne plurimum abſtinens pane ſolo, cum oliuis et oleribus veſcebatur? De Petro id refert primus Clemens. De Marco et eius diſcipulis ait Philo, et citat Euſebius, quod uſque ad occaſum ſolis frequenter ieiunabant, a vino et carnibus abſtinendo, vt ſola aqua eſſet eis poculum, et panis cum fale vel hyſſopo cibus. Matthæus apoſtolus, teſte ſecundo Clemente, feminibus et oleribus, abſque carnibus utebatur. Reſpondes tu, vos non prohibere, ſi quis cum Ioanne baptiſta aquam bibat, et locuſtis veſcatur. Non prohibetis, ridetis tamen, et dicitis, nihil prodeſſe. Carnis macerationem, quam Epicuriſmus veſter fortius reiicit, legiſti apud Irenæum, qui lib. 3. cap. 35. aperte docet, Adamum pœnitentem folia ficus aſpera elegiſſe, vt carnem maceraret, et petulantem carnis impetum retunderet. Vnde et Deus erga pœnitentem ſuam miſericordiam indicans, pelliceam dedit tunicam, quæ ultra mortalitatis indicium, indulgentiam quoque ſignificabat, et futuræ veræ ouis amictum. Quid inſuper Paulo dicetis, qui caſtigabat corpus ſuum, et mortificationi ſubiicebat? Chriſtus ipſe in ſacco et cinere pœnitentiam probat. Matth. 11. in maceratione et ieiunio cum Niniuitis, Lucæ 11. In ſauilla, cinere, cilicio, nuditate, ieiunio, fletu, et planctu, Iob. 42. Ioëlis 2. Ionæ 3. Dani. 9. et 2. Samu. 15. et 3. reg. 21. Per hanc placari dicitur ibi Deus. Has macerationes in prima eccleſia libere a plerisque fieri, etiam publice, Tertullianus docet in libro de pœnitentia, et Euſebius in eccleſiaſtica hiſtoria lib. 5. ca. ultimo.

Adde lachrymas Petri et mulieris peccatricis, Matth. 26. et Lucæ 7. percussione pectoris publicani et aliorum, Lucæ 18. et 23. Satisfactiones hæc quodammodo dicebantur, vna cum ablatis restitutione: sine quibus pœnitentia fere simulatur, non perficitur. Ad iungere ista debuisses tuæ contritioni, et conscientie terroribus, in tractatu pœnitentiæ. Id ego fateor, absque macerationibus his, et absque satisfactionibus externis, esse posse pœnitentiam, et peccata omnia pœnitenti fide remitti. Nihilominus hæc ibi maxime profunt, fidem et spiritum seruant, magis viuificant, carnem mortificant, gloriam augent, et peccati pœnam tollunt. Per hæc Deo quodam modo satis fit, per quæ ipse aliquo modo placatur, ira minuitur, et gloriæ merces augetur. Per hæc remitti peccata, et nos fieri candidiores, docet ipse Deus. Esa. 1. et 58. Vere ait Daniel, Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miseratione pauperum. Vera est regula Christi de miseratione, remetiendo, et remittendo nobis, ad eam mensuram, qua nos aliis miseremus, metimur, et remittimus. Aliqua igitur est factorum commensuratio, et ad peccati remissionem aliquid facit operum accessio, maxime in quotidiana remissione post regenerationem. Ad quam rem pulchre facit dictum Clementis Alexandrini, lib. 4. Stromatum, Peccata ante baptismum commissa simpliciter dimitti: postea autem castigatione quadam expurgari, nostroque opere tolli.

Opus nostrum dicitur pœnam peccati luere, debito utcumque satisfacere, et ad peccati remissionem aliquid efficere, actione quadam dependente. Christus satisfecit patri, et pro peccato Adæ, et pro reliquis omnibus. Peccatum Adæ sua morte luit Christus, id efficiens, ut et nos morte nostra id luamus, ac debito utcumque satisfaciamus. Paulus ait, mulierem a sua prima transgressione saluari per generationem liberorum. 1. Timoth. 2. eo quod dolore par-

tus

tus pœnam eius peccati luit. Eadem ratione dicimus, virum sudore et labore saluari, pœnam peccati luere, atque ita iudici Deo aliquo modo satisfacere : si manserit in fide, et dilectione, vt annectit ibi Paulus. Docet Irenæus lib. 3. cap. 33. Adamum tam in hoc mundo, quam in inferno, pœnas luendo, impleuisse tempora suæ condemnationis vsque ad plenitudinem temporum, in qua venit Christus reducere ouem, quæ perierat. Cain pro peccato suo pœnam arbitrio Dei luens, Deo quodammodo satisfecisset, si ita contritus mansisset in fide, et dilectione. Ipsis enim pœnis inflictis placatur Deus, cum quis patienter suffert : atque ita ad salutem faciunt pœnæ. Ita quis a peccato per ignem saluatur. Ad peccati remissionem facit opus nostrum, iram Dei, pro peccato illo excitatam, leniens. Dauid numeratione populi, et adulterio reus, tam pœnis inflictis, quam suis deinde factis, iram Dei placuit. Vt nostris malefactis exacerbatur, ita nostris bene factis placatur Deus. Specta ipsum Achab, indutum sacco, placare iram Dei orationibus et ieiuniis, sicut Manassen, et Niniuitas. Orationes Moïsis et Samuelis, iram Dei leniendo, peccati remissionem obtinuerunt. Est vere argumentum efficax, Si opus, seu factum nostrum iram Dei lenit, iram Dei, pro aliquo peccato excitatam, lenit : atque ita, ad peccati illius remissionem, facit opus illud, actione dependente. In actionibus enim subordinatis, maior causa non tollit actionem minoris : nec ad portionem effectus quæque illarum agit, sed ad totum : illa primario, hæc secundario. Quodcumque fit Deo acceptum opus nostrum, iram eius pro peccato excitatam leniens, iam dicitur illud Deo vtcunque satisfacere, et peccati pœnam tollere. Est igitur in nostris operibus accessio aliqua, pendens ab eximio illo opere passionis Christi, quod fuit caput omnium operum : opus
pro

pro omnibus satisfaciens, opus pro omnibus pœnam luens, ac supremam iram tollens. Si opera nostra nihil ad gloriam vel pœnam prodesse possunt vel obesse, quorsum ad stateram appendentur singula iudicio finali? Si opera mala spiritum fidei lædunt, quare bona eum non iuuant? Quorsum ministerium vestrum, in ecclesia, si eo non iuuamur. Si alieno vestro opere ad salutem, et peccati remissionem, vere iuuamur, quare non et nostro?

Circa ecclesiasticum ordinem, scimus ex Paulo, debere omnia secundum ordinem fieri. Ob id esse episcopos, presbyteros, et inferiores alios ministros, suffragiis electos, et a senioribus constitutos, seclusis Antichristi superstitionibus, characteribus, bullis, et pecuniæ sigillis. Ordines hi distinctionem hanc habebant. Aut iuniores, aut minus exercitati, ut plurimum constituebantur diaconi, potissimum ad mensæ ministerium, deinde ad doctrinam et baptismum. Non diaconorum, sed presbyterorum erat imponere manus, quæ ob id dicebatur impositio manuum presbyterii. Inter episcopos et presbyteros hoc fuisse discrimen, alibi diximus, quod aliquando iidem omnino erant episcopi et presbyteri, aliquando quis potior habebatur episcopus, omnes solæ aliorum seniorum manuum impositione, cum ieiunio et orationibus constituti, ad ministerium ordinati, seu destinati. Nulla erat dominandi potestas, sed docendi et ministrandi. Ignatius et Clemens, urgente erga neophytos periculo, plurimum laudant obseruari prælatorum Christi ministrorum doctrinam et exemplum. Id ipsum Paulus et alii apostoli docuerunt. Non a bestia precio tunc dabantur ministri, sed probati ad docendum eligebantur, præsertim seniores. Nunc ordine turbato omnia nobis euertit Antichristus. Quia deseruit nos spiritus domini, omnia in nobis præpostere fiunt. Nisi ipse Christus ecclesiam suam nobis restituat, et spiritu suo dirigat, rationes humanæ nihil prodesse possunt. Orandus igitur dominus, ut mittat operarios. Messis namque multa est, et magno affectu parata. Perditionem omnes videmus, quæ ex Antichristi et satellitum eius opulencia maxime cœ-

me cœpit. Quo modo illi poterant Deo seruire et mamonnæ? An non euangelium Christi est euangelium pauperum?

Perditionem hanc, ad summam fatanæ perniciem, auxerunt infernalia ad eruendos manes sacrificia lucratiua. Adde munera, quæ in dies offeruntur, ad idola, seu imagines sanctorum: quas et maioris lucri gratia diligenter ipsi colunt, cum Valentinianis dicentes, imaginem Christi esse tunc factam, quando egit cum hominibus. Quod esse fabulosum, docet Irenæus lib. j. cap. 24. Scriptura ubique docet, fugienda esse omnis generis idola, præsertim nobis, qui solo spiritu esse adorandum, scimus. Interne in nobis spiritu adoratur Christus, non externe in statua. Hæc sola ratio conuincit, imaginum cultum esse fanaticum, quia est Papisticus. Ratio euidens est, si credis Papam Antichristum, contraria semper religioni Christi facientem.

Alia est colorata traditio facientium imaginem crucis in fronte et aliis locis: quia apud Ezechielem et Ioannem legunt, fuisse factum signum in fronte. Sed signum illud fuit nota sanguinis, nota martyrii, vt Ioannes ipse satis declarat. In veteri quoque testamento erat nota sanguinis, in fronte liminis domus, Exo. 12. indicans, sanguine nos seruandos ab interitu. Ob id tamen non sequitur, debere nos sanguine frontem oblinire, aut ipsum adorandum pingere. Ergo nec patibulum adorabimus, nec eum in fronte faciemus, etiam si visum esset signum patibuli. Crassa est eorum ignorantia, qui signum Hebraicæ literæ tau esse aiunt cruci simile.

Hac item ratione nos vrgent, Si Christus est imago Dei, licet imaginem adorare. Licet plane illam adorare intus imaginem, quam fecit Deus, non quam quis sibi facit. Ita prohibuit Deus, ne quis sibi faciat imaginem. Ita Paulus arguit eos, qui mutauerunt gloriam Dei in imaginem a seipsis confictam, et externe adoratam. Imagines cherubim, a Deo institutæ, non arguunt, esse adorandas imagines, a nobis institutas; cum præsertim illæ non adorarentur, sed aliam tunc

in vñ-

in vmbra haberent myſterii rationem.

Eſto vero, idolum nihil ſit, An defunctorum ſanctorum dicemus, nullas eſſe pro nobis preces? Pro nobis orare beatas animas, multis rationibus oſtenditur. Primo, quia angeli pro nobis orant. Zacha. 1. de noſtra ſalute gaudentes, Lucæ 15. et animæ beatæ ſunt, ſicut angeli, quanquam nondum in ſtatu perfectio. Secundo, anima damnata erat de viuentibus ſolicita, et pro eis orabat, Lucæ 16. ergo multo magis anima beata. Tertio, charitas nunquam excidit, 1. Cor. 13. diligunt ergo nos animæ beatæ: dilectionis autem actus eſt orare. Quarto, Chriſtus ipſe pro nobis orat, ita qui cum eo ſunt, et idem volunt. Quinto, mortuorum orationes exaudiri petit Baruch, capite tertio. Sexto, animas orantes vidit Ioannes in apocalypſi. Orant ibi, benedicunt, et gratias agunt animæ ſanctæ. Animas apoſtolorum et prophetarum ait Ioannes gauifuras, quando perdetur Babylon. Ita ſenex ille, ab Irenæo citatus lib. 4. cap. 50. docet, beatas animas gratias agere, et de noſtra ſalute gloriari. Sed an ad eas animas, aut ſingulas earum dirigere nos debeamus peculiare preces? Hoc ſcriptum non legimus. Peculiare actus noſtros non ita diſcernunt animæ dormientium: ſed quantum illis datur, pro nobis generaliter orant. Non quod pro tua in talem animam oratione, illa tibi certum quid rependat, aut tibi idolum fieri cupiat. Nec animæ, nec angeli, ſunt noſtræ orationis ſcopus, nec nobis pro ſigno poſiti. Idolum habet in animo, qui talem animam, aut talem ſibi interceſſorem diligit aut cogitat. Animas vero ſeparatas habere formam hominis, docet Irenæus libr. 2. capit. 33. 63. et 64.

Alia fuit Ioannis diſcipulorum vera ſententia, ex Ioannis ipſius reuelatione, de regno mille annorum, poſt victum

ctum Antichristum in terris futuro, quod nos nunc experiemur, quanquam tu cum vulgo Papistico feniores illos omnes, et apostolicos viros, vt chiliaftas rideas. Ciuitas illa cælestis in nobis erit, et Ecclesia Christi vera nobis nunc videbitur. In cælestibus spiritibus congregatio sancta semper est, vt ait Apostolus Heb. 12. a terris autem fugata est ad annos mille ducentos sexaginta, apoc. 12. Ecclesia Christi, quæ nunc est sursum inuisibilis, per restitutionem fiet visibilis, et nos ipsi cum eis erimus Christi ecclesia, cum Christo regnantes super terram, vt ait Ioannes. Ridiculi sunt vobis, qui hanc gloriosam ecclesiam in terris expectant, immaculatam: quam Christus vocat columbam suam, dilectam, totam mundam, totam pulchram sine macula. Idipsum ait Paulus Ephes. 5. et Ignatius plerisque locis. Post regenerationem erimus nos mundi, et immaculati, secundum internum hominem, qui vere cum Christo regnat in cælis, verus rex. Omnis gloria reginæ ecclesiæ intus est, psal. 44. In hoc regno cælorum non est puer, aut infans aliquis, sed omnes sunt adultæ et plenæ ætatis, vt docent prôphetæ. Non recipit hoc regnum, nisi eos, qui parati sunt ad regem ipsum fuscipiendum, vt docet Christus. Non putamus, armis carnalibus parari regnum hoc, vt tu criminaris: nec defuturos malos, dicimus: imo erit semper maxima copia, quæ afflictionibus bonos exercebit. Mali sunt pars ecclesiæ, commixtione corporali, non vinculo spiritali, in quo est cælestis ecclesiæ connexio. Ecclesiæ huius cælestia gaudia non impediuntur ob malorum admixtionem, nec ob crucem, nec ob persecutiones. Tragœdiis tuis, et Ethnicorum exemplis, quæ præter rem semper inculcas, ac tuo etiam pseudoiudaismi vinculo omnia nobis tristissima facis: cum prophetæ omnes, et angeli ipsi de cælo, gaudium et lætitiâ in Christo semper annu-

nuncient. Muliebribus paucioribus te ipsum ubique territas, sub maledicto legis semper constitutus. Cum Tatiano hæretico doces, Peccatum originis, quod infantes nunc in inferno detinet, non esse finali iudicio tollendum, sed æternas illis superesse pœnas. Vtinam, Philippe, grammaticus adhuc esses, in tuo Hellenismo semper versatus. Vtinam in Christianismum non ita irrupisses, bonis mentibus tanto impedimento futurus, quo minus cœlestia sapiant, et cœlesti regno fruantur.

Fanaticos tu clamas furores, qui de cœlesti Christi baptismo sunt diuini sermones, quos tu impudenter cauillaris. Spiritus sanctus tibi, et tuis animalibus infans furor censetur. Quemadmodum olim vulgus Iudæicum prophetas ipsos, qui de regno Christi sublimiora videbant, ut furiosos, et insanos habebat: ita vulgus vniuersum nunc facit. Atque ita semper fit, ut qui Christum præ aliis vident, crucem patiantur, et persecutiones. Pædobaptismum frigidissimis rationibus laudas, solo fere pseudoecclesiæ usu, quem tu ipse ubique laceras. Si ecclesiæ Antichristi est ille pædobaptismi usus, iam sequitur, contra Christum esse, et merum abusum.

Quid igitur de baptismo sensit prior ecclesia? Id ipsum, quod Christus et apostoli. Ex Luca tibi constat, non esse tunc ad baptismum vocatos infantes, cum solum vocarentur discipuli, act. 11. Nullus erat tunc Christianus, nisi discipulus, ergo nullus erat tunc infans Christianus. Pauli scopus erat, discipulos facere, ut ipse ait. Christus item præcepit, ut apostoli discipulos facerent, quos baptizarent. De baptismo usque ad Marcionitas pie sensit ecclesia, et ea hæresis pædobaptismi occasionem induxit. In Asia, Africa, ac etiam in media vrbe Roma, ut ex Tertulliano constat, docebant Marcionitæ, non esse baptizandos, qui uxores haberent, sed tantum cælibes, aut in extremo vitæ articulo, ut ita in cælum migrarent. Preciosa adeo res tunc censēbatur baptismus, qui cælestes homines faceret. Baptismum differendum consulebant, ne quis
temere

temere relaberetur, sed purior in mortem usque permaneret. Ei vero Marcionitarum vitio occurrentes Romani, incauti ruerunt in contrarium vitium: et inducta mox consuetudo paruulos baptizandi, instante Regno Antichristi, ut sublata virtute spiritus baptismi, superaret virtus draconis. Apostoli vero et apostolorum discipuli, ubicunque de baptismo loquuntur, doctrinam, poenitentiam, et fidem adiungunt, et baptizatos ad eucharistiam mox ducunt. Hinc ait Clemens Alexandrinus, lib. I. Pædagog. cap. 6. Dominico nutrimento statim postquam regeniti sumus, alimur. Ex hac eucharistiæ ad baptismum coniunctione intulit falsus ille Areopagita, in fine suæ ecclesiasticæ ierarchiæ, infantes ad baptismum et eucharistiam simul admitti, baptismo perduto eucharistiam quoque pessundans. Sine doctrina, poenitentiam et fidem continente, nunquam de baptismo loquutus est Christus, nec Ioannes baptista, nec apostoli, nec euangelistæ, sed Antichristus et ipsius ministri, sophisticis quibusdam rationibus. Tuarum rationum tuipse nec principium, nec finem intelligis. Nescis, quod sit peccatum infantum, nec quis infernus, nec quod regnum cælorum, nec qualiter illi sanctificentur.

Irenæus ait, Christum per omnes ætates transiisse, ut omnes sanctificaret. Quanquam ipse dominum ad senectutem venisse dicat, nos in ea re Ignatio et reliquis omnibus magis credimus. Omnes quidem ætates sanctificauit Christus, ut erant sanctificationis capaces. Occisos infantes ipsa occisione sanctificauit, sibi in Bethleem martyres nasci fecit, ut ipsemet Irenæus exponit. Alios eam ætatem agentes, per manuum impositionem sanctificauit, et præparauit, dæmonis in eos coercendo potestatem: quos ob id improprie dicas renasci. Adultos vero sanctificauit per fidem, per aquæ et spiritus regenerationem et cibum cælestem.

Quod alia in primitiua ecclesia fuerit baptizandi ratio,
Z. quam

quam nunc sit, ultra iam dicta, testatur Consuetudo Corinthiorum expectantium tempus completi catechismi. Si fides ecclesiæ ad baptismum non sufficit puero vtcunque credenti, multo minus sufficit infanti nihil credenti. Consuetudinem item prioris ecclesiæ in baptizando esse mutatam, aperte nobis testantur, Origenes, Ambrosius, et Basilius magnus. Ex Origene tu citas, paruulis dare baptismum, dici ecclesiæ traditionem, ab apostolis acceptam. Traditio ita vulgo iactabatur. In tanta ecclesiarum dissipatione, persecutionum acerbitate, et scriptorum penuria, traditiones varie tunc citabantur. At ex ipsomet Origene, et plerisque aliis constat, rem aliter habuisse apostolorum temporibus. Origenes in caput sextum epistolæ ad Romanos, apostolorum temporibus, inquit, non baptizabantur infantes, vt nunc fieri videmus. Non solus typus mysteriorum, sed virtus eorum, ac ratio, baptizandis tradebatur, tanquam scientibus et edoctis. Quod qui baptizantur, in mortem Christi baptizantur, et consepeliuntur illi per baptismum, vt sicut Christus resurgens a mortuis per gloriam patris, ita in nouitate vitæ ambulare debeant hi, qui baptizati sunt. Hæc ille. Ambrosius in caput quartum epistolæ ad Ephesios, per ordinationes ecclesiæ, ait, esse rem hanc aliter compositam, quam cœperat. Primum enim docebant, et baptizabant. At postea cœpit ecclesia alio ordine gubernari, quam antea. Similia docet Basilius magnus in tractatu, cui titulus est, Quomodo instruendi, monendique sint, ad baptisma venientes. Adde baptismi diffinitionem, quam ponit Tertullianus in libro de pœnitentia. Est obsignatio, seu lauacrum fidei, quæ a pœnitentia incipit. Non ideo, inquit, aluimur, vt delin-

delinquere definamus, sed quia desimus, et poenitemus. Poenitentiam primam ibi vocat ante baptismum, poenitentiam secundam post baptismum. Idipsum plerisque locis docet Clemens Alexandrinus, qui et nos ad exemplar Christi baptizandos esse, palam ostendit, libro primo Pædagogi, capite sexto. Ex quibus omnibus satis intelligis, imposturam superadditam esse infantium baptismum sine poenitentia, et catechismum ridiculum, sicut fuit ridiculus catechismus, et baptismus, ab Athanasio puero factus, et ridicule ab ecclesia comprobatus. Hæc sola ratio est valida, quod Antichristi doctrina est pædobaptismus. Christus est nobis potius imitandus, ut paruulis manus orantes imponamus, et adultos ad fidei baptismum instruamus.

De baptismo, qui fit in martyrio, per proprii sanguinis abluitionem, et de eo, qui per ignem futurus est in fluuio igneo, ut libris apertis in iudicio compareant mundandi, pluribus hic esset agendum. Video enim, vos non credere, talem esse ignem fordes purgantem, nec credere, iudicium fore per ignem. Hæc sola ratio vobis sufficere debuit, Quod nihil inquinatum admittetur ad gloriam illam resurrectionis: credentium autem et iustificatorum plerique decedunt cum variis fordium inquinamentis, habentes adhuc ligna, fœnum et stipulam. Oportet ergo talia igne cremari, et ipsos repurgari, ut ait Paulus. Ratione poenæ, hic inflictæ, vos conceditis, quem a peccato per ignem saluari. Quid si illa hic non sit inflicta? Necessè est, fordes illas alibi tolli, et eum igne repurgari. Ita docet Irenæus libro 4. capite 8. 9. et 56. baptismum ignis esse futurum, et ventilabrum igneum, in area

triticum emundans. Petrus libro primo et quinto Clementis, animas ait esse resolutione purgandas, et per ignem traducendas. Hoc modo baptismum ignis expurgantis docet Ioannes baptista, ei adiungens ventilabrum expurgationis, et palearum combustionem. In id concordant Malachias, et alii prophetae. Quemadmodum Christus nunc credentes assumit, et animas sibi credentium post decessum assumit: ita hic et ibi assumendo purificat, et ignis spiritus sui conflagratione sordes expurgat. In finali omnium iudicio ignis ante eum præcedet, ut ait propheta. Ignis de cælo descendens comburet singulorum oblationes. Aliqua ostenditur iudicii punitio, citra gehennam perpetuam, Matth. 5. Ignis in iudicio præcedet, cælum et terram incendet, cum animæ corporibus inducentur: et tunc, quod purgandum supererat, purgabitur. Quicquid in ignem venire potest, est igne purgandum, ut ad purum excoquatur scoria nostra. Ad hanc purgatorii ignis pœnam, aut minuendam, aut tollendam, accessione quadam possunt nobis prodesse charitatis opera, eleemosynæ, ieiunia, orationes, pœnitentia, et confessio, sicut et aliæ a Deo hic nobis inflictæ pœnæ, ut docet Petrus, citato libro quinto. Et in hoc seculo, et in futuro purgantur saluandi, sicut quædam peccata in hoc seculo remittuntur, quædam in futuro. Adde quod obiecti sunt paradiso cherubim cum flammeo gladio, seraphim comburentes, fluuius igneus, omnia in empyreo ignea. Eo nihil ascendit, nisi holocaustum, totum combustum, oblatio sine fermento, et victima igne salita.

Sed an pro ipsis ita defunctis, et purgandis nos orabimus, baptizabimur, et eucharistiam offeremus? Hoc falsarii, ex corrupta Machabæorum traditione contendunt. Quomodo id contendunt ex lege, aut eorum autoritate, qui erant sub lege, cum lex ipsa damnet, pro mortuo quicquam offerre? Ridiculum plane, vel Iudæis ipsis testibus, est hoc commentum. Morte est iacta alea. In quamcumque partem ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ibi manebit, ut capite vndecimo ait ecclesia

ecclēſiaſtes. Homo moriens dicitur migrare ad domum ſeculi, ſeu domum ſuæ æternitatis, in qua manſurus eſt uſque ad diem iudicii, Iob. 30. pſal. 48. et eccleſiaſtes. 12. Redimere ibi nemo alium poteſt, ut aiunt Iob et Daud: ſed expectanda eſt finalis ſententia. Ex factis propriis quiſque accipiet, non ex factis alterius. Galat. 6. et 2. Cor. 5. Pro quibus tu orabis? Qui ſine regeneratione Chriſti decedunt, in inferno manebunt, uſque ad finale iudicium. Ibi nulla eſt redemptio. Qui in regeneratione dormierunt, a Chriſto ſunt aſſumpti, et in dæmonum manus nequaquam traduntur. Hoc eſt animaduertendum, quod in Chriſto regeniti, ob ſtipulam illam ſuperædificatam, non ſentient illum dæmonum infernalem ignem, quem in ſuo purgatorio ponunt paſiſtæ: ſed igneam per ſpiritum Chriſti deſlagrationem. Nefas eſt igitur, ſi quis dicat, eſſe orandum pro talibus defunctis, ne illos Chriſtus aſſumendo purificet: quaſi in eorum pernitiem nos oremus. Neceſſe omnino eſt, illos morte expiari, et ſuum ignis baptiſmum perficere. Preces ergo pro Chriſtianis defunctis, ſunt pro ipsis gratiarum actiones, non ipſorum expiationes. Pro funere laudatur oratio, ut in gratia Chriſti decedentibus ſimiles nos efficiamur. Hoc nobis prodeſt. Illis quoque poteſt gaudium aliquod afferre, ſicut nobis reſipiſcentibus gaudent in cœlo angeli, et animæ beatæ. Hoc non ideo eſt, quia nos pro ipsis oramus, ſed quia nos emendamur. Hoc eas non expiat, nec tantillum loco dimouet, ut iactant ſacrificuli. Ridiculum eſt, quod aiunt, auolare animas, ut olim aiebant impoſtores. Ezechie. 13. Non oportet igitur nos pro mortuis eſſe ſolicitos, ut poſt Chriſtum ait Paulus. Eccleſiæ Antichriſti eſt ille mortuos redimendi uſus, eſt igitur abuſus, et auaritiæ impoſtura.

Defunctis itaque in ſua pace dimiſſis, ut primitiuæ eccleſiæ traditionem abſoluamus, ad viuos paululum redeamus, quibus confeſſionem prodeſſe diximus. Confeſſionem illam, quæ ſit preſbyteris, diximus, infir-

mis prodesse, vbi conscientia ipforum dubitatione premitur. Atque ita esse illam constitutam in christiani hominis arbitrio et conscientia. Ad necessitatem tamen illius confessionis in quouis delicto nos cogunt sacrificuli pseudoiudæi, quia olim talis erat necessitas, confessionis in singulis delictis, et singulis oblationibus, Leuit. 5. et Nume. 5. Item quia præcepit Christus leprosos se ostendere sacerdotibus, vt olim præcipiebatur, Leuit. 14. Hinc suam legem sub Anathemate condidit Antichristus. Sed ad hæc responsum sæpius est, necessitatem legis esse per Christum sublatam. Ostensum est, Christum esse omnium complementum. Ille est vnicus sacerdos, vnica sui oblatione diluens peccata omnia confitentium sibi. Variæ olim oblationes varias confessiones secum habebant: nunc vero secus, cum sit vnica oblatio. Adde, quod confessiones illæ non erant auriculares, sed coram Deo, et maxime, super errore vel ignorantia, vt ibi declaratur. Quod de leprosis dicitur, locum non habet in hac confessione, quam faciunt hi, qui sunt in ecclesia: leprosi enim erant extra congregationem. In reducendis hæreticis, aut publice excommunicatis, locum similem habet ratio illa leproforum a congregatione expulso- rum. In ea reductione duplex erat consideratio, ambiguitas factæ mundationis ipso- rum, et periculum contagionis aliorum. Ob id ad sacerdotes misit dominus leprosos, de quorum sanatione exigebatur ipso- rum testimonium. Simili ratione, in reducendis expulsis nos exigimus ministrorum ecclesiæ testimonium: si ambigitur, eos esse mundatos, et ne contagio aliqua sequatur. Ministri testantur, et consulunt, non imperant. Expulsio vel reductio sit suffragiis totius ecclesiæ, videlicet eorum omnium, qui ad cænam domini in vnum conueniunt. In ea re veteres confessionem publicam exigebant, ad publicam alio-

cem aliorum ædificationem, ac etiam terrorem, sicut et Paulus docet, peccantem esse coram omnibus arguendum, ut reliqui timorem habeant. Publice expulsus, publice reducendus est, ut secunda ad Corinthios epistola docet. Id autem, quanto mitius fieri potest, faciendum esse, docet Christiana mansuetudo, ne ob nimis pomposam illam exomologesim abstrahantur plerique ab ecclesia. Hinc ait Ignatius ad Philadelphienfes, Rogo vos in domino, quicumque poenitentes venerint ad unitatem ecclesiæ, suscipite eos cum omni mansuetudine. Nos non possumus quem omnino repellere, ut temere faciebat Nouatus: quia nescimus, quis fuerit vere illuminatus, nec quis omnino a fide Christi sit prolapsus, nec quis in spiritum sanctum ita peccarit, ut non sit reparandus. De manifestis nos utcumque iudicamus, occulta vero Dei sunt iudicia. Piæ sunt hæ seniorum traditiones, et doctrinæ, ab euangelica veritate nihil recedentes. Quæ vero spectant ad characterem bestię, idololatricam, et sacrificulorum auaritiam, fugiendæ nobis sunt.

PRO suprema iam huius apologiæ manu, ut diuinæ triadis mysterium fiat adhuc magis perspicuum, leuia quædam obiecta propulsemus, seniorum dicta de creatione verbi defendendo. Diximus aliam esse sermonis dispensationem post incarnationem, quam ante: et aliam dispensationem per creationem, quam ante. Aliiter nobis dicitur sermo, ut erat ratio in mente diuina, et aliter post prolationem, in creatione factam. Nihil nunc creat Deus, cui se prolatione quadam non exhibeat, et communicet. Longè vero insignior in mundi creatione fuit prolationis exhibitio et communicatio. Fuit patefacta exhibitio rationis Dei, apertio, prolatio quædam, modus ostensionis essentiæ verbi, angelis et Adæ factus, et modus communicationis in spiritu. Hæc erat verbi et spiritus creatio, externa constitu-

tio, acquisitio, et formatio, vt ait Salomon. Hoc modo sustinentur, qui dixerunt, ante creationem nec fuisse λόγον, nec pneuma, nec רִבְרָא nec רִוַח nec sermonem, nec spiritum. Quia proprio significato in omnibus his linguis significatur externa loquutio et spiratio. Dixerunt item, ex sophia prodiisse logon, sicut Tertullianus contra Hermogenem, facit sapientiam sermone priorem, sapientia cordis emittente sermonem bonum. Contra Praxeam aperte docet, fuisse in ipsa creatione natiuitatem sermonis. Creationem sermonis dixerunt Clemens Alexandrinus, et Dionysius Alexandrinus, vt in Origenem a Rufino citantur. Semel et iterum ait Philo, Deum fuisse ante verbum, antequam crearetur verbum. Post Trismegistum canit Orpheus, Verbum esse vocem patris, quam protulit ipse primum, consiliis eius cum constitit orbis. Id dictum Orphei, siue Trismegisti, vt ait Suidas, laudat Iustinus in apologetico. Ignatius verbum ita creatum scribit, sapientiam creatam, quemadmodum et Iesus Sirach. Excusari omnia possunt, si Arrianorum et sophistarum metaphysicas realitates tollas. Seniores nunquam in his quaestionem fecerunt, in quibus postea sunt a sophistis magnae de creato verbo excitatae tragœdiæ. Oportet ergo seniores illos quid aliud sensisse, quam sophistas. Sapientia illis erat antea, velut intus in mente diuina: et in ipso creationis exordio fuit apertio, fuit personalis quædam sapientiae creatio, prolatio, expressa exhibitio, personæ Christi in Deo externa constitutio, expressio, formatio. Ipsismet Salomonis verbis vtor. Sicut apud Salomonem, ita apud Esaïam dicitur olim in Deo creatio et formatio, ipsius Christi facta in Deo creatio et formatio, Esa. 45. et 46. Cogita cum Esaïa, Christum hominem dici iam olim in Deo creatum et formatum. Sicut cum Ioanne quis concedit, regenerantem illum spiritum gloriæ Christi ante resurrectionem non fuisse, Ioan. 7. atque ita tunc creatum spiritum nouum: ita quoque cum Salomone et Esaïa sapientiam illam creatam dicet modo et

modo et exhibitione certa. Deus creauit eam in spiritu sancto, et ipsum spiritum sanctum creauit, eum exhibens modis quibusdam, in se iam præformatis. Præparauit Deus lucernam nobis cognoscibilem, ipsum Iesum Christum lucentem, qui est vera sapientia. Metaphysicos torfit dictum Salomonis de sapientia creata, acquisita, formata, et figurata: quia figura loquutionis non viderunt, nec intellexerunt figurata Christi mysteria.

Dições illas obserua, quibus vtitur Salomon de sapientia loquens prouer. 8. קנח Kanah vbique significat acquirere rem possessam. נסח nasach vniuersaliter significat constituere, inuestire, obuelare, perfundere: quod in principum et idolorum personis fiebat, quando sacrabantur. Id ea vox proprie significat, et constitutioni sapientiæ, in Deo factæ, tribuitur. חולל holal, siue cholal, proprie significat premi, exprimi. Quibus omnibus modis dicitur Deus eam sapientiam in possessionem acquisiuisse, principem constituiisse, eius personam inuestisse, expressisse, formasse, creasse. Deus dicitur sapientiam illam acquisiuisse, scripisse, et adinuenerisse. Quod Deus sapientiam adinuenerit, et figurate scripserit, post Salomonem docet Baruch, capite tertio, et docuerat Iob capite vicesimo octauo. Sapientiam scripsit Deus, si sapientia erat liber vitæ, in Deo scriptus.

Metaphysici se hic inaniter torquent, mutationem in Deo, et res distinctas arguunt, non intelligentes mysterium tantæ sapientiæ. Nunquam ipsi intelligere potuerunt, qualiter Deus æterne cogitans externeque proferens, velut œconomus, sapientiam acquisierit, et prudenter adinuenerit. Arguant mutationem in verbo, eo quod factum sit caro. Mutationem dicant in spiritu, quem Deus effundendo emisit, dedit, et in nobis creauit. An non potuit Deus deitatis suæ exhibitionem homini conformare? An non potuit figuram hominis gerere, qui homo futurus erat? Eam fuisse olim verbi figuram, et humanitatis conformationem, vt axioma, in prima eccle-

sia publice receptum, de quo nemo tunc dubitavit, contra Marcionem assumit Tertullianus, ad finem libri secundi. Imo et Marcionitas ipsos ait ab exordio ecclesiæ ita institutos. Publice nota res erat, et vos sophistæ eam publice ignoratis.

Dæmon pessimus in vobis arguit, esse hoc dedecus Dei, cum sit decretum nostræ salutis. Non erat Deo res indigna, quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis, ut arguit ibi Tertullianus. Cum Epicuro vos fingitis Deum inertem truncum, nulli se communicantem. Vsq̃ue adeo Epicurus amavit desidiam, et ocium in Deo, ut diuinitatis influxum negaret, dicens, esse in Deo molestiam et motum. Magus quoque Simon Deum dixit nullam cum creaturis habere communicationem, nec eis ipsum vniri. Simili fere metaphysica modos diuinos, et communicationes Dei, vos a nobis alienatis, et substantialis vnionis rationes. Quicumque negat, Deum se posse homini conformare, et communicare, potentiam Dei negat, hominis felicitatem negat, Christum totum negat. Turpissimas alias, et ad rem nihil facientes, inuisibilibus illis tribus rebus in Deo vos tribuitis mutationes et deriuationes. Hoc vero, quod deitatis et bonitatis proprium est, ignoratis, scilicet communicationem, et communicationis modum. Bonum enim non dicitur bonum, nisi communicabile, et tanto magis communicabile, quanto magis bonum. Felicitas hominis est vnio diuina, sicut Christus est substantialiter vnum cum Deo. Ibi est visio et fruitio, Deus ob hæc nec mouetur, nec mutatur. Deus non est loco motus, nec est mutatus a proposito, nec in se cœpit esse res alia, nec desinit esse, quod erat, sed ab æterno se homini conformare voluit, ab æterno se homini instar hominis exhibens.

Hæc ratio tibi etiam rudi sufficiat, Quod Deus secundum

dum substantiam suam se potest alicubi magis, quam alibi, exhibere, aut manifestare, aut communicare. Si hoc non credis, non credis, Deum esse substantialiter magis in Christo, quam in te, aut magis in sancto, quam in dæmone. Si hoc credis, iam credis esse insigniorem alio aliquem deitatis modum, atque ita eum olim in immutabili Deo constituisse. Magnum est mysterium sapientiæ, et cogitationis Dei, mysterium creationis, et mysterium redemptionis, per unicum Iesum Christum, unicam eius personam, in Deo ita patefactam, atque ita nobis exhibitam.

Obiicies tu, Si substantia Dei in se, et ante creationem, nec visibilis nec palpabilis, post creationem et incarnationem est facta visibilis, palpabilis, et veluti corporalis, nonne est mutata? Respondeo. Substantia Dei in se nec est nobis visibilis, nec palpabilis, non ob sui defectum, sed ob infirmitatem nostram. Dicitur Deus natura sua inuisibilis naturæ nostræ, verbum item natura sua nobis inuisibile: tum quia excedit capacitatem nostram, tum etiam, quia id ipsum, quod a nobis videtur, non est ex natura, sed ex specie prolata. Atque ita Deus natura inuisibilis, ante cæli creationem, sicut et nunc, fuisset visibilis, et palpabilis, si se talem exhibuisset, et ibi te capacitatem fecisset. Ille enim omnem corpoream vim, et omnium corporum essentiam veram in se continet. Posset tibi dari a Deo, ut eum quavis forma exhibitum corporalibus oculis videres, et manibus palpares. Nec ob id ipse mutaretur, sed tu mutareris, indita sensibus tuis corporeis Deitatis percipiendæ virtute, ut indetur post resurrectionem, quando Deum corporalibus his tuis organis videbis, tanges, gustabis, olfacies, et audies. Audi, quid dicam. Deum ipsum tu beatus corporeis his omnibus tuis
fensi

fenfibus videbis, tanges, guftabis, olfacies, et audies. Si hoc non credis, non credis carnis refurrectionem, et corporeorum tuorum organorum futuram glorificationem. Gloria ipfa Dei, quæ Deus eft, glorificabuntur corporis tui fenfus, et informabuntur: ficut ea gloria transformabitur corpus tuum, et fimile fiet corpori Chrifti gloriofo, Philip. 3. Si hoc credis, refponde iam quærenti, An erit mutatus Deus, quando eum tu corporaliter tanges? Quæ erit ibi tui tactus gloria? Deus. Quæ tui olfactus? Deus. Omnia in omnibus Deus. Deus in fe omne effe continet, diciturque olim et nunc, in fe talem formam acquirere, generare, et creare, quia eam profert, et exhibet, quam ante non exhibuerat, re autem ipfa nihil mutatus. Spiritum quoque nouum dicitur creare, ob nouam communicationem. Filium ita olim Deus in fe ipfo genuit, æterna mente conftituendo, et deitatem fuam ad hominis generationem exhibendo.

Iterum obiicies. Secundum hanc rationem potuit Deus rem aliam filium generare, et in pluribus mundis plures filios diuerfarum formarum. Refpondeo, Si Deus alium mundum creaffet, et in aliis formis rationales alias creaturas, ex fe ipsis filios generantes, et ipfe quoque, fi voluiffet, in ea forma filium, eis fimilem, genuiffet. Ac tunc quoque fuiffet ille in fapientia genitus, et fuiffet in Deo fapientia eadem, quæ nunc eft, exhibitio diuina, λόγος. Atque ita effet femper eadem ratio filii Dei, quod ad eius diuinitatem adtinet. Si ita res haberet, cum Ioanne tu generationem filii Dei æternam annuncians, diceres, In principio erat ratio, in principio erat fapientia, in principio erat exiftentia filii, quæ caro facta eft. Illud porro imprimis cogita, ne alterius formæ filium concedas, in forma ftipitis, aut alterius corporis, effe non poffe rationales has omnes hominis actiones. Ideo prædicta illatio fequitur, vt ex impoffibili fequitur quodlibet. Vere igitur obiectioni refpondeo, Commodius aliter fieri non potuiffe. Si effent infiniti mundi, hic Iefus omnibus illis præfideret, cum fit in eo tota deitatis plenitudo.

De fa-

De sapientia itaque olim creata, condita, et fabricata, ad excusationem seniorum dicta vera sunt, quamquam Arriani et sophistæ aliter acceperint, a suis realitatibus omnes delusi. Nos sapientiam dicimus æternam, nec principium vnquam habuisse, licet in creatione palam effulserit. Vnde dicta est fulgor, et resplendentia Christi. Sine sui mutatione est facta visibilis, et sine sui mutatione est homo facta, exhibitione sui, et creaturæ assumptione. Formatam olim, cum Salomone et Esaia dicimus, sicut Paulus formam Dei iam olim Christo tribuit, et sicut Christus ipse speciem Dei, seu figuram Dei vocat.

Antiquitas vero gentium, quæ sapientiam aliquam olfecit, sapientiam in Deo credidit, vniuersalem mundi ideam, quam in seipso Deus ab æterno constituit. Ita Zoroaster, Trismegistus, et Plato. Illamque mundi ideam, ut mundus est filius Dei, esse aiunt filium Dei, primogenitum, archetypum. In quam sententiam Philo in libro de mundo mundum intelligibilem ait esse huius sensibilis mundi exemplar primogenium. Si microcosmi, aut Promethei illius, quem formatorem ipsimet citant, in Deo imaginem principem cogitassent, de Christi sapientia melius sensissent. Cogitandum erat, exemplar illud, seu ideam illam mundi, fuisse tunc in homine principe, ut nunc est in Christo. Mentem veram Dei nescientes, a primo scopo illi in hoc defecerunt, cum idea illa mundi, sicut et mundus ipse, Christo subordinaretur. Ipse Christus erat ratio Dei, existentia prima, cuius fulgor et spiritus, in res alias effusus, eas omnes in se continet, ac lucide refert. Vnicum creaturarum principium et finem, vnicum omnium scopum vere faciamus Christum. Ex quo nos cognoscimus, qualis erat olim sapientia. Nam ut tunc sunt in anima Christi primæ increatæ rerum omnium idæ, ita olim erat, in ipsa sapientia. De qua est oraculum illud, Ego sum omne, quod fuit, quod est, quod futurum est: velum meum nemo mortalium hactenus reuelauit. Erat sapientia in Deo, velut intelligens anima

nima quædam, omnia in se contemplans, et lucide continens: mortalibus olim velata, et per Christum reuelata: quam et plerique dixerunt, fuisse ipsammet animam Christi. Sapientiam nos vere dicimus, instar animæ Christi, rationem diuinam de Christo, personalem Christi substantiam in Deo relucentem, et omnia continentem. In ea primaria luce esse reliqua omnia secundario relucencia, vt in anima tua relucet res aliæ, quæ sunt in ipsa. Vnde est anima nostra vera imago illius sapientiæ Dei, et ab ea vere reformatur. Nec solum dicimus, in sapientia Dei omnia relucere, sed et inde habere suum esse, ex inuisibilibus visibilia facta. Dicimus item, eam a Christo sapientiæ lucem, et in angelos, et in animas nostras se diffundentem, velut speculum lucidum, varias nobis et angelis rerum cognitiones dare. Atque ita quicquid angeli vnquam cognouerunt, a Christo acceperunt, sicut et nos. Benedictus ille sit in secula seculorum, qui sapientiam suam infundens, hanc de se nobis cognitionem dedit. Benedicti sint in ipso, qui ipsum vere credent esse filium Dei, ab æterno in Deo relucentem, et in æternum regnantem. Amen. Amen.

M.	S.	V.
I	5	3.



E R R A T A.

Pagina 3. versu 11. lege , res omnium. 25. 24. eiusdem,
 58. 3. ὑποθεσίας. 81. 15. ταρταριζειν et versu 20. pre-
 muntur. 86. 8. quod dicas. 107. 2. הָא אֲנִי חַיִּי תַהֵא
 127. 1. שׁ. 4. מִשְׁרִי. 15. Saddai. 207. 7. dispensantur.
 227. 24. ipse. 235. 5. Satanæ arma confregit. 239. 31. ob
 eam 244. 12. liberabit. 289. 9. πεισυνω. 318. 24. college-
 runt. 334. 6. חֲשַׁב. 340. 10. Hoc primum. et 16. indicem.
 344. 26. nos hic donat. 375. 2. terra illa. 384. 5. cum coin-
 quinatis. 393. 30. author. 420. 10. debere nos. 452. 1. Huic
 simile, et 13. abduxit. 453. 8. oblato. 472. 33. vt per ea. 492.
 26. legis populo. 506. 22. absumptæ. 530. 27. quidam. 531.
 27. Deo. 547. 14. Sicut ego. 548. 7. ostendimus. 559. 15.
 datur. 561. 4. impossibile nobis est. 567. 25. renati. 572. 1.
 mortis. 616. 8. filios Dei. 618. 29. nosti. 619. 21. fili. 624.
 32. Paulus. 650. 32. nihili. 692. 32. Quod. 721. 11. baptismum.

[Faint, illegible text from bleed-through]

Clarissimi Pontificum & Magni Vici
Thomae Melletii Baroni Collegii
Regalis Medicorum & tunc in Petris
Ornamentum erat sicut Helicorus et
Paleides hodie inter Lmina Celli
Consuevit et qui primus inter homines
et cenebris sanguinis nostri & armis
illustravit

Oratio anniversaria habita in
Amphitheatro Collegii Regalis Medicorum
Lond: in Saeculum Benemeritorum &
Benemerentium de medicina. Die XIX.
Octobris Anno 1719. by T. Pellet. he
addresses the president & his colleagues —
Dr E. Wilmot addresses Richard Pellet
previ'd. & coll. 1735 —

Fr. Nicholls — Thoma Pellet MD. 1740.

In T. Pellets oration 1719 the
following passage occurs — p. 8 v —

"Non mihi si linguae centum sint
oraeque centum, haec egregio viro Hervey
satis pro meritis laudes rependere
possim. Qui primus omnium mortalium
docuit

Qua ratione tibi concocti lacteus humor
Declivis fertur, donec per caeca viarum
Sabatur tacitis in stagna argentea rivis
Inde per angustum tendens iter, ostia levi
Pectoris evadit, vnamq. irrumpit apertam,
Sanguine miscendus, motuq. rubescere discis
Tumvolvendo ruens per dextri limina cordis
Pectoris irrigui gelidas adlabitur auras.
Floridus inde aedit lento per devia passu,
Exultatq. fores cordis pulsare sinistras.

Nec mora per totum trepidat se didere corpus
Extremosq. artus, unde impetu fertur in orbem,
Purpureos volvens sua per vestigia fluctus.


Quoq. modo vita molecula prima capessit
Paulatim vires, hominisq. adipiscitur auctus

From a Volume, Orationes anniversariae
belonging to the R. Medical Society &
No other verses by T. P.

En Tacito

Handwritten text in a cursive script, likely from a 17th or 18th-century manuscript. The text is written in a dark ink on aged, yellowed paper. The script is dense and flowing, with many ligatures and flourishes. The text is arranged in approximately 25 lines, filling most of the page. The handwriting is characteristic of the period, with a mix of formal and informal styles. The paper shows signs of wear, including discoloration and some small stains.

$\frac{3}{4}$ D.
79



p 119 Caribbees

7331 Caribbees - note for Caribbees

316 2 jaguars in the mountains

321 you was collecting at the mountains

This party has been in the mountains

68 ^{Enyeta} Enyeta - 23 miles from

p 68 1 Chron 29.7 mis translated -

Same as Gold and Scars - Hatten a prophet

see verse 29 -

70 Bihara 11 years old -

Revised 2/83



Serveti (Michaelis sub Nomine Villanovani) Syruporum universa Ratio, *red morocco, by De Rome, Paris, S. Colinæus, 1537*

* This work is so extremely rare, that Mosheim, the biographer of Servetus, was unable to procure a copy.

SENTILIS (Valentinus, *the Tritheist*) History of, put to death by the Protestant Reformed Laity of Bern, for asserting the Three Divine Persons of the Trinity to be Three Distinct Eternal Spirits, &c. by B. Aretin, 8vo. *half calf* 163

OSPELS. Observations upon the Four Gospels, shewing their Defects and how far those Defects, together with the Writings of St. Paul, have misled the Compilers of our Church Service, &c. thereby evincing the Necessity of revising the whole by Authority, 8vo. *calf, a very scarce absurd free-thinking book* Geneva, 17

Burton (Rev. E.) Testimonies of the Ante-Nicene Fathers to the Divinity of Christ, *half calf gilt, Oxford, 1826*—Testimonies of the Ante-Nicene Fathers to the Doctrine of the Trinity and of the Divinity of the Holy Ghost, *ib.* 1831 2 vol.

Calvini Posthumum Stigma in tria Lilia sive tres Libros dispartitum a Rhetoribus Collegii Societatis Jesu Bruxellis, *with the cut of Calvin whipt at the cart's tail* blue morocco super extra, *g. e. rare* Bruxellæ, 1611

* Amongst others there is a Carmen Leoninum by Thomas MacMoris, an Irish Priest.

Servetus (M.) Thoughts on Nature and Religion, with Supplement, *privately printed and very rare (unknown to Lowndes), 1774*—Impartial History of M. Servetus burnt alive at Geneva for Heresie, 1724 *not by S.* 2 vol.

Faber (G. S.) on the Apostolicity of Trinitarianism, 2 vol. 1832—Primitive Doctrine of Justification, Regeneration and Election, 3 vol. 1839-40-42—Christ's Discourse at Capernaum fatal to the Doctrine of Transubstantiation, 1840—

Servetus (M.) van de Dolinghen in de Drievuldigheyt (de Trinitate), black letter, *red morocco, gilt-marbled edges, by De Rome, very rare (see Brunet)* Ghedruckt, 1620

Francesco Stabili, born at Ascoli, and better known as Ceccho (the diminutive of Francesco) d'Ascoli, was the master of Dante, and in later years his bitter opponent. This very curious work, which may be regarded as an Encyclopædia in verse, has passed through numerous editions, and is remarkable as supposed to contain the discovery of the circulation of the blood. The author was burnt for Heresy, in 1327, and his works have been strictly prohibited under pain of excommunication.



